TOURNELY
DE SS. IN GEN.
DE BAPT.
ET CONFIRM.
T. VI. VII.

A
20-187

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
GRANADA
Sala A
Estante 20
Tabla
Núm. 187

56-5-2

№ 1
9-187

i 17649298

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 20
Tabla
Núm. 187

56-5-2



i 17649298

(2)

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

DE

SACRAMENTIS BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS,

Quas in Scholis Sorbonicis habuit

HONORATUS TOURNELY,

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor,

Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Professor, Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonicus.

Editio Postrema juxta exemplar Parisiense, quamplurimis Additionibus ac Notis nunc primum locupletata, quibus Doctrina Auctoris illustratur, ac defenditur.

TOMUS SEPTIMUS.

PARISIIS, MDCCLXV.

Sed prostant VENETIIS
Apud NICOLAUM PEZZANA.

A176479730

THEOLOGIÆ CANDIDATIS PRÆFATIO.

VIdistis, dilectissimi Candidati, in Prælectionibus, quas de Sacramentis universim consideratis emisimus, quæcumque pertinent ad originem, causas, naturam, vim & efficaciam, affectiones & proprietates omnium Sacramentorum Christi: vidistis quam liberali ac munifica manu Deus Optimus præsentissima nobis salutis remedia dispensaverit. Unicuique ætati idonea & quasi propria destinavit: *Nam quia omnis ætas peccato est obnoxia*, inquit S. Ambr. lib. 2. de Abr. c. 11. num. 81. *ideo omnis ætas Sacramento idonea*. Causam & rationem ab ipso fonte repetit S. Irenæus lib. 2. c. 22. alias 39. *Dominus*, inquit, *omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, & juvenes & seniores. Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus sanctificans infantes; parvulis, parvulus &c.* T. 1. p. 349. C. P. 147. n. 4.

Et vero varias humanæ vitæ partes sive periodos animo percurrite, dilectissimi Candidati, nulla profecto vobis videbitur cælestibus auxiliis vacua, nulla divinæ providentiæ cura, & spirituali Sacramentorum ope ac præsidio destituta. *Per Baptismum enim*, ait S. P. Eugenius Armenos instruens, *spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati, nutrimur Divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit per extremam Unctionem; per Ordinem vero Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium corporaliter augetur.* Septem ista sunt divinæ gratiæ nobis communicandæ organa, & instrumenta, quæ vobis, Deo aspirante, sigillatim exponere meditamur, in absolvendo, qui nobis reliquus supereſt, nostrarum, quas promisimus, Prælectionum Theologicarum cursu. Tom. 13. Conc. p. 534. E.

Primus ad Religionem Christi aditus, Baptismus est, ceterorum Sacramentorum janua idcirco nuncupatus. Primus militiæ Christianæ gradus, Confirmatio: per Baptismum illustrati, fidem Christi suscipimus ac sollemniter profitemur; per Confirmationem induti virtute ex alto, strenue ac constanter eamdem defendimus. Per Baptismum ad novam vitam renascimur; per Confirmationem armamur ad prælium. In Baptismo filii Dei, & heredes Christi, in Confirmatione Christi milites, fideique vindices ac defensores constituimur. Æquo passu incedunt duo hæc infantiæ ac militiæ Christianæ priora Sacramenta: at non eodem necessitatis gradu. Quippe ut in corporali vita prius est hominem nasci ac vivere: ita & in vita spirituali primum ac potissimum est, hominem interius renasci ac regenerari. *Factus est primus homo Adam in animam viventem*, ait Apostolus, *novissimus Adam in spiritum vivificantem... Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. Et sicut*, pergit idem Apostolus, *in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur*. Qua porro via ad novam illam ac plane mirabilem vitam pervenitur, nisi per Baptismum? *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*. 1. Cor. 15. v. 45. Ib. v. 22. Ad Tit. 3. v. 5.

Jo. 3. v. 5. Atque ut Christus ipse pronunciat, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex Spiritu, spiritus est.*

Ad rei novitatem obstupuit Nicodemus. *Quomodo*, inquiebat, *potest homo* Ib. v. 4. *nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, &* Ib. v. 7. & 8. *renasci? Non mireris*, reponit Christus, *quia dixi tibi: Oportet nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat... Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* Confidentem nimium Legis Doctorem hic Christus increpat simul & instruit. Non aliam quam carnis novam generationem ac nativitatem, ex verbis Christi animo sibi effingebat Judæus homo carnalis: novam autem spiritus regenerationem, docendo Christus proponit & adstruit. Superbam Doctoris Legis ignorantiam sa- T. 2. p. 2. nando carpit, & ad humilitatem disponit, ut animadvertit S. August. p. 386. Tract. 12. in Joan. Non ipsi tamen insultat: aut si insultat, tamquam indocto insultat, ut deponat superbiam.

Quam Nicodemus ignorabat, vel non credebat, Christo annunciante, paratam ac præsentem spiritus renovationem & regenerationem, hanc nihilominus non modo ut possibilem, sed & aliquando futuram, Nicodemus, cum esset in Lege peritus, ignorare non debuerat. Nonne apud Ezechielem prophetico spiritu scriptum legerat: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... Et dabo vobis cor* Ezech. c. 36. v. 25. & 26. *novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum?* Nonne Psaltes Regius cecinerat, Ps. 103. v. 30. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ?* Quæ certe non de alia, quam de interiori spiritus renovatione per gratiam animis infundendam, intelligere debuisset Legis Doctor; maxime cum simile quoddam, quamquam rude adhuc apud suos domesticum ac familiare renovationis vestigium præ oculis haberet, in iis scilicet qui a cultu falsorum deorum conversi, Legi Mosaicæ nomen suum dabant: tot enim illis præviis ritibus, cæremoniis, lotionibus ac baptismatibus mundabantur, præparabantur ac præformabantur ad veram Dei Religionem, ut novi quasi homines, & ut loquitur S. Petrus, *sicut modo* Epist. 1. c. 2. v. 3. *geniti infantes* haberentur.

Ex his, maxime vero ex decretoria ista & apertá Christi sententia, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* Jo. 3. v. 5. intelligitis haud dubie, dilectissimi Candidati, tantam esse Baptismatis necessitatem, tam strictam & universalem illius percipiendi legem omnibus impositam esse, ut sine illo, aut saltem, certis in casibus, sine ipsius voto, ac desiderio nullus ad vitam æternam & Regnum Cælorum pervenire usquam possit.

Verum, proh dolor! quo major & apertior tam salutaris remedii necessitas, eo major in ea impugnanda dæmonis, salutis humanæ invidi obtrectatoris, furor & impetus; eo major & Hæreticorum, quos vel a primis Ecclesiæ temporibus suscitavit, ad quidlibet audendum, projecta temeritas. *Nuper*, inquiebat Tertullianus lib. de Baptismo cap. 1. *conversata isthic quædam de Cajana hæresi vipera venenatissima, doctrina sua ple-* P. 244. A. *rosque rapuit, in primis Baptismum destruens... nam fere viperæ & aspides, ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur.*

In

In eodem luto hæsisse fanaticam quamdam feminam, Quintillam nomine, observat ibidem Tertullianus, *Quintilla*, inquit, *monstruosissima, cui nec integre quidem docendi jus erat, optime norat piscículos necare, de aqua auferens. Quanta vis est perversitatis*, addit ibidem, *ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus constat.* Quod vero fuerit antiquissimi hujus erroris fundamentum, si nosse vultis, Cand. dilect. eumdem audite Tertullianum, jam tum, sæculo nempe secundo, Novatorum nostrorum errorem circa fidem justificantem, in veteribus Hæreticis confodientem: *Sic ergo*, ait Tertullianus eodem lib. cap. 13. *scelestissimi illi provocant quæstiones. Adeo dicunt, Baptismus non est necessarius, quibus fides satis est: nam & Abraham nullius aquæ nisi fidei Sacramento Deo placuit.* En erroris fundamentum. *Sed* reponit Tertullianus, *in omnibus posteriora concludunt, & sequentia antecedentibus prævalent. Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem & resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus; addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege. Lex enim tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite docete omnes nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Huic legi collata definitio est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in Regnum Cælorum. Obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem.* *Ibid.* *Ibid. p. 229. C.*

Totum porro illud antiquissimarum *viperarum* mortiferum, ac lethale virus haustum in se transfuderunt posteriorum temporum perditissimi Sociniani. Docent illi 1. Christum Apostolis verum non dedisse baptizandi mandatum; atque verba ista: *Euntes docete, baptizantes &c.* exponenda esse, non de aquæ Baptismo, sed de sola instructione, ac doctrina, quæ instar aquæ sordes animæ mundat & abstergit. 2. *Apostolos nihilominus, etsi non jussos, ritum baptizandi convenienter usurpasse, tum quia populus Judæus cæremoniis valde delectabatur, utpote in illis quasi enutritus & educatus; tum quia Baptismi cæremonia a magni nominis, magnæque auctoritatis viro, nempe Joanne, jam antea introducta, magnoque applausu ab omnibus recepta fuerat, tum denique quia aptissima erat ad adumbrandum Christianorum officium, ac statum: unde conveniens fuit viros hujus ætatis per Baptismi cæremoniam Christianæ Religioni adscribi.* Verba sunt Volkelii lib. 6. de vera Religione c. 14. 3. docent baptizandi præceptum (si tamen præceptum vocant) universale non fuisse, ab omnibus in perpetuum observandum; sed certis dumtaxat personis, ac pro certo quodam tempore addictum, illis nempe, qui Ecclesiæ initio a Paganismo vel Judaismo ad Christum convertebantur, quos per nudum illud, ac sterile symbolum exterius distingui ad invicem oportuit.

Sociniani a Calvinianis, ex quibus nati, ac propagati sunt, arma mutuantur, quibus absolutam & medii, ut vocant, in Baptismate necessitatem totis viribus impetunt. *Perspicuum est*, ait Calvinus Inst. lib. 4. c. 12. n. 10. *quam falsum sit, quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii perstiterunt, per Baptismum solvi nos & eximi ab originali peccato, & a corruptione, quæ ab Adam in universam posteritatem propagata est.* Et num. 22. expresse ait, *non arceri a Regno Cælorum infantes, quos e præsenti vita migrare* *P. 484.* *P. 488.*

grare continget, antequam aqua mergi datum fuerit. Atqui jam visum est, pergit ille, *fieri non levem injuriam Dei fœderi, nisi in eo acquiescimus, ac si per se infirmum esset, cum ejus effectus neque a Baptismo neque ab ullis accessionibus pendeat.*

Atqui tamen his imbutis documentis Calviniani, Anabaptistis & Socinianis toto animo hic repugnare, ac contradicere videri volunt, ad scenam magis, & ludricam, ut puto, disputationem, quam ad seriam demonstrationem veritatis. Qua etenim fronte, qua ingenii præfidentia, sibi hoc assumere Calvinistæ possunt, ut convincant Anabaptistas: *non debere infantes a Baptismo excludi*; cum vel ipsimet contendant, infantes sine Baptismo ex præsenti vita raptos, a Regno Cælorum non arceri, sed una præsentis fœderis virtute salvos fieri; & quod amplius quidquam est, cum, sicut & ipsimet Anabaptistæ & Sociniani, celebrem istam Christi sententiam: *Nisi quis renatus fuerit &c.* ad figuratum & metaphoricum sensum detorqueant, nec de vero aquæ, sed Spiritus Baptismo instar aquæ lavantis, ac mundantis, interpretentur? Dicant illi nobis, quid juris habeant ad hanc Christi sententiam a litterali & obvio sensu ad metaphoricum inflectendam, quod sibi pariter arrogare non possint Sociniani, quos illi tamen durius insectantur, cum verba hæc Christi plana certe & aperta: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* non de vero aquæ, sed institutionis dumtaxat, ac doctrinæ Baptismo, dicta esse arbitrantur. *O homo, in quo judicas alterum, te ipsum condemnas.* Rom. 2. v. 1.

Una est, simplex, sibi semper cohærens, ac uniformis Catholicæ fidei doctrina de Baptismi præstantia, virtute, & omnimoda ad salutem consequendam necessitate. *Felix Sacramentum aquæ nostræ*, exclamabat Tertul. lib. de Baptismo c. 1. *qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur ... De sancto Spiritu sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificari cæpit ... Supervenit statim Spiritus de Cælis, & aquis supersedit, sanctificans ea de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* P. 224.

Belle omnino Irenæus l. 3. c. 17. alias 19. *Sicut*, inquit, *de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, sine aqua, quæ de Cælo est. Et sicut arida terra si non percipiat humorem, non fructificat; sic & nos, lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia: corpora enim nostra per lavacrum, illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per spiritum. Unde & utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro.* P. 208. n. 2.

Pressius S. Augustinus lib. 3. de origine animæ cap. 9. dicebat: *Noli credere, noli dicere, nec docere, infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Rata igitur lex est, ac fixa Christi sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Cælorum. Nullum hic excipit*, ait S. Ambr. l. 2. de Abrah. c. 11. nu. 84. *non infantem, non aliqua præventum necessitate.* T. 10. p. 379. C.

Procul ergo putidum istud Pelagianorum figmentum, infantes sine Baptismo arceri quidem a Regno Cælorum, propter Christi sententiam: T. 1. p. 351. A.

Nisi

Nisi quis &c. æterna tamen vita donari, propter vitæ eorum innocentiam: quasi in Adamo & ipsi non peccaverint: *in quo omnes peccaverunt*; quasi non nascantur filii iræ, ac indignationis. Sicut ergo in Adam omnes moriuntur, ita necesse est omnes in Christo renasci. *Quisquis dixerit*, ait S. Augustinus Epist. 166. alias 28. ad Hieronymum, *quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt; hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino vivificari non posse.*

Rom. 5. v. 12.

T. 2. p. 592. B.

Novimus equidem esse aliquos ex nostris, qui plus æquo de misericordia Dei præsumentes; ac nescio quo tenerioris clementiæ affectu commoti erga tot infantium millia, qui absque Baptismo migrant ex hac vita, & æternum pereunt, naturalem quamdam felicitatem illis liberaliter assignant. Verum immota stat Christi sententia: *Nisi quis &c.* Sapienter omnino, ac graviter monet eam in rem Bellarm. lib. 6. de amissione gratiæ c. 2. *misericordiam nostram parvulis jam defunctis nihil prodesse; econtra nihil obesse nostræ sententiæ severitatem: multum autem*, pergit, *nobis obest, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus; idcirco non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturæ, Conciliorum & Patrum sententiam consulere, ac sequi debemus.*

T. 4. p. 145. C.

Novimus etiam Novatores nostros eximias Baptismi prærogativas & effectus aut restringere parcius, aut latius diffundere. Hinc vim a labe originali mundandi, & sanctificantem infundendi gratiam ipsi detrahunt; inde vero liberam ab omni humana servitute, omnibusque votis observandis, (eo excepto quod fit in Baptismo de observanda Dei lege) immunitatem concedere videntur. Utrobique error est: inter extrema media veritas incedit.

Baptismus & interius ab omni peccato mundat: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis*, & ab humana servitute non eximit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo.* Et rursum: *Obedite præpositis, & subjacete illis.*

1. Cor. 6. v. 11.

Rom. 13. v. 1.

Heb. 13. v. 17.

Infiniti essemus, dilectissimi Candidati, si omnes, quas SS. Patres tanta facundia exponunt, Baptismatis dotes, effectus, ac prærogativas enumerare vobis hic aggrederemur. Unus sufficiat S. Chrysostomus, qui has omnes dotes, quibus baptizati exornantur, mira eloquentia prosequitur. *Ecce*, inquit Hom. ad Neophytos, *libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paullo ante captivi; & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti; non tantum sancti, sed & justi, nec solum justi, sed & filii; nec solum filii, sed & heredes; nec solum heredes, sed & fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed & coheredes; non solum coheredes, sed & membra; non tantum membra, sed & templum; non tantum templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sint Baptismatis largitates? sed multis quidem videtur cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione confitere; nos autem honores computavimus decem.* Et Homil. 1. ad illuminandos, ait *Baptismum appellari lavacrum*

Ed. Par. an. 1621 Tom. 2. Append. p. 52.

Ed. nova T. 2. p. 229. *regenerationis , quia non ſolum nobis peccata remittit , neque ſolum delicta purgat , ſed ita præſtat , ac ſi denuo generati eſſemus* : quaſi modo geniti infantes .

Sed quorſum tota illa de Baptiſmo , ac potiſſimum de illius neceſſitate in hac Præfatione diſputatio ? Nimirum ut intelligatis , dilectiſſimi Candidati , quantam hæc Theologiæ noſtræ pars atque Tractatus attentionem , ſtudiumque exigat , ab iis maxime , qui miniſterio Eccleſiaſtico deſtinati , aliorum ſaluti procurandæ omni cura toti incumbere tenentur ; qui non ſine ſuo & aliorum damno , ea vel ignorare penitus , vel negligenter tractare poſſunt , quæ ſunt ad ſalutem animarum neceſſaria . *Si quis autem diligentius Apoſtolum legerit* , ait Catechiſmus Romanus , *ſine dubitatione ita ſtatuet , perfectam Baptiſmi cognitionem a fidelibus magnopere requiri : adeo non ſolum frequenter , ſed gravibus verbis , & Spiritu Deo plenis , ejus myſterii memoriam renovat , divinitatem commendat , atque in eo Redemptoris noſtri mortem , ſepulturam , & reſurrectionem nobis ante oculos , tum ad contemplandum , tum ad imitandum conſtituit* .

Par. 2. de Bap. Sac. n. 1.

Quo ergo major eſt Baptiſmi ad ſalutem neceſſitas , eo accuratius omnia , quæ ad illum pertinent , animo comprehendenda & percipienda : quæ ejus natura ; quæ materia vera & legitima ; quæ forma ipſius præſcripta : quis in quaque occaſione miniſter ; quod illius percipiendi capax ſubjectum ; quis conferendi modus & ratio , quis ritus , quis uſus ; quæ de his omnibus Pontificum & Eccleſiæ deciſiones : hæc , inquam diligentiſſime perfecteque percipienda , ne quid in iis peccetur , non a vobis tantum , ſed etiam ab aliis , quas a vobis edoceri oportebit , quid ab illis , ubi res & tempus feret , præſtari oporteat . *Quare* , concludit Catechiſmus Romanus , *Paſtores nunquam ſe ſatis multam operam & ſtudium in hujus Sacramenti tractatione collocaſſe arbitrentur* .

Jam vero quid dicam vobis , dilectiſſimi Candidati , de Sacramento Confirmationis , divino illo ſignaculo , unde baptizato tantæ vires accreſcunt ad fidem Chriſti coram tyrannis intrepide profitendam ? Quid de illo Novatores noſtri ? Pudet referre quanta hic fit Calvini protervia & impietas : *Oleum Confirmationis pollutum* appellat *diaboli mendacio* , *abortivam Sacramenti larvam* , *atque inter exitiales ſatanæ præſtigias recenſendum eſſe* . O blaſphemia ! o impietas ! Ita ne vero *pollutum eſt* , *ac inter exitiales ſatanæ præſtigias* recenſendum Sacramentum , quod Apoſtoli a Chriſto edocti vel ab initio primis Fidelibus contulerunt ? *Oraverunt pro ipſis . . . . Et imponebant manus ſuper illos , & accipiebant Spiritum Sanctum* . Quod univerſa Eccleſia conſtanti uſu , ac nuſquam interrupto ſemper obſervavit . *Egreſſi de lavacro* , ait Tertullianus libro de Baptiſmo capite 7. *perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina . . . . . in nobis carnaliter currit unctio , ſed ſpiritualiter proficit* . Et Cyprianus Epiſtola ad Januarium 70. *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit , ut accepto chriſmate , ideſt , unctione , eſſe unctus Dei , & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit* . Et rurſus in Epiſtola ad Jubajan. 73. *Quod nunc quoque* , inquit , *apud nos geritur , ut qui in Eccleſia baptizantur , præpoſitis Eccleſiæ offerantur , ut per noſtram orationem , ac manus*

Inſt. l. 4. c. 19. p. 538.

Act. 8. v. 14. & ſeq.

P. 228. D.

P. 117.

P. 124.

manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur. Hieronymus denique, Dial. adversus Luciferianos, aut potius Luciferianus apud ipsum (ut alios innumeros hic taceam) *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Ita ne vero *pollutum, ac inter exitiales satanæ præstigias recensendum*, quod SS. Ecclesiæ Doctores communi suffragio tot exornant laudibus, cujus virtutem & efficaciam ita magnifice extollunt, ac prædicant? Unus instar omnium suffragium dicat S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 3. mystagogica, ubi exponens ritum quo ætate sua unctio confirmatoria per omnes fere corporis partes effusa ministrabatur, sic scribit: *Frons & alii sensus corporis tui symbolice inunguntur; & corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto, vivificoque Spiritu sanctificatur. Ac primum quidem fronti illinitur, ut eum abstergat a vobis pudorem, quem primus homo trangressor perpetuo circumferebat, simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis . . . . . Postea nares: ut divinum recipientes unguentum dicatis:* Christi gratus est odor Deo in his, qui salvantur: *Tum vero & pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ, fortiter adversus insultus diaboli consistatis. Ut enim Salvator post Baptismum, & illum Spiritus Sancti adventum egressus in prælium; devicit adversarium; sic & vos post sacrum Baptismum & chrisma mysticum, induti armis Sancti Spiritus adversus oppositam vobis potestatem consistitis & præliamini, dicentes:* Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo. Ita ne *pollutum est, ac inter exitiales satanæ præstigias recensendum*, quod in fronte positum dæmonibus terrori, nobis autem ad omnes eorum propulsandos impetus, summo esse præsidio debet, atque adjumento. *Adversarius enim vester diabolus*, ait sanctus Petrus, *tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*, inquit sanctus Paulus. Unde porro *armatura* hæc, nisi ex Sacramento Confirmationis? ut nempe signo crucis in fronte muniti, crucis ignominiam non erubescamus: *Quia in fronte erubescitur*, aut egregie sanctus Augustinus in Psal. 141. num. 9. *ille qui dixit: Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo qui in Cælis est; ipsam crucis ignominiam quodammodo quam Pagani deridenti, in loco pudoris nostri constituit. Quod signum crucis*, ait idem sanctus Doctor Tract. 118. in Joan. *nisi adhibeatur sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur*. Hæccine quæso, *ritum pollutum* referunt, *ac inter exitiales satanæ præstigias recensendum*?

T. 4. p. 2. p. 294.

P. 235. B.

1. Petri 5. v. 3.

Ephes. 6. v. 11.

T. 4. p. 1583. E.

T. 3. p. 2. p. 801. E.

Paullo quidem modestius, quamquam nec verius, nostrum illud Sacramentum impetit non ignobilis Calvini Sectator Dallæus, qui non alium impositionis manuum Apostolorum, fructum agnoscit, quam linguarum, ac miraculorum dona, quæ cum jam diu extincta & abrogata fuisse confiet, & ipsum quoque Confirmationis ritum cum illis omnino extinctum

perii-

periiſſe arbitratur. Verum non ſatis attendiſſe videtur Dallæus, ad infantiam, ut ita dicam, naſcentis Religionis, quam conſpicuis, ac ſplendidis prodigiis adoleſcere, ac confirmari oportuit. Quibus, adulta & confirmata, non indiguit amplius. *Nec enim*, ut obſervat ſanctus Auguſtin. l. 3. de Baptiſmo c. 16. *temporalibus, & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus, per manus impoſitionem modo datur Spiritus ſanctus, ſicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum ſanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inviſibiliter & latenter intelligitur, propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inſpirari.* Rem eleganti comparatione illuſtrat ſanctus Gregorius Magnus Homil. 29. in Evangelia. *Hæc*, inquit, *miracula neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Ut enim ad fidem creſceret, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quo uſque ea in terra jam coaluiſſe videamus, & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit.*

T. 9. p. 116. F.

T. 1. p. 1571. A.

Hic dicendi finem facio, dilectiſſimi Candidati, hoc unum enixe flagitans, ut memores ſitis iſtorum Apoſtoli verborum: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem; ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Solliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma. Unus Deus, & pater omnium.*

Rom. 6. v. 3. & 4.

Epheſ. 4. v. 3.

IN-

INDEX
QUÆSTIONUM.

Canones Concilii Tridentini de Baptismo Sess. 7. Pag. 1
QUÆSTIO I. *De nomine & natura Baptismi.* 2
ARTICULUS I. *De nomine & definitione Baptismi.* 3
Varia nominis Baptismi significatio apud Auctores sacros. ibid.
Varia nomina Sacramenti Baptismatis. 6
* *Figuræ Baptismi.* 5
Definitio Baptismi. 10
Definitiones Baptismi ab Hæreticis conflictæ. ibid.
Orthodoxæ Baptismi definitiones. 11
ARTIC. II. *De materia remota Baptismi.* 12
Errores circa materiam remotam Baptismi. 13
CONCLUSIO. *Omnis & sola naturalis seu elementaris aqua est remota Baptismi materia, eaque necessaria.* 18
Solvuntur Objectiones. 21
ARTIC. III. *De materia proxima Baptismi.* 27
An valeat Baptismus per immersionem, infusionem, vel aspersionem datus. ib.
Antiquitas immersionis, & quidem trinæ, in Baptismo. 28
CONCLUSIO. *Ritus immersionis, trinæ in sollemni Baptismi administratione ab Apostolis usurpatus, ab Ecclesia, tum Græca, tum Latina, constanter retentus fuit usque ad decimum tertium Ecclesiæ sæculum, quo primum a Latinis immutari cœpit.* ibid.
Necessitas trinæ immersionis. An valeant Baptismus aspersione vel infusione datus. 33
CONCLUSIO. *Trina immersio ad substantiam Sacramenti non pertinet, nec aliter Veteribus visum fuit, qui ratum perinde habuere Baptismum sive per immersionem, sive per infusionem aut aspersionem trinam vel unicam collatum.* 34
Solvuntur Objectiones. 38
Ritus olim observati in trina Baptismi mersione. 44
ARTIC. IV. *De forma Baptismi.* 47
De variis circa formam Baptismi erroribus. ibid.
An Christus aliquam Baptismi formam præscripserit. 50
CONCLUSIO. *Christus certam verborum formam in Baptismo usurpandam præscripsit.* 51
Qua forma utantur Græci. An antiqua sit, & valida. 54
CONCLUSIO. *Forma hæc baptizandi apud Græcos:* Baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, *antiqua est, & valida.* ibid.
Qua forma Baptismi utantur Latini: An antiqua sit & valida. 56
CONCLUSIO. *Hæc apud Latinos baptizandi forma:* Ego te baptizo in nomine &c. *antiqua est & maxime conveniens.* 57
An hæc verba: Ego te baptizo, *quibus actus baptizantis exprimitur, necessaria sint, ut Sacramentum valeat.* 58

Opi-

Opiniones diversæ. ibid.
CONCLUSIO. *Verba ista:* Ego te baptizo, *aut æquivalentia, quibus actio baptizantis exprimitur, absolute necessaria sunt, ut valeat Baptismus.* 59
An distincta trium personarum divinarum invocatio sit absolute necessaria, & num valuerit olim Baptismus datus in solo Christi nomine. 63
CONCLUSIO. *Distincta Patris & Filii & Spiritus sancti invocatio absolute necessaria est; nec unquam valuit, aut valere potest Baptismus in solo nomine Christi collatus.* 64
Solvuntur Objectiones. 67
ARTIC. V. *De discrimine Baptismi Christi a Baptismo Joannis. Errores.* 76
Scholasticorum opiniones. 77
CONCLUSIO. *Baptismus Joan. diversus fuit a Baptismo Christi, natura & efficacia.* 78
Solvuntur Objectiones. 83
QUÆSTIO II. *De necessitate Baptismi.* 85
Prænotanda. ibid.
ARTIC. I. *Utrum Baptismus necessarius sit in re, vel in voto adultis, necessitate medii & præcepti; infantibus vero necessitate medii. Errores.* 87
Scholasticorum aliquorum opiniones. 90
CONCLUSIO. *Baptismus in re vel in voto necessarius est adultis necessitate medii & præcepti, parvulis necessitate medii ad salutem.* 92
Probatur prima pars de necessitate præcepti, ex Scripturis, quæ a contortis Socinianorum expositionibus vindicantur. ibid.
Probatur secunda pars de necessitate medii ex Scripturis; quæ a contortis Socinianorum & aliorum expositionibus vindicantur. 100
Probatur 2. Conclusio, ex constanti & perpetua Traditione Ecclesiæ. 104
PRIMUM ARGUMENTUM. *Ex testimoniis Veterum.* 105
SECUNDUM ARGUMENTUM. *Ex usu & praxi Ecclesiæ perpetua, ac generalibus quibusdam momentis.* 108
Solvuntur Objectiones. 110
ARTIC. II. *An & quomodo Baptismus aquæ suppleri possit per martyrium, & perfectam contritionem Baptismi votum includentem.* 120
An, & quomodo Martyrium suppleat vices Baptismi aquæ. ibid.
Errores & opiniones. 121
CONCLUSIO. *Baptismus sanguinis, seu martyrium, virtutem Baptismi aquæ perfecte supplet ex opere operato, tum in infantibus, tum in adultis: in istis tamen præviæ quædam conditiones requiruntur.* 122
Solvuntur Objectiones. 126
An, & quomodo perfecta charitas includens votum Baptismi, vices ejus suppleat. Prænotanda. 130
Opiniones. 131
CONCLUSIO. *Baptismus flaminis, seu perfecta charitas & cordis contritio includens votum Baptismi aquæ, illius vices supplet in adultis.* 133
Solvuntur Objectiones. 136
QUÆSTIO III. *De causis, seu de auctore, ministro, & subjecto Baptismi.* 141
ARTICULUS I. *De auctore Baptismi; an, & quando fuerit a Christo institutus, & obligare cœperit.* ibid.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO. *Christus Baptismum ante mortem suam instituit; quo præcise tempore certo non constat: probabilius tamen est tunc instituisse, cum in Jordane fuit baptizatus.* 142
SECUNDA CONCLUSIO. *Lex Baptismi prius obligare generaliter non cœpit, quam fuerit sufficienter promulgata.* 145
Solvuntur Objectiones. ibid.
ARTIC. II. *De ministro Baptismi. Prænotanda.* 149
Errores, & opiniones. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Minister Baptismi ordinarius & ex officio est Episcopus, & Presbyter, Episcopus quidem primarius; Presbyter secundarius, & ex licentia Episcopi, qui solus primis Ecclesiæ sæculis Baptismum sollemniter administrabat.* 151
SECUNDA CONCLUSIO. *Diaconi sunt ministri extraordinarii Baptismi, seu ex delegatione tantum, non ex officio.* 154
TERTIA CONCLUSIO. *In casu extremæ necessitatis, valide, & licite administrare potest Baptismum homo quilibet laicus, sive vir, sive mulier, sive Fidelis, sive Infidelis.* 155
Solvuntur Objectiones. 157
Solvuntur nonnullæ quæstiones circa ministrum Baptismi. 161
ARTIC. III. *De subjecto Baptismi, seu de suscipientibus Baptismum.* 164
De Baptismo infantium. ibid.
Utrum infantes sint capaces Baptismi, & expediat eos baptizare. Errores, & Opiniones. ibid.
CONCLUSIO. *Infantes sunt Baptismi capaces, & expedit eos baptizare.* 167
Probatur prima pars ex Scripturis. ibid.
Secunda probatio ex constanti Traditione Ecclesiæ. 169
Solvuntur Objectiones. 172
Utrum infantes in utero materno inclusi, aut aliqua tantum sui parte in lucem editi; utrum monstrosi &c. baptizari possint & debeant. 178
Utrum infidelium filii invitis parentibus baptizari possint & debeant. 181
CONCLUSIO. *Filii infidelium non debent invitis parentibus baptizari, nisi sint serviliter subjecti, aut in manifesto vitæ discrimine constituti.* 182
Solvuntur Objectiones. 184
Quam fidem in infantibus aut supponat aut producat Baptismus. 188
Prænotanda. ibid.
Errores & opiniones. 189
PRIMA CONCLUSIO. *Nulla est in infantibus, cum baptizantur, fides propria actualis, sed hæc per fidem Ecclesiæ & offerentium puerum ad Baptismum, suppletur.* 192
SECUNDA CONCLUSIO. *Fide Catholica certum est, infantibus per Baptismum infundi sanctificantem gratiam & fidem, quæ sit aliquid fixum & permanens ab actibus distinctum, & quæ, desinente sæculo duodecimo, habitus nomine explicari cepit: utrum autem sit vera qualitas animæ inhærens, & verus habitus, fide non constat.* 193
De Baptismo adultorum. 197
An in adultis præviæ ad Baptismum requirantur dispositiones, & quæ. ibid.
CONCL. *Requiruntur in adultis ad percipiendum cum fructu Baptismum, præviæ dispositiones, nempe fides in Christum, dolor de peccatis, inchoatus Dei amor &c.* ibid.

Historia veteris Catechumenatus. 198
An quilibet adultus, sive sanus, sive infirmus, amens, furiosus, mortuus, vel vivus pro mortuo, possit & debeat baptizari. 202
*APPENDIX. *De Baptismo Crucis & Campanarum.* 205
QUÆST. IV. *De effectibus Baptismi.* 209
ARTICULUS I. *An Baptismus gratiam sanctificantem, & plenam; tum quoad culpam, tum quoad pœnam, peccatorum remissionem conferat. Errores.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Baptismus confert gratiam interiorem sanctificantem, per quam baptizatus renascitur, regeneratur, innovatur, fit Dei filius, Christi membrum, unius cum eo spiritus, vitæ æternæ compos &c.* 210
SECUNDA CONCL. *Baptismus perfecte tollit omnia peccata, tam ratione culpæ, quam pœnæ.* 211
ARTIC. II. *De charactere Baptismi, & de Baptismo ficte susceptо; an recedente fictione reviviscat.* 215
PRIMA CONC. *Baptismus imprimit animæ indelebilem characterem, quo fit ut non possit iterari.* 216
SECUNDA CONC. *Baptismus tum in hæresi, tum in schismate, tum in Ecclesia ipsa catholica ficte susceptus, recedente fictione, omnia peccata quæ ipsum præcesserant, penitus tollit; peccata vero Baptismum subsecuta, delentur per Pœnitentiam.* 218
Solvuntur Objectiones. 220
QUÆSTIO ULTIMA. *De cæremoniis Baptismi.* 222
Cæremoniæ quæ præcedunt Baptismum. ibid.
Cæremoniæ quæ Baptismum comitantur. 223
Cæremoniæ quæ sequuntur Baptismum. 226

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

QUÆSTIO PRIMA. *De natura seu partibus quibus constat Sacramentum Confirmationis.* 228
ARTIC. I. *De nomine & definitione Sacramenti Confirmationis.* 229
ARTIC. II. *An Confirmatio sit verum & proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Errores.* 230
Utrum veritas Sacramenti Confirmationis efficaciter probari possit ex Scripturis. Opiniones Scholasticorum. 232
CONCLUSIO. *Veritas Sacramenti Confirmationis efficaciter probatur ex sacris Litteris.* 233
Solvuntur Objectiones Dallæi adversus probationem ex Scripturis. 234
Utrum veritas Sacramenti Confirmationis possit efficaciter probari ex constanti & perpetua Ecclesiæ Traditione. 237
CONCLUSIO. *Veritas Sacramenti Confirmationis invicte probatur ex perpetua & constanti totius Ecclesiæ praxi & Traditione.* ibid.
Prima probatio ex Conciliis. ibid.
Secunda probatio ex Summis Pontificibus. 239

Ter-

Tertia probatio ex SS. Patribus. 240
Quarta probatio ex usu & praxi Ecclesiæ perpetua. 243
Solvuntur Objectiones Dallæi adversus probationem ex Traditione Ecclesiæ. 244
ARTIC. III. *De materia Sacramenti Confirmationis.* 249
Errores & opiniones. ibid.
CONCLUSIO. *Materia essentialis adæquata & totalis Sacramenti Confirmationis, est impositio manuum, & unctio chrismatis.* 254
Probatur prima pars Conclusionis, manus scilicet impositionem essentialem esse Sacramenti Confirmationis materiam. ibid.
Solvuntur Objectiones. 256
Probatur secunda pars Conclusionis, nempe unctionem chrismatis essentialem esse Sacramenti Confirmationis materiam. 264
Solvuntur Objectiones. 265
De confectione, consecratione, & applicatione chrismatis. Opiniones Scholasticorum: 272
ARTIC. IV. *De forma Sacramenti Confirmationis.* 276
Error Novatorum. 277
Opiniones Scholæ. 278
CONCLUSIO. *Oratio quæ præcedit unctionem, & verba quæ illam comitantur, sunt, tum apud Græcos, tum apud Latinos, adæquata & totalis forma Sacramenti Confirmationis.* 280
Solvuntur Objectiones. 283
QUÆST. II. *De necessitate Sacramenti Confirmationis.* 285
ARTIC. I. *Utrum Sacramentum Confirmationis suppleri possit per unctionem verticalem Baptismi.* 286
CONCLUSIO. *Unctio verticis in Baptismo usurpata supplere non potest Sacramentum Confirmationis.* ibid.
ARTIC. II. *Quæ sit necessitas Sacramenti Confirmationis respectu Fidelium.* 287
PRIMA CONCLUSIO. *Sacramentum Confirmationis non est simpliciter & absolute necessarium, seu, ut dicitur necessitate medii ad salutem:* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Sacramentum Confirmationis necessarium est Fidelibus adultis in re vel in voto, necessitate præcepti divini & Ecclesiastici.* 288
TERTIA CONCLUSIO. *Præceptum divinum suscipiendi Sacramentum Confirmationis maxime obligat vel tempore persecutionis contra fidem, vel quando instant graves circa Religionem tentationes, vel in præsenti mortis periculo.* 289
QUARTA CONCLUSIO. *Præceptum Ecclesiasticum percipiendi Sacramentum Confirmationis obligat, cum baptizatus pervenit ad annos discretionis, & eo præsertim tempore quo præsens est ac paratus Episcopus illud administrare, nullamque baptizatus habet legitimam causam differendi illius perceptionem.* ibid.
QUÆSTIO III. *De causis, seu auctore, ministro, & subjecto Sacramenti Confirmationis.* 290
ARTICULUS I. *De auctore Sacramenti Confirmationis: an, & quando fuerit a Christo institutum.* ibid.
Opiniones Scholæ. ibid.
CONCLUSIO. *Christus immediate per se instituit Sacramentum Confirmationis; quo præcise tempore, plane incertum est.* 292

AR-

ARTIC. II. *De ministro Sacramenti Confirmationis.* 294
Minister Ordinarius Confirmationis. ibid.
CONCLUSIO. *Solus Episcopus ex institutione divina ordinarius est Sacramenti Confirmationis minister.* 296
Solvuntur Objectiones. 300
Minister extraordinarius Confirmationis. 307
Utrum Ecclesia in Conciliis Florentino, vel Tridentino, quidquam definierit circa ministrum extraordinarium Confirmationis. ibid.
CONCLUSIO. *Possunt simplices Presbyteri, ex delegata auctoritate seu dispensatione, administrare Sacramentum Confirmationis.* 309
Solvuntur Objectiones. 312
ARTIC. III. *De subjecto Sacramenti Confirmationis.* 318
QUÆSTIO IV. *De effectibus Sacramenti Confirmationis.* 320
ARTIC. I. *De gratia quæ per Sacramentum Confirmationis confertur.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Sacramentum Confirmationis confert sanctificantem gratiam, non quidem primam, saltem per se, sed secundam.* 321
SECUNDA CONCLUSIO. *Gratia propria Sacramenti Confirmationis, est gratia roboris ac virtutis ad fidem intrepide ac fortiter propugnandam, & superandas, quæ adversus eam insurgunt, dæmonis ac mundi tentationes.* 322.
Solvuntur Objectiones. 323
ARTICULUS II. *De charactere quem imprimit Confirmatio, & de ritu quo redeuntes ab hæresi olim recipiebantur; an verum esset Confirmationis Sacramentum. Errores & opiniones.* 324
PRIMA CONCLUSIO. *Sacramentum Confirmationis characterem imprimit, unde iterari non potest.* 326
SECUNDA CONCLUSIO. *Ritus quo Hæretici conversi recipiebantur in Ecclesiam, non erat verum & proprium Sacramentum Confirmationis, sed mera dumtaxat cæremonia institutionis Ecclesiasticæ.* 327
Solvuntur Objectiones. 331
* APPENDIX. *De aliis Confirmationis effectis ex V. Cl. D. P. Chardonii historia Sacramentorum, cum notis Latini Interpretis.* 339
* §. I. *De miraculis & supernis visionibus effectus ordinarii Confirmationis primis duobus sæculis. Quanto tempore gratiæ ejusmodi fuerint in Ecclesia communes.* ibid.
* §. II. *Ostenditur tertio sæculo donum miraculorum & visionum fuisse adhuc satis in Ecclesia commune.* 345
QUÆSTIO V. ET ULT. *De cæremoniis Sacramenti Confirmationis.* 351
De cæremoniis quæ præcedunt Confirmationem. 352
De cæremoniis quæ comitantur Confirmationem. 353
De cæremoniis quæ sequuntur Confirmationem. 354

PRÆ-

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO BAPTISMI.

TOtam de Baptismo disputationem quinque absolvemus Quæstionibus.

Prima, de nomine & natura Baptismi : ubi de materia, forma, & discrimine illius a Baptismo S. Joannis.

Secunda, de necessitate seu existentia Baptismi.

Tertia de caussis Baptismi : ubi de auctore, ministro, & subjecto illius.

Quarta, de effectibus.

Quinta, de cæremoniis; sive quæ antecedunt, sive quæ comitantur; sive quæ sequuntur Baptismum.

Priusquam vero ad rem nostram propius accedamus, statim in fronte hujus Tractatus Tridentini de Baptismo Canones velut doctrinæ Catholicæ fundamentum præmittendi sunt.

Canones Concilii Tridentini de Baptismo Sess. 7.

Can. 1. *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.* *Tom. 14. Conc. p. 777. & seq.*

Can. 2. *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi : Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum*

mater est & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.

Can. 4. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis . . . ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi susceptí memoriam, ut vota omnia quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo, anathema sit.*

Can. 10. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione, & fide susceptí Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, verum & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud Infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.*

Can. 12. *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, quo Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.*

Can. 13. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, susceptο Baptismo inter Fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola Fide Ecclesiæ, anathema sit.*

Can. 14. *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

QUÆSTIO PRIMA,

De nomine & natura Baptismi.

UT plene innotescat quæ sit Baptismi natura, nomen ejus, definitionem, materiam, sive remotam, sive proximam, formam, ac discrimen a Baptismo Joannis expendere necesse est.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & definitione Baptismi.

BAptismi nomen origine græcum est, a verbo βαβτω vel βαβτιζω; ideſt mergo, tingo; hinc βαπτισμα, immersio, tinctio: quia scilicet, qui olim baptizabantur, toti aquis immergebantur seu tingebantur.

Nomen Baptismi considerari potest vel secundum significationem grammaticalem, vel secundum significationem Ecclesiasticam & sacramentalem.

Varia nominis baptismi significatio apud Auctores sacros.

Quadruplex distingui potest nominis baptismi significatio apud Auctores sacros. Prima, litteralis & communis. Secunda, cæremonialis seu legalis. Tertia, accommodatitia seu metaphorica & figurata. Quarta, sacramentalis & Ecclesiastica.

I. Juxta litteralem vim nominis, baptismus, ut mox dixi, idem est, ac immersio & intinctio: cum vero quod lavatur, totum soleat aquis immergi, Græci eodem utuntur nomine ut immersionem, tinctionem, & lotionem seu ablutionem vulgarem significent. L. 4. Reg. c. 5. v 14. de Naaman dicitur: *Descendit, & lavit in Jordane septies.* Græce, εβαπτισατο. De Judith, Libro cui nomen dedit c. 12. v. 7. *Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ*, id est, lavabat se, lotione communi & vulgari.

III. Nomen baptismi usurpatur in Scripturis ad significandas lotiones illas legales & cæremoniales, quibus tam frequenter uti solebant Judæi: unde *Baptistæ* appellantur a S. Justino, Dialogo cum Tryphone; hincque nata secta Hemerobaptistarum; seu eorum, ut loquitur S. Epiph. hæresi 16. *qui tam vere, autumno, quam æstate atque etiam hyeme quotidie lavant.* De his frequentissimis Judæorum baptismatibus seu lotionibus S. Marcus c. 7. v. 3. & 4. ait: *Pharisæi & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, & a foro nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum & lectorum.* Observat etiam S. Paulus Hebr. 9. v. 10. Judæorum hostias *solummodo in cibis & in potibus, & variis baptismatibus* fuisse positas. Baptismus quoque S. Joannis cæremonialis quidem fuit, sed e Cælo veniens, & ad Baptismum Christi per pœnitentiam, ad quam hortabatur, viam sternens, ac præparans.

Ed. Par. 1615. *p.* 307. A. *Ed. Par.* 1622. *T.* 1. *p.* 37. A.

III. Sensu accommodatitio seu metaphorico & figurato nomen baptismi usurpatur in Scripturis, ad significandam primo afflictionem, quæ hominem instar aquæ vehementis mergit & absorbet. Quo sensu Christus apud S. Lucam c. 12. v. 50. dicebat: *baptismo autem habeo baptizari*: hoc est, pati debeo & affligi: aquæ enim frequenter in Scripturis significant afflictionem, & dolorem. Ps. 68. v. 1. David ad exprimendam afflictionis suæ vehementiam, dicebat: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Et v. 15. & 16. Deum ita deprecatur: *Eripe me de luto, ut non infigar; libera me ... de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum.*

Hinc propter dolorem annexum, nomen baptismi pœnitentiæ & martyrio adaptatur.

Pœnitentiæ quidem & perfectæ contritioni; unde dictus *Baptismus flaminis*. Marci 1. vers. 4. & Lucæ 3. vers. 3. Joannes dicitur *prædicans Baptismum pœnitentiæ*. Ratio est, quia qui pœnitentia compunguntur, ii corde contrito, ac lacrymis perfusi veniam peccatorum suppliciter deprecantur: unde a SS. Patribus pœnitentia sæpius baptismus laboriosus, seu lacrymarum appellatur. Hoc sensu Sedulius de muliere peccatrice rigante lacrymis pedes Christi apud S. Lucam cap. 7. sic canit: *purgata recessit per gemitum, propriique lavans in gurgite fletus, munda suis lacrymis redit, & detersa capillis.* Non desunt qui eodem sensu interpretantur etiam istud Apostoli, 1. Corinth. 15. v. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* idest, affliguntur & macerantur.

Martyrio quoque baptismi nomen accommodatur, unde dictus *Baptismus sanguinis*. Quo sensu Marci 10. vers. 38. Christus filiis Zebedæi ait: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari?* ideſt, supplicia & mortem sustinere. Sic sanctus Basilius Homil. de 40. Martyribus, loquens de illo qui triginta novem se adjunxit: *Baptizatus est in ipsum* (Jesum Chri-
Ed. nov. T. 2. p. 155. A. stum) ait: *non ab alio, sed a propria fide; non in aqua, sed in proprio sanguine.* Et sanctus Chrysostomus Homilia in sanctum Lucianum Mar-
Ed. nov. T. 2. p. 526. A. tyrem: *Neque miremini*, inquit, *quod baptismum martyrium vocaverim: nam & hic Spiritus cum multa advolat ubertate, ac peccatorum abolitio, & animæ fit purgatio quædam mirabilis, ac stupenda: & quemadmodum ii, qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur.*

Usurpatur præterea sensu figurato baptismus, ad designandam abundantem & copiosam gratiæ Dei diffusionem. Actor. 1. vers. 5. de Apostolis dicitur: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Et Matth. 3. vers. 11. S. Joannes de Christo ait: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.* Per ignem autem nonnulli sensu spiritali, ac mystico intelligunt uberem Spiritus sancti gratiam, quæ instar ignis omnes peccatorum sordes absumit, nec ab effectu potest re-
Ed. Par. 1622. *p.* 36. A. tardari, adeo vehemens est & activa. Ita sanctus Chrysostomus Hom. 11. in Matth. & sanctus Gregorius Thaumaturgus Serm. in sancta Theo-
Ed. post. T. 1. p. 262. A. phania, ad hæc verba: *Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto & igne. Aqua*, inquit, (baptizabit) *ut quæ peccatorum sordes abluere potest; Spiritu, ut qui terrenos, spirituales reddere potest; igne, ut qui solet iniquitatum spinas comburere.*

Alii verum ignem sensu litterali intelligunt, ajuntque, sanctum Joannem alludere ad species illas linguarum ignearum, quæ in die Pentecostes visæ sunt dispertitæ supra capita Apostolorum, cum Spiritu sancto, ejusque donis repleti sunt. Ita sanctus Joannes Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 9.

ADDITIO.

(*)

PAatres alii qui ignem litterali ſenſu acceperunt, agnoſcunt dumtaxat futuræ vitæ Baptiſmum ignis, qui teſte Hilario in Pſal. 118. nos manet in diem judicii: per Ambroſium vero miniſtratur cunctis in ipſo limine Paradiſi. Simile quid Origenes Hom. 3. in Pſal. 36. & Hom. 24. in Lucam: & Lactantius l. 7. c. 21. intellexit per ignis Baptiſmum, & fundatur hæc Patrum opinio in Apoſtolo 1. ad Cor. 3. ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem. Baſilius l. 5. contra Eunom. aliique Baptiſmum ignis de pœnis inferni, extremoque Judicio expoſuere. Auctor Op. imperfect. in Matth. Hom. 3. ærumnas, quibus Deus in hac vita exercet electos intellexit. Auguſtinus exorciſmos, qui Baptiſmo præeunt, non incongrue igne deſignatos cenſuit in Pſ. 65. ubi percontatur; Unde plerumque immundi Spiritus clamant, ardeo, ſi ille ignis non eſt? poſt ignem autem exorciſmi, venitur ad Baptiſmum.

(*)

Uſurpatur denique ſenſu figurato Baptiſmus, ad ſignificandum tum diluvium univerſale, quo ſubmerſus eſt univerſus Orbis, & vocatur a Tertulliano L. de Baptiſmo, *Baptiſmus mundi*, qui juxta S. Petrum Epiſt. 1. c. 3. v. 21. fuit imago & figura Sacramenti baptiſmatis: tum maris rubri tranſitum, quando nempe Iſraelitæ ſicco pede diviſis aquis incedentes, Ægyptios inſequentes evitarunt, & dictus eſt baptiſmus Moſis, quia duce Moſe Iſraelitæ ex Ægypto egreſſi ſunt, de quo Apoſtolus 1. Cor. 10. v. 2. *Omnes*, inquit, *in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari*. Ed. Rig. p. 247. B.

Omnes porro illæ figuræ, ac metaphoricæ baptiſmi ſignificationes, deſumuntur ex analogia, ſeu ſimilitudine, quam habent vel cum materia, vel cum effectu noſtri Baptiſmi.

Non eſt vero audiendus Socinus, qui præter adductas figuratas nominis baptiſmi ſignificationes, novam plane & inuſitatam invehit, contendens nomine baptiſmi doctrinam Evangelicam aliquando deſignari in Scripturis. Verum, ut ex dicendis inferius conſtabit, merum iſtud eſt cerebri Sociniani figmentum, cujus ne tenuiſſimum quidem extat in Scripturis fundamentum.

IV. Denique, uſu Eccleſiaſtico & ſacramentali baptiſmi nomen ſignificat lotionem illam ſacram, myſticam, & religioſam, qua quis aqua tingitur ſeu baptizatur in corpore, ut ſpiritu interius renaſcatur, & dicitur vulgo *Baptiſmus fluminis*, quo Chriſtiani ſimus: de quo Matth. 28. v. 19. Chriſtus Apoſtolis & Diſcipulis dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Et Joan. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Proprie & ad litteram ritus ille Baptiſmus dictus eſt, quia, ut jam obſervatum fuit, qui baptizabantur, olim toti aquis immergebantur.

De Baptiſmo ſecundum hanc poſtremam ſignificationem prout nempe

Sacramentum est novæ Legis, hoc in Tractatu loquimur. Variis autem nominibus solet tum in Scriptura, tum apud SS. Patres designari.

Varia nomina Sacramenti Baptismatis.

Varia hæc nomina desumuntur partim a materia, partim a forma, partim ab effectibus, partim denique a cæremoniis Baptismi.

A materia appellantur: *Lavacrum aquæ*, Ephes. 5. v. 26. *Sacramentum aquæ*, a Tertulliano lib. de Baptismo c. 1. *Unda genitalis*, *fluvius aquæ vitalis*, a S. Cypriano epist. 2. & a S. Gregorio Nazianzeno Oratione in sanctum Baptisma.

A forma appellatur; *Sigillum*, *Signaculum*, *Obsignatio fidei*, *Sacramentum Trinitatis*, *Sacramentum fidei*, tum quia per Baptismum homo inter Fideles adscribitur; tum quia sollemnem fidei suæ professionem, vel per se si adultus sit, vel per susceptores, si infans, emittit; tum quia expressa in eo fit SS. Trinitatis invocatio.

Ab effectibus vocatur: *Lavacrum regenerationis & renovationis* ab Apostolo ad Titum 3. v. 5. *Ablutio peccatorum*. Act. 22. v. 16. *Vitæ novitas*, Rom. 6. v. 4. *Sanctificatio*, 1. Cor. 6. v. 11. *Sepultura hominis cum Christo in mortem*, Rom. 6. v. 4. *Circumcisio non manufacta*. Colos. 2. v. 4. *Illuminatio*, seu Sacramentum illuminationis, Hebr. 6. v. 4. Nomina hæc passim afferunt & confirmant SS. Patres. Tertullianus lib. de pœnit. c. 6. appellat Baptismum, *fidei obsignationem*; S. Basilius Hom. 13. dicit esse *sigillum quod conatu nullo frangi potest*. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. *Sigillum est*, inquit, *quia conservatio est, ac donationis significatio*; S. Augustinus epist. 185. alias 50. c. 6. *Signaculum*, appellat *Redemptoris*; & Conc. Trident. Sess. 6. c. 7. *Sacramentum Fidei*. Græci præsertim appellant: *Sacramentum illuminationis*, unde S. Cyrillus Jerosolymitanus Catecheses suas de Baptismo inscripsit: *Catecheses illuminatorum*; S. Gregorius Nazianzenus Orationem suam 39. quæ est panegyrica Baptismi Christi, inscripsit: *Orationem in sancta lumina*. Multa alia congerunt nomina, quibus vis & energia Baptismi exprimitur: unum sufficiat testimonium S. Gregorii Nazianzeni Oratione 40. in Baptisma, ubi sic loquitur: *Baptismus est splendor animarum, vitæ in melius commutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum. Baptismus carnis est abjectio, spiritus affectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cælestis regni, clavis, servitutis depulsio, vinculorum solutio . . . omnium Dei beneficiorum præclarissimum & præstantissimum?* Et postea: *Donum vocamus, gratiam, Baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum &c.*

Denique a cæremoniis Baptismus dicitur *Vestimentum candidum*, a S. Cyrillo Jerosolymitano; *Unctio* a S. Gregorio Nazianzeno &c.

p. 125. A. T. 2. p. 117. D. Ed. Par. 1609. T. 2. p. 639. A. Ed. nov. T. 2. p. 653. A. Tom. 14. Conc. p. 759. D. T. 1. p. 638. B. Ibid. D.

A Da

ADDITIO.

(*)

Figuræ Baptiſmi.

Baptiſmi figuras eleganter percenſet S. Hieronymus in epiſt. ad Oceanum. Rudis, *inquit*, mundus necdum ſole rutilante, nec pallente luna, nec aſtris micantibus, incompoſitam, & inviſibilem materiam abyſſorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat: ſolus Spiritus Dei in aurigæ modum ſuper aquas ferebatur, & naſcentem mundum in figura Baptiſmi parturiebat. Inter cælum, & terram medium extruitur firmamentum, & juxta Hebraici ſermonis ἐτυμολογίαν cælum, id eſt, Samaim ex aquis ſortitur vocabulum, & aquæ, quæ ſuper cælos ſunt, in Laudes Dei ſeparantur... Primum de aquis, quod vivit, egreditur, & pennatos fideles de terra ad cælum levat. Fabricatur homo de limo, & inter manus Dei aquarum Sacramenta verſantur. Plantatur Paradyſus in Eden, & unus fons in quatuor principia dividitur: qui poſtea egrediens de templo, & contra ſolis ortum vadens amaras aquas mortuaſque vivificat. Peccat mundus, & ſine aquarum diluvio non purgatur: ſtatimque Columba Spiritus ſancti, expulſo alite teterrimo, ita ad Noe quaſi Chriſtum in Jordane advolat, & ramo refectionis ac luminis pacem orbi annunciat. Pharao cum exercitu ſuo nolens populum Dei exire de Ægypto, in typo Baptiſmatis ſuffocatur... Maria mutantur ſacramento Crucis, & ſeptuaginta palmæ Apoſtolorum dulcoratis legis gurgitibus irrigantur. Abraham, & Iſaac, puteos fodiunt, repugnant Allophyli. Et Berſabeæ Civitas juramenti, regnumque Salomonis nomen ſumit a fontibus. Rebecca invenitur ad puteum. Rachel propter aquas ſupplantatoris oſculo ſalutatur. Moyſes filias Sacerdotis Madian aperto puteo ab injuria vindicat. Præcurſor Domini in aquis fontium juxta Salim, quod interpretatur pax ſive perfectio, Chriſto populum parat. *Hactenus Hieronymus, æmulus, & imitatos præclarus Tertulliani, cujus nos textum, & quæ adhuc reſtant aquarum encomia, alibi proferemus. Nunc quæ uterque Patrum præteriit baptiſmata, ac luſtrationes Judæorum ad calculum revocemus, atque commemoratis eorum ritibus, ac ſcopo, in quem ferebantur; num Paganorum balneis, atque lavationibus, imo & Chriſti Baptiſmo originem, initiumque dederint, definiamus.*

Non unius modi fuiſſe, neque ad eumdem pertinuiſſe finem, nec uno prorſus ac eodem ritu celebratas eſſe apud Judæos luſtrationes omnes ex ſe quidem planum eſt, ac obvium; tamen, ne hic etiam noſtra a quoquam deſideretur induſtria, ad quatuor cunctas genera reducemus. Primum genus *conſtituunt luſtrationes illæ, quæ ad teſtandam adverſus numen & ſacra Religionem, honoremque agebantur. Talis erat, quam Jacob a declinatis feliciter fraternis inſidiis erecturus Altare Deo in Bethel domui ſuæ indixit Gen. 33. v. 2.* Abjicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, & mutate veſtimenta veſtra. *Talis, cujus memoria proſtat Exodi 19. v. 10. Præparaturus namque Deus populum ad ſuam cum Moyſe collocutionem auribus ipſis per-*

cipiendam, præter continentiam a convictu mulierum corporis etiam veſtiumque ablutionem imperavit. Ad alteram claſſem *ſpectant lavacra, quæ ad inaugurationem Sacerdotum, & Levitarum, Tabernaculi, Altarium, & ſacræ ſuppellectilis conſecrationem invecta ſunt; quæ ipſa diverſum quid ac differens in ritu habuerunt. Aaron cum filiis non prius ſacris inſigniis donati ſunt, quam puro latice corpora eluiſſent, Exodi 29. v. 4. neque iidem ad fores Tabernaculi applicati fuere, niſi repetita luſtratione purgati, Exodi 40. v. 12. Conſecratio ipſa Aaronis, & filiorum, imo & tabernaculi, altarium, ac ſuppellectilis præter illam aquæ ablutionem ſanguinis etiam acolei aſperſione agebatur, Exodi 29. v. 20. & 21. & Levit. 8. v. 11. & 30. Levitarum inſtitutio luſtratione aquæ, pilorum abraſione, veſtiumque ablutione definiebatur, Num. 8. v. 7.* In tertia Claſſe *fuere baptiſmata illa, quæ eluendis legalibus miraculis adhibere mos fuit; aut virorum, mulierumque fœditati, & communibus utriuſque ſexus malis lepræ, profluvio ſeminis, medendis inſtituta ſunt: his namque omnibus & ablutio & quidam Sacrificii modus ex præſcripto reſpondebat, Levitici 13. 14. 15. & 16. capitibus. Eidem fere legis diſpoſitioni ſubdebantur, qui contactu victimæ pro peccatis oblatæ ſe inquinaſſent, Levit. 6. v. 27. & 28. Qui vaccæ die ſollemnis expiationis immolatæ, aut humani cadaveris, aut rei cujuſcumque pollutæ attrectatione, aut commercio maculam contraxiſſent, eis peculiaris expiationis ritus, Num. 19. decretus eſt. Quæ omnia exacte hic referre & longum & inutile eſſet.* Poſtremam demum claſſem *efficit Baptiſma Proſelytorum, de quo nonnulla, quæ ex Judæorum narratione ſunt cognita, ediſſeram.*

Ajunt igitur in Proſelytorum numero fuiſſe non eos modo, qui ad ſacras Judæorum tranſiſſent; verum & qui in ditione ipſorum fixas obtinerent ſedes; & hos quidem Proſelytos domicilii, illos juſtitiæ fuiſſe nuncupatos. *Proſelytos domicilii non Baptiſmo, aut circumciſione, ſed ſola idolorum abdicatione, & legum nonnullarum obſervantia; Proſelytos juſtitiæ circumciſione Synagogæ adſcriptos, atque ab obductio circumciſionis vulnere undis Baptiſmatis initiandos fuiſſe. Jam hanc Baptiſmi cæremoniam Maimonides quidem neceſſariam fuiſſe ſtatuit, cum contra alii neceſſitatem ejus inficientur. In deſignanda etiam ejuſdem origine Rabbinis non convenit: Maimonides ritus initia a Moyſe repetit. Grotius in Matth. 3. v. 6. obtinuiſſe contendit hoc Baptiſmatis genus inde a diluvio, quaſi in expiati mundi memoriam invectum fuerit. Alii Cæremoniæ auctores Phariſæos faciunt, quos perhibent a captivitate Babylonica, ultra præſcriptum legum, ritus, moreſque non paucos in diſciplinam invexiſſe. Neque minus controverſa ſunt privilegia; qui enim ſupra modum eadem extulere, ferunt ablutum novam, cælituſque immiſſam animam accipere, renaſci, atque ad novam vitam reſurgere; imo & non vulgaria commoda ex parentum baptiſmo in liberos derivari, quale ſane eſt, quod mater prole fœta, cum ipſa baptiſmali fonte initiatur, in privilegii ſui conſortium prolem quoque ex ſe naſcituram continuo trahat, atque ambo una, & communi ablutione in Iſraelitarum cœtum cooptentur: quod ex baptizato Patre, geniti ipſo jure Iſraelitis accenſeantur, neque alia quam Circumciſionis initiatione porro opus habeant. Ex adverſo Rabbini, qui ejuſdem Baptiſmatis privilegia extenuant, aut deprimunt, contendunt nihil proficiente Baptiſmate Proſelytos vix longo ſæculorum tractu alienigenarum e cœtu exemptos fuiſſe, nullis civilibus, nullis militiæ honoribus admotos; filias eorum a conjugiis Sacerdotum excluſas, filios vero ex*

matris

matris gentilis vitio in gentium numero habitos: denique Proselytos quosvis, nonnisi post duodecim mensium tolerata apud inferos supplicia, Paradisi compotes fieri; sive quod credant, istorum vitio Messiæ adventum in longum differri, sive quod ex istorum convictu labem omnem, ac corruptionem in Israel invectam putent, quare etiam hoc hominum genus vulgo scabiem Israelis *appellant. Jam ex hoc qualicumque Hebræorum baptizandi more Proselytos, effluxisse Christianorum Baptismа contendunt faventibus nonnullis Catholicis Hæretici passim, Grotius Wollogenius, Ligthfootus, quo autem fœnore, nescio, nisi forsan, ut sic erroribus suis planiorem viam aperiant, sternantque, & perinde Christianorum Baptismatis necessitatem inter natos fidelium evertant, atque symbolum id dumtaxat notamque Christianæ Religionis efficiant.*

Propositа aliorum sententia, necesse est, ut nostrum aperiamus de re tota judicium: sic autem statuo cum Justino in Apol. 2. ad Antoninum, & Tertulliano: ex vaticiniis Scripturarum, & Judæorum more, gentium lavacra, & balneationes, quæ mysterii aliquid habuere, profectas esse: Justinus ex Vaticinio Isaiæ 1. v. 16. Lavamini, mundi estote . . . si peccata vestra fuerint ut vestimentum puniceum tamquam lanam dealbabo; & si fuerint ut coccinum, tamquam nivem candida reddam. *Lavandi morem apud gentes convaluisse ait; verba illius sunt:* Porro lavationem hanc cum audissent dæmones per prophetam promulgatam, ut & ingressuri in delubra eorum, & accessuri ad illos, atque libationibus, & adipis nidoribus offerendis operaturi seipsos aquæ asperſione lustrarent, effecerunt. Quin ut toto quoque corpore laventur prodeuntes, priusquam ad templa, ubi illi collocati sunt, veniant, instinctu & opera sua curant. *Tertull. de Præscript. cap.* 40. Ceterum si Numæ Pompilii, *inquit*, superstitiones revolvamus, si Sacerdotalia officia, insignia, & privilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum Sacrificiorum, ac piaculorum & votorum curiositates consideremus; nonne manifeste diabolus morositatem illam Judaicæ legis imitatus est. *Nec diffiteor, nostri Sacri Baptismi figuras & præludia quædam fuisse lustrationes Judæorum, ablutionesque, eas præcipue, quæ ad legales maculas, aut corporis immunditiem, lepramque lavandam ex Sacrarum Scripturarum præscripto sunt olim admotæ. Præeunt mihi in hanc sententiam omnes illi, qui Naaman Syri septemplicem lavationem in Jordane ex Helisæi Prophetæ mandato susceptam nostro baptismati præluisse affirmant, quales sane sunt Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 9. Ambrosius lib. de initiandis c. 3. & de Sacramentis lib. 1. c. 5. lib. 2. c. 3. & lib. 4. in Evangelium S. Lucæ. Aug. Serm. 44. de tempore. Commentator incertus in libros Regum, qui sub nomine S. Eucherii Lugdun. vulgo circumfertur, Ado in Chronico, & Berengosus Abbas, aliique magno numero.*

Ut vero hæc omnia lubens concedam, induci non possum, ut in Proselytorum baptismo originem lavacri nostri a Christo fundati constituam. Et vero ut hic etiam a Grotio aliisque, qui cum ipso faciunt, dissentiam, causam habeo multiplicem. Prima sit, quod nullibi vestigium ejus Proselytorum Baptismi in sacris literis legam. Sane nec Jethro, ejusque familia, nec Ruth, nec Rahab, Achior, aut alienigenarum alium quemquam sacris Judaicis lavacro initiatum comperio. Josephus vero Antiquit. lib. 13. cap. 17. cum de Idumæorum ad sacra Judæorum ab Hircano traductorum circumcisione referat, de initatione per lavacrum alium silet. Quæ res profecto non modico mihi est argumento, ut aut nullum

ad

ad usus ejusmodi fuisse apud Judæos baptismum; aut si quis erat, ex Pharisæorum disciplina, & multo serius eumdem emanasse pronunciem. Hoc vero si ita sit, quis credat, Salvatorem, qui sæpe sæpius consuetudines, ac traditiones Pharisaicas, ut vanas, inanes, ac superfluas sugillavit, ex illo fonte institutionum suarum principia ducturum fuisse. Huc quoque facit, quod, cum proprium fuerit Summorum Prophetarum baptismata constituere, ut sane liquet ex illo Pharisæorum effato ad Joannem Baptistam: quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? *Joan. 1. v. 12. incredibile prorsus appareat aut Pharisæos instituisse ejusmodi baptisma, aut Christum ad exemplum hominum privatorum Ecclesiæ suæ Baptisma daturum fuisse. Quid? quod Christianus Baptismus* Cælestis *prorsus sit, sicut virtute, ita & origine. Et vero si Joannis Baptismus ex Christi effato Matth. 21. ver. 25.* e Cælo erat non ex hominibus, *quanto magis ille excellentissimus, qui fit* in aqua, & Spiritu, *quo Christo capiti membra aggregamur, e Cælo manasse dicendus est. Denique firmis prius argumentis comprobandus esset Proselytorum Baptismus, quam in eo origo nostri Baptismi deponatur. Equidem si, quod Rabbinorum nonnulli nugantur, tam pervagata tunc res erat Proselytorum Baptismus, atque virtus, quam ei affingunt transmutandi hominis; ignorare hanc non debuit, neque potuit Nicodemus, qui Magister erat in Israel, cum Christum audiret affirmantem*: nisi quis renatus fuerit, *Joan. 3. At miratur, stupet, & rei insolentissimæ novitate perculsus exquirit sollicite*: quomodo potest homo nasci, cum sit senex, nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?

(*)

Definitio Baptismi.

Variæ definitiones Baptismi proferuntur tum ab hæreticis, tum ab orthodoxis Theologis, cum eo discrimine, quod primi naturam Baptismi adulterando fidem violant; postremi, salva fide, magis aut minus accuratam & evolutam definitionem proponunt.

Definitiones Baptismi ab Hæreticis conflictæ.

Inter Hæreticos Philippus Melanchton in Locis suis communibus, definit Baptismum, *signum quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam.*

Verum definitio hæc convenit omni Sacramento, imo & verbo prædicationis; ac supponit Baptismum esse nudum signum, gratiæ sanctificantis non productivum.

Ed. Geneve 1554 p. 481. n. 1. Calvinus l. 4. Instit. c. 15. *Baptismus*, inquit, *est signum imitationis, quo in Ecclesia cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur.*

Verum definitio hæc peccat I. quod explicet tantum Baptismum per finem secundarium, nempe cooptationem inter filios Dei, & potestationem fidelitatis, quam Deo, & Ecclesiæ debemus, non vero per primarium & præcipuum effectum, regenerationem scilicet interiorem hominis, & a peccatis mundationem.

II. Quia innuit Baptismum esse nudum signum, non vero efficax gratiæ sanctificantis.

III. Quia convenit ex æquo circumcisioni; imo, juxta Calvinistas, etiam longe aptius quam nostro Baptismo; tum quia secundum illos fi-

lii Fidelium, quamvis non baptizati, in societatem Ecclesiæ sunt cooptari, Christo insiti, Dei filii : tum quia Circumcisio longe melius distinguebat Judæos a ceteris gentibus, cum ipsi corpori impressa adhæreret tenacius; noster vero Baptismus in actione positus fluat & transeat exterius, solo superstite interiori & invisibili caractere.

Sociniani post Socinum de Ecclesia, titulo de Baptismo: Tom. 1. pag. 250. & Epistola ad Matthæum Radecium ibid. pag. 384. & passim disp. de Baptismo ibid. pag. 709. definiunt Baptismum, *adumbrationem remissionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nominis apertam professionem, & in ipsius Religionis quamdam imitationem, per quam nihil revera datur, sed tantummodo eorum, quæ vel jam data esse, vel datum iri certissimum est, externa quædam agnitio significetur. Aqua enim baptizari in nomine Christi, nihil aliud est,* inquit Socinus disp. de Baptismo cap. 5. *quam publice Christo nomen dare, ejusque fidem, quæ in corde lateat, palam testari ac profiteri; itaut non Christianum ulla ex parte Baptismus efficiat, sed indicet atque declaret.*

Brevius Volchelius l. 6. de vera Religione c. 14. *Baptismus*, inquit, *nihil aliud est quam publicum Christianæ professionis symbolum, quo per intinctionem in aquam, homines illius Religionis initiantur.*

Multiplex ea in descriptione Baptismi vitium est, nec unus latet error: nempe, Baptismum nudam esse & otiosam cæremoniam; necessarium non esse, sed indifferentem: nullum extare illius percipiendi fixum ac permanens mandatum: quæ omnia, quam sint a fide Catholica aliena, ostendemus inferius, ubi de necessitate & efficacia Baptismi.

A Socinianis non multum recedit Episcopus in responsione ad 64. quæstiones, Tom. 1. pag. 37. ubi duplicem affert Baptismi definitionem; unam, qua Baptismus dicitur esse tantum *tessera, nota, signum vel sigillum, quale Diplomatis suis Reges affigere solent, professionis publicæ, quo Christiani Religione sumus, cujusmodi signum populo Israelis erat Circumcisio.* Atque juxta hanc Baptismi ideam, ait, *mandatum Baptismi eos omnes obstringere tantum, qui professione sunt Christiani.* Altera definitio est, qua Baptismus dicitur *signum resipiscentiæ, & sigillum remissionis peccatorum ante eum susceptum perpetratorum.* Atque juxta hanc definitionem, addit Episcopius *Baptismi mandatum ad eos pertinere, qui vel a paganismo ad Religionem Christianam transeunt, vel in Christiana Religione nati, peccatis se obstrinxerunt: unde si quis nulla peccata (quod rarum) perpetrasset, ad eum*, inquit, *mandatum Baptismi pertinere non auderem dicere, sed Christi illud dictum referrem Matth. 9. v. 12. Non est opus valentibus medico.*

Verum definitionem hanc Baptismi, quæ cum Sociniana cohæret, falsam esse, multisque implicatam erroribus, constabit ex dicendis tum de necessitate, tum de efficacia & effectibus Baptismi.

Orthodoxæ Baptismi definitiones.

Hugo a S. Victore l. 2. de Sacramentis par. 6. c. 2. *Baptismus*, inquit, *est aqua abluendis criminibus sanctificata.* P. 452. D

Magister Sentent. l. 4. dist. 3. *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum præscriptam.*

Eamdem cum Magistro definitionem adducit S. Th. 3. p. q. 66. art. 1.

Ca-

Catechismus Concilii Trid. paragr. 2. n. 5. definit Baptismum: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Alii paullo explicatius exponunt illud, *in verbo*, & ajunt, *Baptismum esse Sacramentum regenerationis per aquam, cum expressa SS. Trinitatis invocatione.* Posterior hæc definitio accurata videtur: tum quia verbis Scripturæ exprimitur, partim ex c. 3. S. Joan. v. 5. partim ex S. Paulo ad Titum 3. v. 5. & ad Ephesios 5. v. 26. partim ex S. Matth. c. 28. v. 19. Tum quia omnes Baptismi partes explicat.

I. Dicitur *Sacramentum*, quod est genus.

II. Additur *regenerationis*, quæ vox differentiam exprimit contrahentem genus, & distinguentem Baptismum tum a Sacramentis veteribus, tum etiam ab aliis novæ Legis; solus quippe Baptismus inter Sacramenta Evangelica proprie regenerat: *Non solum*, inquit Chrysost. Catechesi 1. ad illuminandos, *nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat; sed ita id præstat ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat, & format, non ex terra rursum effingens, sed ex alio elemento, aquarum scilicet natura creans.*

Ed. nov. T. 2. p. 229. E.

III. Additur *per aquam*; quæ est alia differentia magis contrahens, & distinguens ab aliis Sacramentis novæ Legis, ipsamque Baptismi designat materiam.

IV. Denique dicitur, *cum expressa SS. Trinitatis invocatione*, quibus verbis forma Baptismi exprimitur.

Ex hac definitione colliges, Sacramentum Baptismi non esse ipsam aquam, prout est res permanens; sed esse ablutionem exteriorem, seu usum & applicationem aquæ.

Colliges 2. post S. Th. hic qu. 66. art. 1. in corp. tria distingui posse in Baptismo, scilicet, id quod Sacramentum tantum; quod est res Sacramenti tantum: & quod est Sacramentum simul & res Sacramenti.

Sacramentum tantum dicitur id, quod significat & non significatur: nempe quod exterius sensibus subjicitur, & est signum exterioris effectus; qualis est aqua, seu ejus usus & applicatio cum præscripta verborum forma.

Res Sacramenti tantum dicitur id, quod significatur & non significat; & est ipsa interior animæ ablutio, quæ fit per gratiam sanctificantem.

Sacramentum & res Sacramenti simul dicitur id, quod significat & significatur; & est caracter baptismalis, qui significat tum interiorem justificationem, vel quæ sit, vel quæ esse debeat; tum jus quod est in baptizato ad percipienda alia Sacramenta: significatur autem, quia est effectus ablutionis exterioris; omnis autem causa significat suum effectum.

ARTICULUS II.

De materia remota Baptismi.

DUplex distinguitur materia in Sacramentis, quæ in actione & usu consistunt, una remota, altera proxima.

Remota est res, quæ assumitur ad conficiendum Sacramentum: v. gr. in Baptismo aqua, in Confirmatione oleum.

Proxima est ipsa applicatio, seu usus materiæ remotæ, v. gr. in Baptismo ablutio, in Confirmatione unctio.

De

De materia dumtaxat remota Baptismi hic agimus, circa quam olim errores nonnulli insurrexerunt.

Errores circa materiam remotam Baptismi.

Duplex generatim statui potest ordo Hæreticorum, qui errarunt circa materiam Baptismi.

Primus eorum, qui aquam aut penitus sustulerunt, aut saltem in necessitate, valere in alio liquore Baptismum existimarunt.

Secundus, eorum qui illam adulterarunt adjecta rerum aliarum mixtione.

Primi ordinis Hæretici, qui aquam penitus sustulerunt; fuere

I. Omnes illi, qui Sacramenta omnia sive signa sensibilia rejecerunt; quales fuere nonnulli Gnostici, de quibus S. Irenæus Lib. 2. cap. 18. S. Epiphanius hæresi 34. Ascodrutæ & Archontici, de quibus Theodoretus L. 1. hæreticarum fabularum cap. 10. & 11. Beguinæ, & Beguardi, de quibus Joannes XXII. in Extravaganti: *Sancta Romana Ecclesia... De religiosis domibus*, in Sexto.

II. Cajani de quibus Tertull. L. de Baptismo c. 1. *Nuper*, inquit, *conversata istic quædam de Cajana hæresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit, in primis Baptismum destruens: nam fere viperæ & aspides, ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur.* *p. 214. A*

III. Quintilliani a Quintilla femina sic dicti, qui & Pepuziani nonnunquam appellantur, a vico Pepusæ, ubi conventus suos habebant & virus suum diffundebant liberius, eidem errori adhæserunt, teste eodem Tertulliano cit. mox c. 1. L. de Baptismo: *Quintilla*, inquit, *monstruosissima, cui nec integre quidem docendi jus erat, optime norat pasciculos necare, de aqua auferens.* Eodem Lib. cap. 2. refert Tertull. errori causam ac prætextum dedisse aquæ simplicitatem & vilem conditionem. Hunc porro errorem sequuta est Quintilla, antequam ad partes Montani accederet; Montano enim addicta, aquam Baptismi cum ipso retinuit. *Ibid.*

IV. Manichæi rati aquam esse a malo principio, Baptismum in aqua collatum ut plane inutile rejiciebant. Ita S. Aug. lib. de hæresibus, hæresi 46. circa fidem. *Baptismum in aqua*, inquit, *nihil cuiquam perhibent salutis afferre. Nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizant.* *T. 8. p. 17. C.*

V. Seleuciani & Hermiani ab auctoribus sic dicti, ac eodem cum Manichæis principio nixi, *Baptismum in aqua non recipiunt*, inquit S. Aug. L. de hæresibus, hæresi 59. & ante ipsum Philastrius in Catalogo hæreseon, quæ sub Apostolis extiterunt, ait *eos illo aquæ Baptismo non uti, propter verbum hoc, quod dixit Joannes Baptista: Ipse vos baptizabit in spiritu & igne*: quibus verbis constat quidem eos in aqua non baptizasse; sed in igne, & quomodo baptizaverint, incertum est. *Ib. p. 20. D. Bibl. PP. T. 5. p. 707 G.*

Sane antiquissimum esse morem in Baptismo ignem seu unctionem usurpandi, constat ex Heracleone apud Clementem Alexandr. in Libro de Prophetia. *Quidam*, inquit, *obsignatorum aures igni notabant.* Et de Valentino Tertullianus ait: *Bis docuit tingi tradudo corpore flamma.* Jacobitæ etiam a Jacobo Zanzalo Syro propagati, loco Baptismatis aquæ, ferro candente imprimunt in frontibus figuram crucis. Ita Bernardus Lutzem-

zemburgenſis in Catalogo Hæreticorum Lib. 2. verbo *Jacobita* (1). Ignem quoque adhibere perhibentur Æthiopes.

Quidam etiam Manichæi dicti Cathari, duodecimo ſæculo, dicebant non eſſe in aqua baptizandum, ſed in igne, cum Baptiſmus aquæ nihil proficiat. Ita refert Eckbertus Presbyter, qui floruit an. 1160. Sermone octavo adverſus quintam illorum Manichæorum hæreſim, quæ eſt de Baptiſmo aquæ. Fundamentum erroris deſumebant ex his verbis S. Joannis apud S. Matth. c. 3. *Ille baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igne*: quæ non ita interpretabantur, quaſi vellent ignem & uſtionem adhiberi debere in Baptiſmo; ſed *Baptiſmum in igne dicitur*, ait ibidem Eckbertus, *propter ignem luminum, quæ in circuitu ardent*. Narrat ſcilicet eos in hunc modum baptizaſſe. *Locantur*, inquit, *luminaria copioſe in circuitu cum reverentia magna. Statuitur in medio infelix ille, qui baptizandus ſeu catharizandus eſt, & aſſiſtit ei Archichatarus, tenens in manu Libellum deputatum ad officium hoc, quem imponens vertici ejus dicit benedictiones... orantibus ceteris qui circumſtant... & ſic perficitur ille Baptiſmus.*

Bibl. PP. *T.* 23. *p.* 615. A.

Ib. B. C.

Ibid. B.

VI. Bellarminus Lib. 1. de Baptiſmo cap. 2. & poſt eum multi alii recenſent inter Hæreticos, qui penitus aquam e Baptiſmo eliminarunt, Paulicianos e ſecta Manichæorum, qui, teſte Euthymio Panopliæ par. 2. tit.

---

(1) Jacobitis qui ſunt Copti partim & Abyſſini Baptiſmum Cauſticum primus imputaſſe putatur Jacobus de Vitriaco Hiſt. Orient. c. 76. ubi hæc de Jacobitis narrat: *Plures eorum ante Baptiſmum parvulos ſuos cum ferro calido adurentes, & ſignantes in frontibus imprimunt Cauterium; alii autem in ambabus genis, ſeu temporibus in modum Crucis infantes ſuos conſignant, perverſe putantes eos per ignem materialem expiari, eo, quod in Evangelio B. Matthæi ſcriptum ſit, quod B. Joannes Bapt. de Chriſto dixerit: ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Non diffiteor Jacobitas, ſicut & alios Orientalium populos ſtigmata corporibus & teneris & adultis, nunc ſacra, nunc profana, nunc huc, nunc illa parte inuſſiſſe. Hoc Nicephorus lib. 18. cap. 45. innuit; hoc multi oculis ſuis inſpexere: Rauchvvolf Itin. Orien. lib. 3. cap. 77. Vidit, & Vitriacus ipſe, Paulus Diaconus ex Theophane narrat lib. 17. Turcas Chriſtianorum exemplo edoctos olim Cruce fronti inuſta immunitatem aperte adeptos; ut multa alia præteream, quæ ex Raynaudo Tom. 13. de Stigmatiſmo huc inferre poſſem. At putaſſe perverſe Jacobitas cauteriis illis, igneque materiali aboleri peccatum originis, vellem, ex quo fonte hauſerit, prodidiſſet Vitriacus. Hic, ſi ubi, credendum fuit Jacobitis, in quorum brachiis Cruces ferro candente expreſſas ſe inſpexiſſe ait. At, quemadmodum ipſe narrat: *Jacobita ad Paganorum diſtinctionem, & ob Sanctæ Crucis reverentiam Crucis caracterem ſibi imprimi aſſerebant.* Non ergo hæ notæ ex deſtinatione illorum ad baptiſmum, & abolitionem peccati pertinuerunt. Et vero ſi illi huc referebant ſua Cauteria, poteratne tam enormem errorem præterire ſilens Demetrius Metropolita Cyzicenus, qui ſæculo VII. expoſuit Jacobitarum, & Catzizarorum Hæreſim Tom. 12. Bibl. PP. Confirmat præclare hanc noſtram ſententiam Ludolfus Hiſt. Æthiop. lib. 3. cap. 6. *Credidere*, inquit, *& ſcripſere plerique ſtigmate notari Æthiopes poſt Baptiſmum implendis verbis Joannis Baptiſtæ: Ille vos baptizabit Spiritu Sancto, & igne. Sed Gregorius* familiaris Ludolfo Abyſſinus, *negavit. Nec mentionem ejus rei faciunt Patres ſocietatis in ſuis Epiſtolis. Conſtat autem Africæ populos tam genziles, quam Mahumetanos pueris recens natis venas temporum cauterio inurere contra catarrhos, idque ab Abyſſinis nonnullis factum, ab exteris imperitis pro more religioſo habitum, quia fortaſſis audierant, fuiſſe aliquando tam ſtultos hæreticos.* Igitur cum Ludolfo, ac Renaudotio Perp. t. 14. c. 10. ſcientia rituum Orientalium inſtructiſſimo, quidquid narratur de Cauſtico Jacobitarum baptiſmo, fabulæ accenſemus, quæ primum a Vitriaco procuſa, multorumque deinceps calamis avide excepta, lateque pervagata, Scriptorum plures in communem errorem traxit.

tit. 21. videntur pro elemento ea tantum verba inter baptizandum substituisse: *Ego sum aqua viva*. Verum ex Euthymio non videtur illud posse colligi: neque enim ille ait Paulicianos existimasse Baptismum in his verbis positum esse, sed tantum eos finxisse se suscipere Baptismum, eo quod admitterent Evangelium; Baptismum autem esse Evangelii verba, quia Dominus dixit: *Ego sum aqua viva*. Unde colligi quidem potest, ejusmodi Hæreticos circa vim & efficaciam Baptismi errasse, non circa materiam, præsertim cum, ut ibidem observat Euthymius, *illi infantes suos Presbyteris baptizandos offerrent, eo quod Baptismum corpori prodesse putabant, quamvis animæ nullam afferret utilitatem*. (1) *Bibl.* PP. *T.* 19. *p.* 405. *C.* *Ibid.*

VII. Quidam Valdenses ex Manichæorum secta, referente Ebrardo c. 6. Operis adversus eos conscripti, aquam a Baptismo auferebant: *Hæretici*, inquit, *duo testimonia extinguunt, sanguinem in sacrificio, aquam in Baptismo non credunt*. (2) *Bibl.* PP. *T.* 24. *p.* 1542. *G.*

VIII. Flagellantes decimo tertio sæculo exorti, per Italiam, Hungariam, Poloniam, Galliam, & Germaniam diffusi, dicebant, *unumquemque baptizari debere proprio sanguine per flagella de corpore excusso*. Ita refertur in vita Gregorii Papæ X. Tom. 11. Conc. par. 1. pagin. 928. An vero illi rejecerint Baptismum aquæ, non affirmant Auctores, qui de illis scripserunt; & Gerso, qui contra illos Tractatum edidit Tom. 1. par. 1. pag. 636. Edit. Parisiensis ann. 1606. ait quidem illos negligere Confessionem sacramentalem & Pœnitentiam, imo & flagellorum dignitatem ac meritum ipsi martyrio anteponere; sed de rejecto ab illis aquæ Baptis-

---

(1) Hoc tamen nihil morari nos debet, quin Bellarmino assentiamur. Nam ex eodem Euthymio Pauliciani, etiam *cum in gravem aliquem morbum inciderint, Crucem ex ligno confectam, sibi ipsis imponunt*; quam tamen *si convaluerint, perfringunt, conculcant, abjiciunt*. Ut ergo Crucis in ægritudine admotio non probat eos inimicos Crucis non fuisse, sic sane nec sequitur, ut lustrationem illam nostram baptismalem, aut probaverint, aut in Baptismi loco habuerint. Sed utebantur his, ut prosequitur Euthymius, *quo Corporibus adjumentum* afferrent; ad quæ curanda Baptismum & Crucem nostram vim aliquam habere putant. Et profecto, si ipsi non minus atque nos baptismum aquæ coluerunt, cur liberos suos, non suæ, sed nostræ Ecclesiæ Presbyteris offerebant lustrandos? Denique tam hic perspicuus est Euthymius, ut nulla tergiversatione fatendum sit non aquam, sed Evangelii verba Baptismi in loco fuisse; sic autem Euthymius loquitur: *Quin etiam cum baptisma aspernentur, illud tamen sic fingunt suscipere; nam Evangelii verba, Baptismum existimant; quoniam Dominus, ego sum, inquit, aqua viva*. Quidquod ad indolem Manichæorum, quorum Pauliciani pro pago fuerunt, accomodatius nihil dici possit, quam ut se aquæ Baptismo abstinuerint.

(2) At Reinerus solos ab eis Baptismi ritus, & lustrationem parvulorum, quod fidei sint impares, damnari ostendit cap. 5. Neque plus efficit allegatus a Cl. Tournelio locus Ebrardi c. 6. qui sic habet: *sed Hæretici duo testimonia extinguunt; sanguinem in Sacrificio, aquam in Baptismo non credunt*: Hinc enim inferri nequaquam posse negatum ab iis Baptismum aquæ, duo valide persuadent: scilicet ipsa Capitis sexti inscriptio, quæ solum docet, Vvaldenses parvulos removisse a Baptismo; tum & orationis contextus; sic autem Ebrardus loeum a Tournelio productum prosequitur: *Tertium ergo quomodo haberent? hoc est, Spiritum Sanctum, qui in eis non est, quia Baptismum non credunt, quem receperunt*. Sed quod dubium omne eximit, atque ad oculum ostendit, Vvaldensibus aquam in Baptismo familiarem fuisse est Jeonismus Vvaldensium a Luthero in Lucem emissus A. 1533. Ibi corruptissimum Vvaldensium Baptizandi ritum sic lego descriptum: *Adultos ita baptizant: servus affundit manibus ejus, qui baptizari cupit, aquam subjecta pelvi, ex qua aqua baptizandus abluit manus suas, & faciem in nomine Sacrosancte Trinitatis.*

ptiſmo ſilet. *Conſtat*, inquit, *per experientiam, quod taliter ſe flagellantes non curant de Sacramento Confeſſionis vel Pœnitentiæ ſacramentalis, dicentes quod hæc flagellatio potior eſt ad delendum peccata, quam quæcumque Confeſſio, imo eam æquiparant nonnulli vel præponunt martyrio, quoniam facimus, inquiunt, ultro fundendo ſanguinem proprium, quod ab aliis Martyrēs pati cogebantur.* (1)

Caſtigandus hic obiter Socinus, qui diſputatione de Baptiſmo cap. 15. ut oſtendat perpetuum non fuiſſe in Eccleſia uſum Baptiſmi aquæ, aſſerit, teſte Dionyſio Alexandrino apud Euſebium, a Novato abrogatum fuiſſe Baptiſmum. Verum, aut mentem Dionyſii non eſt aſſecutus Socinus, aut inſigniter aberrat. Certum enim eſt, Novatorum non tantum ſuos baptizaſſe, ſed & baptizatos a Catholicis iterum baptizaſſe, cum ad ſuas tranſibant partes. Eo igitur dumtaxat ſenſu dixit apud Euſebium Lib. 7. Hiſtoriarum cap. 8. Dionyſius, Novatum abrogaſſe Baptiſmum, quod a Catholicis baptizatos ad ſe venientes iterum baptizans, hoc facto, quantum in ſe erat, Baptiſmum Catholicorum, utpote nullum, abrogaret.

Ed. Valeſ. pag. 254.

Hactenus de Hæreticis primi ordinis, qui viſi ſunt aquam ex Baptiſmo penitus rejeciſſe.

Extitere vero, qui hanc quidem retinendam eſſe voluerunt uſu communi & ordinario, ſed in caſu neceſſitatis poſſe Baptiſmum alio in liquore conferri cenſuerunt. Ita ille, qui, referente Joanne Moſco c. 176. Judæum quemdam in eremo deficientem baptizavit in arena.

Presbyter ille, de quo interrogatus fuit Stephanus II. S. Pontifex: qui aqua deficiente periclitantem infantem vino abluerat.

In Norvegia fuere etiam, qui propter aquæ penuriam infantes baptizabant in cerviſia, de quo Baptiſmo conſultus Greg. IX. S. Pontifex a Nidroſienſi in Norvegia Archiepiſcopo, reſpondit ſecundum doctrinam Evangelicam baptizandum eſſe in aqua.

Armeni quoque, referente Thoma Valdenſi lib. 2. c. 114. in neceſſitate varie baptizabant, *quidam in vino, quidam in lacte.* (2)

Lu-

---

(1) Certum tamen mihi eſt, a Flagellantibus aquam in Baptiſmo non adhibitam. Ad hoc convincendum nil opus habeo, quam ut tertium eorum articulum in medium producam, quemadmodum apud Gobellinum Ætate 6. cap. 69. refertur: *Item dicunt: quod in tranſitu Crucifratrum, videlicet quando tranſiverunt primo per mundum Cruce præcedente eos, flagellis publice ſe flagellando; lex Baptiſmi in aqua deponebatur a Deo, & lex Baptiſmi in proprio ſanguine inſtituebatur: unde dicunt cum Chriſtus in Cana Galileæ circa finem convivii nuptialis aquam mutavit in vinum rubeum, deſignavit quod circa finem mundi Baptiſmus aquæ in Baptiſmum ſanguinis mutari deberet . . . Et ſic poſt prædictum tranſitum, nemo verus Chriſtianus fuit, nec intrare potuit in Regnum Cælorum, niſi qui proprio ſanguine, de corpore per flagellum in memoriam Paſſionis Chriſti ſponte excuſſo, fuit baptizatus.* Quare ſilentium Gerſonis nil memoratur, quin decernam neglectum a Flagellantibus fuiſſe non Pœnitentiæ modo, ſed & Baptiſmi aquæ Sacramentum; quippe quod perſuaſum ſibi habebant nova inſtitutione a Deo fuiſſe abrogatum, atque, ut ipſi ajunt, *depoſitum.*

(2) Verum ut ne Anglo homini aſſentiar, moveor Scriptorum domeſticorum æque ac vicinorum fide, a quibus, cum in multis aliis reprehenſos, damnatoſque legam Armenos, hujus erroris ne poſtulatos quidem comperio. Theorianus qui apud Armenos nomine Manuelis Auguſti legatione functus eſt ad ann. 1170. in diſceptatione, quam cum ipſorum Catholico iniit, nullum veſtigium Baptiſmi in lacte aut vino exhibiti oſtendit Tom. 22. Bibl.

Lutherus etiam in Colloquii sympoſiacis cap. 17. interrogatus num deficiente aqua liceret baptizare in lacte, reſpondit: *Quidquid balnei loco eſſe poteſt, illud aptum eſſe ad baptizandum.*

Idem ſentit Theodorus Beza in ſua ſecunda ad Tillium Epiſtola: *Si deſit aqua*, inquit, *& tamen Baptiſmus alicujus differri amplius cum ædificatione non poſſit nec debeat, ego certe quovis liquore, non minus rite quam aqua baptizarem.* Addit ibidem, (quod apertum eſt mendacium) *non aliter ſentire Scholaſticos noſtros.*

Pallavicinus Lib. 9. Hiſtoriæ Conc. Trid. c. 7. inter varias propoſitiones ex recentioribus Hæreticis Lutheranis & Calviniſtis excerptas, hanc circa Baptiſmum refert: *Aqua vera & naturalis non eſt de neceſſitate Baptiſmi*; atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, ad metaphoram detorqueri debent; quem errorem proſcripſit Synodus Tridentina Seſſ. 7. Canon. 2. Reipſa enim Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 15. per aquam Chriſti Sanguinem vult intelligi, *propter mundandi abluendique ſimilitudinem*. Dallæus quoque l. 2. de Confeſſione cap. 3. ceterique vulgo Calviniſtæ eamdem interpretationem amplectuntur. T. 2. p. 36. n. 8. Pag. 481 n. 2.

Secundi ordinis Hæretici, qui aquam Baptiſmi adulterarunt injecta rerum aliarum mixtione, fuere

Quidam Marci diſcipuli dicti Marcoſii e Gnoſticorum ſecta: ii nempe, teſte S. Epiphanio hæreſi 34. poſt S. Irenæum, oleum aqua temperatum in Baptiſmo adhibebant. *Non deſunt inter illos*, ait S. Epiphanius, *qui ad aquam perducere ſupervacaneum arbitrantur; ſed oleum aqua temperatum cum ſollemnibus carminibus initiatorum capita inſpergunt, idque demum redemptionem nominant.* T. 1. p. 256. B.

Antiquiſſimus Auctor anonymus in Tractatu quem ſcripſit adverſus S. Cyprianum, ceteroſque Rebaptizantes, verſus finem, certos refellit Hæreticos, qui ignem aquæ adjungendum eſſe in Baptiſmo contendebant, tum propter hæc verba S. Joannis, *Ille* (Chriſtus) *baptizabit vos in Spiritu ſancto & igne*; tum quia in Libro qui *Pauli prædicatio* inſcribitur, (ſuppoſititius ille eſt & nugis plenus) legebant, ignem ſuper aquam viſum fuiſſe, quando Chriſtus fuit a Joanne baptizatus. Hinc eſt quod illi fingebant,

---

Bibl. PP. Sed neque Nico *de peſſima Armenorum Religione* ſcribens Tom. 25. ibidem: Neque Iſaac Catholicos Armeniæ, quamvis ceteros gentis ſuæ errores haud molli manu tractet. Contexuit is Catalogum Hæreſeon Armenicarum, atque ad nonum & viceſimum numerum eaſdem perduxit; ſed illa perniciosiſſima a Vvaldenſi prodita, nuſquam comparet, cum ibi multo minora in Baptiſmum peccata Hæreſeos nomine traducantur. Etenim hæreſi 16. ait: *in Baptiſmo non ungunt oleo*. Et hæreſi 18. *in Baptiſmo non inſufflant*. Euthymius quidem Zigabenus Panopl. tit. 20. *Baptiſma Armenorum falſum* nuncupat, aſt propterea tantum, *quod fides eorum falſa ſit*, non quod vini aut lactis Baptiſmum ratum habeant: quem, ſi unquam approbaſſent, meliori jure hoc nomine falſum Armenorum Baptiſma dixiſſe potuit Euthymius. Abſolvamus igitur ab hac labe Armenos, quos tot Scriptorum, qui dedita opera, aut domi, aut ex vicino errores Armenorum contemplati ſunt, & perſtrinxerunt, nemo unus accuſavit. Fieri potuit, ut ritum lactis, vinique, pridem a Rhenano ex Hieronymo memoratum, quo etiam olim Eccleſiæ Occidentis in recens baptizatis utebantur, obſervatum forſan apud Armenos, ſed perperam intellectum ad Baptiſmus ipſum aliqui traxerint, atque Vvaldenſi impoſuerint.

ſtatim ac in aquam deſcendiſſent ut baptizarentur, ignem ſuper aquam aptare. Putidum hoc figmentum refellit Anonymus, cujus Tractatus editus eſt ad calcem Operum S. Cypriani, & Tom. 1. Conc. pag. 783.

Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus in excerptis c. 42. narrat ſuo tem-
T.6.Con. p. 1590. pore quoſdam fuiſse qui miſcebant vinum cum aqua Baptiſmatis; *Et hoc non recte*, inquit, *quia Chriſtus non juſſit baptizari vino, ſed aqua.*
E. His præmiſſis, dogma catholicum ſequenti Concluſione demonſtrabimus.

CONCLUSIO.

Omnis & ſola naturalis ſeu elementaris aqua eſt remota Baptiſmi materia, eaque neceſsaria.

Tam expreſse dogma iſtud in Scripturis continetur; & Eccleſiæ totius praxi ac traditione confirmatur, ut mirum ſit potuiſse in dubium revocari.

Probatur igitur 1. ex Scriptura, triplici argumento. A prophetia, ſeu promiſſione aquæ baptiſmalis, a præcepto, & ab exemplo ſeu facto tum Chriſti, tum Apoſtolorum, qui in aqua baptizarunt.

I. Deus per Ezechielem c. 36. v. 25. promiſit, & prædixit ſe per aquam omnes iniquitates noſtras expurgaturum: *Infundam*, inquit, *ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris.* Quem locum haud dubie reſpicit 2. Paulus Heb. 10. v. 22. cum ait: *Aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti aqua munda.*

II. Mandavit Chriſtus Apoſtolis, ut in aqua baptizarent omnes gentes. Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Baptiſmum autem illum in aqua fieri debere, declaravit Chriſtus apud S. Joan. c. 3. v. 5. his verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Unde Apoſtolus Epheſ. 5. ver. 25. *Chriſtus*, inquit, *dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, mundans eam lavacro aquæ.* Nomine autem aquæ, veram, naturalem, & elementarem ſenſu proprio & litterali; non figurato & metaphorico eſse intelligendam, manifeſte demonſtrat exemplum Chriſti, & Apoſtolorum.

III. Poſtquam Chriſtus in ſuo cum Nicodemo colloquio Joan. 3. dixiſset, neminem poſse introire in Regnum Dei, *niſi renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto:* ut verba facto comprobaret, v. 22. ejuſdem capitis ita refertur: *Poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic.* Ex quibus perſpicuum eſt, Chriſtum cum Diſcipulis ſuis baptizaſse baptiſmo aquæ veræ & naturalis, ſicut ipſe Joannes Baptiſta; unde orta quæſtio diſcipulorum Joannis, *Rabbi*, inquiunt v. 26. *qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Quin ipſe Chriſtus in aqua baptizatus eſt a Joanne: Matth. 3. v. 6. *Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua.* Idem refertur a S. Marco c. 1. v. 9. ubi in Jordane Chriſtus a Joanne baptizatus dicitur.

Apoſtoli, & Diſcipuli Chriſti mandato obſequentes, in aqua quoque baptizarunt. Act. 8. v. 36. de Philippo & Eunucho Candacis Reginæ ita narratur: *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus:*

Ecce

Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? . . . & descenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum. Ubi certe non figurato & metaphorico, sed proprio sensu vera & naturalis aqua debet intelligi, qualis iter facientibus occurrit.

Probatur 2. constanti ac perpetua Ecclesiæ totius praxi & traditione, qua constat semper rejectum & improbatum fuisse Baptismum alio in liquore, quam in aqua, collatum.

Stephanus II. S. Pontifex, (si tamen genuina est illius Constitutio de qua infra inter Objectiones) interrogatus de Presbytero, qui cum deesset aqua, periclitantem infantem vino abluerat, respondit: *Quod si aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur, quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit.* T. 6. Con. p. 1651. D. C.

Greg. IX. interrogatus, an valeret Baptismus datus in cervisia, respondit: *Cum secundum doctrinam Evangelicam oporteat ex aqua & Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati, qui in cervisia baptizantur.* Apud Raynaldum ad an. 1241. n. 42. T. 13. p. 559. E. col. 1.

Innocentius III. interrogatus de Baptismo cum salivæ conspersione facto, respondet, cap. *Non ut apponeres*, de Baptismo, & ejus effectu l. 3. Decretalium tit. 42. *quod cum in Baptismo duo necessario requirantur, scilicet verbum & elementum, dubitari non debet, illos verum non habere Baptismum, in quibus non solum utrumque prædictorum, sed eorum alterum omissum est.* Decr. p. 1389. n. 40.

Baptismum quoque in vino improbavit Ecclesia, ut colligitur ex Decreto Yvonis par. 1. de Baptismo c. 54.

Improbavit quoque Baptismum in arena collatum, ut constat ex Dionysio Alexandrino apud Nicephorum lib. 3. Hist. c. 37. Cum enim ille interrogatus fuisset de Judæo in arena baptizato, *Ecclesia ea de re*, inquit Historicus, *consuluit, cui visum est, aqua insuper juxta Ecclesiæ traditionem abluendum esse talem Judæum.* Ed. Par. 1630. T. 1. p. 277. A. B.

Innumera hic adduci possent in confirmationem Conclusionis nostræ SS. Patrum utriusque Ecclesiæ testimonia: verum in re obvia & facili unum aut alterum sufficiet ex Veteribus testimonium.

S. Justinus Apol. 2. de iis, qui ad Religionem nostram præformabantur, ait: *Deinde eo adducuntur a nobis ubi aqua est . . . nam in nomine rerum cunctarum parentis & Domini Dei & Servatoris nostri Jesu Christi & Spiritus sancti in aqua tum lavantur.* P. 93. D.

Tertull. Lib. de Baptismo, quem ab his verbis auspicatur: *Felix Sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur!* Dogma nostrum confirmat. Cap. 4. aquas ab ipso Spiritu sancto sanctificatas fuisse, & sanctificandi vim combibisse ostendit: *De sancto*, inquit, *sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit.* Et paullo post: *Omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis supereſt, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt.* P. 224. P. 225. B. C.

Capite vero secundo ex professo refellit Cajanitas, qui ex Baptismo aquam eo prætextu rejiciebant, quod vilis esset & communis; ostenditque ea ipsa de causa a Christo electam fuisse, ut unicuique promptum, facile, & obvium foret ad veniam peccatorum obtinendam remedium.

T. 3 par. 2 p. 408. E. S. Aug. Tract. 15. in Joan. *Tolle aquam*, inquit, *non est Baptismus*.

Tom 14. Conc. p. 778. A. Hac constanti & universali traditione nixi Patres Tridentini, Sess. 7. Can. 2. sic definiunt: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Dixi in Conclusione 1. omnem aquam naturalem idoneam esse Baptismi materiam. *Nulla distinctio est*, ait Tertull. l. de Baptismo c. 4. *mari quis an*

P. 225. C. *stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

Dixi 2. Solam aquam naturalem materiam esse Baptismi, ut excludantur tum alii omnes liquores, vinum, cervisia, & aquæ quæ ex floribus, herbis, fructibus, aliisve id generis exprimuntur, nec sunt vera & elementaris aqua: tum omnis mixtio & compositio, quæ aquæ elementaris substantiam immutare censetur; alia enim mixtio cum qua salva & integra remanet aquæ natura & substantia, nec Baptismi integritati nocet, nec rejicienda, qualis est ver. gr. mixtio chrysmatis, quod in sollemni consecratione fontis baptismatis, aquæ infunditur. Pariter accidentalis aquæ mutatio Sacramento non officit: sit v. g. aqua calida vel frigida, munda vel immunda, dulcis aut salsa, nihil interest ad substantiam Sacramenti: unde nix, grando, glacies, cum sit vera aqua, idonea quoque est Baptismi materia, quando nempe resoluta est & liquata; non vero quando ita est concreta & congelata, ut fluere non possit nec lavare, sicut observat Rituale Romanum Pauli V. Cavere autem debent diligenter Pastores, ut aqua Baptismalis munda sit & pura, *quæ Sacramenti dignitati magis consentanea est*, inquit S. Carolus Borromæus in Instructione Baptismi, nisi forte urgeat necessitas; quo casu quæcumque aqua naturalis obvia, etsi lutulenta, potest usurpari.

Dixi 3. Aquam esse solam materiam necessariam, quia nec chrysma, quod aquæ infunditur in sollemni fontis consecratione, *nec benedictio aquæ est de necessitate Baptismi*, inquit S. Thom. 3. par. q. 66. art. 3. ad 5. *sed pertinet dumtaxat ad quamdam sollemnitatem, per quam excitatur devotio Fidelium, & impeditur astutia dæmonis, ne impediat Baptismi effectum.*

Aqua debet esse benedicta seu consecrata. P. 225. D. Ed. Rigal. pag. 117. Ed. nov. T. 2. p. 353. C. Ibid. p. 357. F. Aqua tamen benedicta (quantum fieri potest) uti debent Ministri inter baptizandum: tum quia ita expresse ferunt Libri rituales, in primis Romanus Pauli V. tum quia antiquissima est illa aquæ baptismalis benedictio, de qua Tertull. lib. de Baptismo c. 4. ubi aquas propter hanc benedictionem seu consecrationem *medicatas* appellat. Et S. Cypr. Epist. 70. ad Januarium: *Oportet*, inquit, *mundari & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit Baptismo suo, peccata hominis qui baptizatur, abluere*. Et S. Ambrosius Lib. 1. de Sacramentis c. 5. ait, formam Baptismatis & usum hoc habere, *ut ante fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est*. Et l. 2. c. 5. *Venit*, inquit, *Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen &c.* S. quoque August. illius consecrationis mentionem facit lib. 6. de Baptismo contra Donatistas, & lib. 9. contra Julianum c. 8. Idem confirmat Victor Vitensis lib. 2. de persecutione Vandalica. Inter Græcos idem quoque testantur S. Basilius l. de Spiritu sancto c. 27. & in Psal. 48. S. Gregorius Nyssenus Oratione de Baptismo, S. Cyrillus

Jero-

Jeroſolymitanus Catecheſi 3. S. Chryſoſt. Hom. 13. in Marcum, & Auctor tum Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 7. c. 42. in quo deſcribitur fontium benedictio; tum Operis de cæleſti Hierarchia c. 2. quod Dionyſio Areopagitæ a nonnullis tribuitur. *Bibl. PP. T. 8. p. 683. A.*

Quæres quare Chriſtus aquam pro materia Baptiſmi aſsumpſerit.

Reſp. 1. In ejuſmodi factis voluntatem facientis eſse ſupremam regulam & rationem.

Reſp. 2. SS. PP. hujus facti has congruas rationes afferre. 1. quia ad Sacramentum abſolute omnibus & ſingulis neceſsarium voluit Chriſtus commune & omnibus obvium ſeligere elementum. Ita Tertull. l. de Baptiſmo c. 2. 2. quia in Baptiſmo datur Spiritus Sanctus, qui in ipſo rerum exordio in aquis ſedem ſuam præcipue conſtituit, quibus incubabat, ut fœcunditatem ipſis imprimeret. *Gratior enim tunc ſedes erat ceteris elementis*, ait Tertul. c. 3. l. de Baptiſmo. 3. quia, aqua uſus eſt Deus, ut mundo decorem & ordinem daret; ut terram a cælo divideret, aquis interjectis; ut hominem de limo formaret: aquis denique primum fœcunditatem indidit. *Primus liquor*, inquit ibidem Tertull. *quod viveret, edidit*. Nihil igitur mirum, ſi in Baptiſmo quo homo renovatur, atque novus veluti creatur, quo animæ ſuus ſplendor, ac vita redditur, aquas Chriſtus adhiberi voluerit. *Non mirum fit*, ait ibid. Tertull. *ſi in Baptiſmo aquæ animare noverunt. Non igitur dubitandum*, concludit ille, *quin materiam, quam in omnibus rebus & operibus ſuis Deus diſpoſuit, etiam in Sacramentis propriis parere fecit*. 4. quia ſimilitudo quædam eſt & analogia inter effectum aquæ in corpore, & effectum Baptiſmi in anima. Sicut enim aqua ſordes corporis extergit & mundat; ita Baptiſmus ſordes animæ, ideſt peccata, ait S. Ambroſius, aut quiſquis Auctor eſt apud ipſum Commentarii in Epiſtolam ad Rom. c. 6. *Sicut aqua refrigerat ardorem corporis, ita Baptiſmus ardorem concupiſcentiæ*, ait S. Hieron. Epiſt. 83. ad Oceanum. *Et ſicut aqua extinguit ignem elementarem*, inquit S. Anſelmus, *ita Baptiſmus extinguit ignem gehennæ*. Sicut denique aqua ſedat corporalem ſitim, ita fons Baptiſmi ſanctorum deſiderorum ſitim explet ſpiritualem.

P. 225. A. *Ibid. Ibid. Ibid. B. App. T. 2. p. 59. E. Ed. nov. T. 4. par. 2. p. 651.*

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Præcipua dogmatis catholici probatio deſumitur ex citatis Chriſti verbis apud S. Joan. c. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei*. Atqui eo loci aqua non debet proprio ſenſu pro naturali & elementari uſurpari, ſed metaphorico, nempe vel pro interiori afflictione & pœnitentia, vel (quod veriſimilius) pro ipſo Spiritu interius lavante & mundante inſtar aquæ; itaut particula *&*, non conjunctivæ, ſed expoſitivæ vim habeat, & ſignificet *ideſt*.

Minor probatur.

I. Quia in Textu græco non legitur ex aqua & Spiritu Sancto, ſed tantum ex aqua & Spiritu, ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, quod idem eſt, ac ſpiritu aqueo, ideſt, ſpiritu mundante & lavante inſtar aquæ: ſolet quippe Scriptura ad unum quid ſignificandum duos terminos per copulativam *&* conjungere. V. g. Act. 17. v. 25. dicitur: *vita & inſpiratio*, quod idem eſt, ac *inſpiratio vitæ*. Et Coloſs. 2. v. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam*, ideſt, *per inanes fallacias*

Philosophiæ. Unde S. Chrysost. Hom. 31. observat, a Scriptura *Sancti Spiritus gratiam*, *modo ignem*, *modo aquam appellari*.

II. Nomine aquæ in citato loco non magis debet intelligi materia Baptismi, quam nomine spiritus: atqui certum est spiritum non esse Baptismi materiam: ergo &c.

III. Christus eo loci exprobrat Nicodemo, quod ignoraret posse hominem denuo nasci: *Quomodo*, inquiebat, *potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?* Cui Christus: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Porro si Christus de vera aqua ad renascendum necessaria locutus fuisset; immerito Nicodemo objecisset, quod hoc ignoraret; quomodo enim id vel suspicari potuisset? Si vero locutus supponatur sensu metaphorico, de aqua spirituali, idest, de gratia Spiritus Sancti mundante velut aqua, qua renovandi & quasi de novo creandi sunt homines, istud intelligere facile potuisset & debuisset Nicodemus, ac merito reprehenditur, quod hoc ignoraret: cum enim versatus esset in Scripturis, meminisse poterat a Jeremia & Ezechiele scriptum esse, fore tempus, quo Deus novum homini cor daturus esset, ac missurus Spiritum, a quo omnia erant renovanda, & ad meliorem sortem immutanda.

IV. Non magis per aquam apud S. Joan. debet intelligi vera & naturalis aqua, quæ sit Baptismi materia, quam per ignem apud S. Matt. c. 3. ver. 10. debeat intelligi verus & elementaris ignis, quo baptizandi sunt Christiani, *Qui post me venturus est*, ait S. Joannes Baptista, *fortior me est; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*. Atqui certum est, ignem eo loci sensu metaphorico usurpari pro Spiritu, qui instar ignis pectora inflammat, & omnes peccatorum spinas comburit: ergo &c.

V. Denique, S. Joannes loco mox cit. Matth. 3. manifeste declarat suum Baptismum discrepare maxime a Baptismo Christi, quod ipse in aqua in pœnitentiam baptizaret, Christus vero in Spiritu Sancto.

Resp. nego min. Interpretatio quippe hæc a recentiore conficta, tam est absona, tam loci circumstantiis, facto & exemplo tum Christi tum Apostolorum adversa, ut veteribus Hæreticis, quamquam aliunde de Baptismo nostro infensis, nusquam in mentem venerit. Imo tam clara & expressa visa est Pelagianis Christi sententia, Joan. 3. v. 5. ut illius evidentia victi, coacti fuerint distinguere Regnum Cælorum a vita æterna, ut faterentur infantes sine Baptismo morientes excludi quidem a Regno Cælorum, propter verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit &c.* vita tamen æterna donari, propter innocentem eorum naturam ab omni labe originali liberam. Ita S. Aug. L. 1. de peccatorum meritis & remissione c. 20. & L. 3. c. 13.

T. 10. p. 15. A. Et p. 83. C.

Ad primam probationem: falsum est apud S. Joan. idem esse aquam & spiritum; aut spiritum per aquam analogice tantum significari: duo enim sunt distincta, quorum unum est elementum exterius, nempe aqua, quæ symbolum est spiritus, alterum interius, nempe gratia Spiritus Sancti.

Nec obstat 1. quod in græco non legatur: *ex Spiritu Sancto*, sed simpliciter *ex Spiritu*. Quis enim vel tantisper in Scripturis versatus ignorat, nomine spiritus per excellentiam designari Spiritum Sanctum? Sic Marci 1. ver. 1. dicitur: *Cum baptizatus est Christus, vidit* (Joannes) *cælos aper-*

apertos; *& ſpiritum tamquam columbam deſcendentem*. Spiritum autem illum eſſe tertiam SS. Trinitatis perſonam, quam S. Matth. c. 3. v. 6. appellat *Spiritum Sanctum*, nemo dubitat. Debet igitur attributum illud, *Sanctus*, ſuppleri apud S. Joan. c. 3. v. 5. ex aliis locis; præſertim ex c. 1. S. Marci v. 8. ubi Joannes Baptiſta de ſuo, & Chriſti Baptiſmate ait: *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto*.

Nec obſtat 2. mos Scripturæ rem eamdem duobus terminis per copulativam *&* aliquando exprimentis: namque etſi id concedamus, immerito tamen ad citata verba Chriſti Joan. 3. v. 5. obſervatio hæc accommodatur, quaſi idem plane ſignificetur per aquam & ſpiritum. Pari quippe jure contendere poſſet Socinianus aliquis, per iſta nomina: *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, ſignificari tantum unam & eamdem perſonam trinominem. An ferrent Lutherani & Calviniſtæ? non puto. Loci ergo circumſtantiæ, ſubjecta materia, Eccleſiæ totius praxis & traditio expendi debent, ut legitimus ſenſus verborum Chriſti, & particulæ copulativæ *&* vis, ac ſignificatio cognoſcatur. Explicativæ quidem particulæ vim aliquando habere particulam *&*, nemo negat; ſed quis auſit, niſi mente captus, affirmare conſtantem eſſe, ac perpetuum hunc illius uſum in Scripturis? nemo profecto. V. gr. cum Matth. 3 v. 10. S. Joannes de Chriſto ait: *Ipſe baptizabit vos in Spiritu Sancto & igne*: particula *&*, eo loci non ſignificat *ideſt*; nemo quippe dixerit per Spiritum Sanctum ignem ſignificari, cum ex adverſo ignis conflagrans ſit ſymbolum Spiritus Sancti peccata conſumentis.

Nec obſtat 3. auctoritas S. Chryſ. ait enim apud Scripturam Spiritus S. gratiam aliquando deſignari per ignem vel per aquam; ſed nuſquam ait cit. c. 3. S. Joan. v. 5. idem ſignificari per aquam & per Spiritum Sanctum.

Ad ſecundam probationem nego ant. Plane inauditum eſt apud Theologos, Spiritum Sanctum eſſe materiam alicujus Sacramenti: appoſite igitur ad rem ſubjectam, apud S. Joannem aqua ſupponit pro materia Baptiſmi; Spiritus vero vel pro cauſſa efficiente primaria gratiæ, vel pro ipſa gratia, quæ eſt effectus Baptiſmi.

Ad tertiam, dico 1. Chriſtum non arguendo neque exprobrando, ſed docendo potius, & hominis ſuperbiam ſanando, Nicodemo dixiſſe: *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* hominem nempe poſſe denuo ſpiritualiter renaſci. Homini non inſultat, inquit S. Aug. Tract. 12. in Joann. ſed ejus ſuperbiam ſanando ad humilitatem diſponit: aut ſi inſultat, tamquam indocto inſultat, ut ſuperbiam deponat. *T. 3. par. 2. p. 386. B.*

Dico 2. non immerito potuiſſe Chriſtum huic Legis Doctori exprobrare, quod ignoraret hominem poſſe denuo naſci per aquam, non quidem corpore, ſed ſpiritu: quia ſcilicet cum eſſet in Lege peritus, ignorare non debuit ſcriptum eſſe apud Ezechielem c. 36. v. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris &c. & dabo vobis cor novum*. Et apud Pſalmiſtam Pſal. 103. v. 30. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*, & alia hujuſmodi, quæ de renovatione, & creatione interiori ac ſpiritali per gratiam animis infundendam, intelligi tantum poſſunt, nec tamen intelligebat Nicodemus, quamvis Legis Doctor, adeo nempe defixus erat illis Phariſaicis mundationibus, ut nihil ſublimis animo conciperet; quamquam vel ex ipſis

Judaicis ritibus, & mundationibus domesticum ac familiare quoddam exemplum & symbolum habere poterat novæ cujusdam nativitatis.

Qui enim apud Judæos a cultu falsorum deorum conversi Moysis Religioni nomen dabant, tot ritibus, tot lotionibus præparabantur, & præformabantur, ut novi veluti homines haberentur. 1. quippe circumcidebant eum. 2. in cętu publico præsentibus ad minus tribus Judæis, baptizabant; tum vitæ præteritæ detestationem ab eo exigebant. Tenebantur coram profiteri, se neque ambitione, neque avaritia moveri ad amplectendam Judæorum Religionem: in fide instruebatur; promittebat se verum Deum adoraturum, & universam Legem observaturum. His omnibus ritibus initiatus Proselytus a Judæis tamquam novus homo habebatur, & ut loquitur S. Petrus primæ Epistolæ cap. 2. v. 2. *ficuti modo geniti infantes*; ad quæ profecto si attendisset Nicodemus, & supra res corporeas paullo, ut debebat, mentem erexisset, facile intellexisset, posse hominem in Baptismo Christi interius per gratiam renovari, & renasci.

Ad quartam, nego ant. Nullus enim nisi hæreticus, unquam contendit ignem esse in Baptismo Christi usurpandum. Utriusque ergo loci, tum S. Joannis, tum S. Matthæi, explicatio, & interpretatio tutior haberi non potest quam ex praxi tum Christi, & Apostolorum ejus, tum universæ per Orbem sparsæ Ecclesiæ: at certum est nusquam Christum, aut Discipulos ejus, aut quemcumque Fidelem baptizasse in igne; econtra certissimum, in aqua Christum, ejusque Discipulos, eorumque exemplo totam subinde Ecclesiam baptizasse; igitur apud S. Joannem, aqua materiæ Baptismi locum tenet; & apud S. Matth. ignis, non materiam, sed effectum Baptismi symbolice significat. Atque inter istas duas Evangelistarum sententias non leve discrimen esse observat Estius in 4. dist. 3. paragr. 7. *In priori enim*, inquit ille, *ignis postponitur Spiritui Sancto, in posteriori aqua præponitur. Ex quo datur intelligi ibi quidem ignis vocabulum adjunctum, tamquam ejus quod antecedit determinationem, qua nimirum certa proprietas Spiritus Sancti designaretur; hic vero aquam priori loco nominatam, ne per eam proprietas aliqua Spiritui Sancto adjuncta intelligeretur, sed in significatione sua propria acciperetur.* Ita Estius. Supra, varias Baptismi significationes exponendo observavimus, inter Sanctorum Patres aliquos esse, qui per ignem sensu spiritali intelligant proprietatem Spiritus Sancti: alios vero ad litteram intelligere species illas linguarum ignearum quæ supra capita Apostolorum dispertitæ visæ sunt in die Pentecostes; & quæ sensu accommodatitio Baptismus dictæ sunt, propter abundantem & copiosam Spiritus Sancti gratiam: de quo intelligitur istud Act. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos dies.*

T. 2. p. 41. col. 1. D.

ADDITIO.

(*)

INstabis 1. *Traditio est, Christo baptizato ignem super Jordanis aquas effulsisse.* 2. *Baptismum ignis confirmat antiquum opus, quod* Pauli prædicatio *inscribitur.* 3. *Simoniani apud Auctorem Anonymum in Tract.* de Bapt. hæretic. *ferunt, quotidianum ipsis fuisse prodigium de igne aquis lustralibus innatante.*

Resp.

Resp. Ad primum revera Justinum Martyrem in Dialogo cum Tryphone §. 88. luculentissimum esse ejus prodigii in Christi baptismate visi narratorem; neque id hausisse illum aut ex traditione, ut Dodvvellus putat, aut ex Ebionitarum Evangelio, aliisque id genus apocryphis libris, ut Maurino S. Justini editori visum est; sed ex Apostolorum libris, quos diserte appellat. Nam in Græco Matthæi Evangelio prodigium illud antiquissimis temporibus fuisse commemoratum magno argumento est vetustissima Evangeliorum latina versio, quæ in Codice S. Eusebii Vercellensis hodieque exstat; ibi enim (quemadmodum videre est in ejus Codicis Mediolanensi editione an. 1748. col. 21.) hoc comma in nostris latinis exemplis hodie desideratum legitur: & cum baptizaretur, lumen ingens circumfulsit de aqua, ita ut timerent omnes, qui advenerant, & baptizato Jesu &c. *Verum inde non consequitur, Baptismum non perfici, nisi medius inter undas ignis emicet: etenim si hoc fit, perinde quoque irritum dicet alius, nisi columba appareat, nisi Paterna vox allabatur e Cælo, nisi denique æther tonitruis insonet, quæ omnia, ut constat ex Hieronymo in Psalm. 76. aliisque, Christi Baptismum illustrarunt. Erant nempe hæc prodigia, non necessitati Baptismi, sed manifestationi gloriæque Christi destinata: nunc vero* Spiritus, ubi vult spirat, & nescis, unde veniat, vel quo vadat. *Joan. 3. v. 8. Opus, quod* Pauli Prædicatio, aut verius περίοδοι πέτρου *inscribitur, ab Hieronymo memoratum, atque Eusebio in Hæresi Ebionis, & tot nugis consarcinatum est, tot scatet erroribus, ut nulla ei fides præstanda sit. Invenies illic Christum ad Joannis Baptisma accipiendum a SS. Matre compulsum, imo de peccato proprio ad Joannem confitentem audies, & centum alia. Prodigium demum quod in lustrationibus suis usuvenire jactant Hæretici, recte ab Anonymo, aut ad illusiones magicas confertur, aut lusu aliquo consimili Anaxilai lusibus perfici dicitur; ut enim narrat Plinius l. 35. Anaxilaus, sulphure condito in calice novo, pruniscque subditis exardescente, & dirum quemdam, ac mortualem pallorem imitante lusit; aut denique factum id ait, ignem naturalem arte quadam, fovente intra se aqua. Nec enim hoc vires artis supergredi planissime conficitur & igne liquido, quo Græci in præliis præsertim navalibus familiariter usi sunt, & quem nos κατ' ἐξοχὴν* ignem Græcum *dicimus; illi vero* πῦρ Ρωμαικὸν, πῦρ Θαλάσσιον, *& πῦρ ογρὸν dicunt. Hunc enim medias inter aquas arsisse, nec ab iis restingui potuisse ex Annæ Comnenæ l. 11. Alexia, & Alberti Aquensis l. 7. & 15. & Theophanis testimonio certo habemus. Cujus inventionem etsi nunc dictus Theophanes, & Paulus Diac. l. 21. Hist. Miscell. Callinico Helliopolitano adscribant auctori; nil tamen vetat, quin ejus arcana notitia, imo ars etiam quædam temperandi, ne noxius esset, apud Hæreticos de quibus hic agitur jam olim extiterit. Porro qui artem conficiendi ejus ignis volet cognoscere, Annam Comnenam, Albertum M. in Mirabil. mundi, & Julium Scaligerum Exercit. 13. in Cardanum, adeat. Extinguitur vero ignis idem vino, aceto, urina, atque arena ex fide plurimorum. Nil igitur necessarii prodigii in Hæreticorum baptismo contigit, si demus etiam, quod affirmant, medias inter aquas in lustrationibus eorum ignem emicuisse.*

(*)

Ad quintam: sanctus Joannes discrimen quidem maximum assignat inter

inter ſuum & Chriſti Baptiſmum, non ratione materiæ; uterque enim erat in aqua, & inde exorta contentio diſcipulorum Joannis, ſed ratione effectus ſeu gratiæ, cujus expers erat Baptiſmus Joannis, utpote in aqua ſola; ſed quam conferebat Baptiſmum Chriſti, qui erat in aqua & in Spiritu ſancto.

Objicies 2. Aqua deficiente in caſu neceſſitatis baptizatus fuit Judæus in arena, & baptiſmus ille divino miraculo confirmatus eſt, ac comprobatus. Factum narrat Joannes Moſchus in Prato ſpirituali cap. 176. & poſt eum Nicephorus lib. 3. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 37. *Cum Judæus*, inquit, *per loca arida iter faceret, ac ſubito deficientibus viribus moriturus crederetur, ter ſuperfuſa in eum arena, baptizatus eſt, ac per hanc*, inquit Hiſtoricus, *tam inſolitam, & admirandam Sanctorum Myſteriorum initiationem, imbecillitate omni tamquam vinculo quodam ſolutus, validius, quam alii iter fecit.*

T. 2. Bib. PP. Par. p. 1132.

Reſp. nego ant. Hæc quippe tam ſubita virium reparatio divinitus conceſſa, non Baptismo in arena dato referenda eſt, ſed fidei, & pietati ſingularis illius Judæi.

Ex ipſa ſiquidem hiſtorica narratione, tum a Joanne Moſcho primum, tum a Nicephoro ſcripta, patet, Baptiſmum hujuſmodi nullum, & irritum declaratum fuiſſe Eccleſiaſtico judicio, atque Judæum aqua fuiſſe ſubinde baptizatum. *Poſtquam autem*, pergit Nicephorus, *domum ſunt reverſi, rem illam ad Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum retulerunt. Ille vero admiratione ſtupens, Eccleſiam ea de re conſuluit; cui viſum eſt aqua inſuper, juxta Eccleſiæ traditionem, eſſe abluendum.* Idem narrat Joannes Moſchus.

T. 1. p. 277. A. B.

Quis reipſa fuerit Dionyſius ille, an Alexandrinus, ut ait Nicephorus, an Corinthius, ut placet Baronio; an Aſcalonita, qui florebat circa an. 630. ut inſinuat Joannes Moſchus, litigant Auctores. Longe veriſimilius eſt fuiſſe Aſcalonitam: tum quia Joannes Moſchus, qui omnium primus hiſtoriam illam ſcripſit, ita ſuggerit; tum quia Nicephorus narrat hiſtoriam illam contigiſſe tempore Marci Aurelii Antonini Imperatoris; ſed Dionyſius Alexandrinus vixit non Aurelio Antonino imperante; ſed annis ſexaginta poſt tempora Philippi Imperatoris.

Objicies 3. auctoritatem duorum SS. Pontificum, Siricii, & Stephani II.

Siricius creatus Pontifex an. 385. in reſponſo, quod extat in duobus Codicibus manuſcriptis optimæ notæ, ſic loquitur: *Presbyter qui in vino baptizat pro maxima neceſſitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa adſcribatur; infans vero ille, ſi in Sanctiſſima Trinitate baptizatus eſt, in eo Baptiſmo permaneat.*

Stephanus II. creatus Pontifex an. 751. cum apud Gallos verſaretur in Villa Cariſiaco, Brittanico Monaſterio, ad varia conſulta reſpondens quæ Sirmondus repræſentat Tom. 2. Conc. Galliæ; & extant Tom. 6. Conc. Labbæi p. 1652. n. 11. de Baptiſmo in vino, hæc habet. *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei inde adſcribitur culpa.* (*Infantes ſic permaneant in eo Baptiſmo*) *Nam ſi aqua adfuit præſens, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ ſubmittatur; quia contra Canonum ſententiam agere præſumpſit.*

Reſp.

Resp. verisimile, prorsus videri, falso & mendaciter Decretum istud Siricio vel Stephano imputari. 1. Quis facile crediderit, Summos illos Pontifices ignorasse, quod neminem ne tenuiter quidem de rebus Theologicis imbutum latet. 2. Ex tribus Codicibus manuscriptis, qui responsa illa continent, duo ea adscribunt Stephano II. tertius vero Siricio. 3. Non consentiunt illi Codices in historica narratione. 4. Respondendi modus alienus prorsus videtur a stylo Stephani, qui responsa sua confirmare solet auctoritate Leonis, vel Innocentii: hic vero nullum sui responsi vatem appellat. 5. Presbyter, qui, aqua deficiente, in vino baptizasse referunt, hoc responso Stephani excommunicatur, & pœnitentiæ subjicitur, *quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit*. Frigida profecto ratio! quasi potior non esset institutio Christi, ac Ecclesiæ totius praxis ac traditio. 6. adulteratum esse Codicem illum Laudunensem inde conjiciunt Auctores notæ marginalis Tomi 6. Conc. p. 1652. Quod cum de uno infante quæstio proposita fuisset; in plurali nihilominus numero dicatur; *Infantes sic permaneant in eo Baptismo*; e margine in textum adultera manu intrusa hæc verba fuisse iidem Auctores suspicantur. 7. Nullus ex Summis Pontificibus, post Siricium, & Stephanum, illius responsi mentionem facit, imo & Gregorius IX. & Innocentius III. & alii omnes unanimi suffragio rejecerunt, & improbarunt Baptismum alio in liquore, quam in aqua naturali, & elementari collatum.

Conjiciunt nonnulli, Stephanum, de quo hic quæstio est, Tornacensem esse hujus nominis Episcopum, non Romanum Pontificem. Conjecturæ istud est fundamentum, nempe ad calcem Codicis S. Mariæ Laudunensis hæc legi: *Finis definitionum Stephani Papæ Tornacensis*. Codicem hunc non vidimus: at certe illum vidit Sirmondus, qui eum repræsentat. Sirmondus autem sic legit: *Expliciunt quæ Dominus Papa Stephanus in Carisiaco Villa, Brittanico Monasterio ad interrogata dedit responsa*. *Tom. 6. Conc. p. 1654. C.*

ARTICULUS III.

De materia proxima Baptismi.

CErtum est materiam proximam alicujus Sacramenti consistere in usu seu applicatione materiæ remotæ; ac consequenter in Baptismo ablutionem esse hujus Sacramenti materiam proximam. Cum vero ablutio tribus modis perfici possit, nimirum immersione, infusione, vel aspersione, de triplici illo baptizandi modo, an validus & licitus sit hic quæritur.

An valeat Baptismus per immersionem, infusionem, vel aspersionem datus.

Circa immersionem in Baptismo longo sæculorum tractu observatam, tria quæruntur: ejus antiquitas, tum in se, tum ratione numeri, trinæ vel unius, & ritus in ea observari soliti.

Anti-

Antiquitas immersionis, & quidem trinæ, in Baptismo.

CONCLUSIO.

Ritus immersionis trinæ in sollemni Baptismi administratione ab Apostolis usurpatus, ab Ecclesia, tum Græca tum Latina, constanter retentus fuit usque ad decimum tertium Ecclesiæ sæculum, quo primum a Latinis immutari cœpit.

Probatur prima pars Conclusionis Veterum monumentis.

1. Ex ipsa significatione litterali Baptismi; Baptismus quippe idem est ac tinctio, immersio, lotio.

2. Ex facto Christi & Apostolorum, qui in aqua baptizabant, sicut
Joan. 3. v. 23. ipse Joannes. At iste baptizabat immergendo: hinc dicitur baptizasse *in Ænnon juxta Salim; quia aquæ multæ illic erant.* Et Christus ipse non alio modo baptizatus est a Joanne, unde apud S. Matth. c. 3. v. 16. dicitur, *postquam baptizatus fuit, ascendisse de aqua*; quia nempe iis totus primum immersus, ab iis subinde emersit seu ascendit.

3. Probatur ex longo, & antiquo usu Ecclesiæ, tum Græcæ, tum Latinæ. Pro Ecclesia Græca testes sunt

P. 93. D. S. Justinus Apologia 2. *Deinde*, inquit loquens de iis qui ad Baptismum informabantur, *eo adducuntur a nobis ubi aqua est ... Nam in nomine rerum sanctarum parentis Domini Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti, in aqua tum lavantur.*

Ed. Par. 1640. p. 231. & seq. Ed. vet. T. 2. p. 211. A. B. S. Cyrillus Jerosolymitanus Cathechesi Mystagogica secunda ad baptizatos, ubi mysticam rituum Baptismi significationem exponit, aitque baptizandos primo toto corpore nudari, deinde oleo exorcizato a summis capillis ad plantam usque pedis ungi, tum ad sanctum lavacrum duci, ac ter in aqua mergi.

S. Basilius lib. de Spiritu sancto c. 27. *Jam*, inquit, *ter immergi hominem, unde ex Scriptura hausium? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renunciare Satanæ, & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex minime publicata, & arcana hac traditione?*

Ed. Com. p. 1358. Ed. Par. 1642. T. 4. p. 236. D. S. Chrysostomus Hom. 6. in Epist. ad Colossenses, ait nos depositis vestimentis nudos in aquis Baptismi descendere: *Hic nuditas*, inquit, *& illic nuditas. Sed illic quidem cum peccasset nudatus fuit, quoniam peccavit; hic autem nudatur, ut liberetur.*

Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum c. 3. observat Eunomium hæreticum omnium primum ab usu Apostolico, & recepto recessisse; ac unam, loco triplicis, immersionem usurpasse, ceterosque Baptismi ritus
Tom. 2. Conc. p. 952. Tom. 6. Conc. p. 1181. p. 673. C. D. immutasse: quippe qui 1. semel immergebat. 2. non stantes, sed in solio sedentes, aut jacentes mergebat, nec totos, sed a solo capite usque ad pectus, & quidem inverso capite, quia nempe inferiores partes execrandas esse, & sacro lavacro indignas contendebat. 3. consuetam Baptismi formam non retinebat, sed in mortem Christi baptizabat. Idem Eunomio tribuit Concilium primum Constantinopolitanum Can. 7. & Quinisextum Can. 95. Sozomenus tamen l. 6. Hist. c. 26. ait, *alios* (quos arbitrabatur veriora dicere) *asserere Theophronium Cappadocem, & Eutychium*

ebium hæreseos Eunomii acerrimos defensores, cum se ab illo abrupissent, ea quæ ad Baptismum pertinent, primos innovasse.

Illos haud dubie perstringit Canon 50. eorum qui Apostoli dicuntur, qui etsi reipsa Apostolorum non sint, ex antiquissimis Conciliis expressi sunt. Sic habet Canon ille: *Si quis Episcopus aut Presbyter non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.* Tom. 1. Conc. p. 52. E.

Denique omnes Rituales Libri, quibus utuntur Græci, mentionem faciunt illius trinæ immersionis baptismalis, ut legere est apud Goarium in Euchologio Græcorum p. 355. & 365. Unde Arcudius l. 10. de Sacramentis c. 7. *Cum Græci*, inquit, *soleant infantes totos in aquam mergere, causa potissima est, cur aquam calefaciant.* P. 121. col. 1. C.

Observat tamen Goarius, loco mox citato p. 365. Græcos nunc infusione uti. *Quoad enim licuit observare*, inquit, *puerum sedentem vase vel pelvi ad cubitum profundo, ter superinfusa aqua calida purificant: vel certe ne aquæ copia obruatur, & forte nimiam epotet, pronum positum, & sinistra in ventre sustentatum, Sacerdos capite & toto corpore aquis salutaribus abluit & lustrat; hasque infusiones non dubitant Græci immersiones appellare.*

Pro Ecclesia Latina testes sunt

Tertullianus L. adversus Praxeam c. 26. *Novissime*, inquit, *mundans* (Christus) *ut tingeret in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non in unum; nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur.* P. 516. B. Et Libro de corona militis c. 3. *Dehinc ter mergitamur amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit.* P. 102. A.

S. Cyprianus Epist. 76. quærenti Magno, an valeret Baptismus per aspersionem vel infusionem datus, respondet valere necessitate premente: quo certe insinuat, in usu & praxi communi per immersionem solitum fuisse conferri Baptismum; qui usus adeo constans & universalis fuit, ut Magno dederit occasionem sciscitandi, an alio modo datus Baptismus ratus esset. P. 153.

S. Ambrosius lib. 2. de Sacramentis c. 6. ait: *inventum esse, quomodo homo vivus moreretur, & vivus resurgeret. Quid est vivus? Hoc est vita corporis vivens cum veniret ad fontem, & mergeretur in fontem.* T. 2. p. 359. B. Et c. 7. *Interrogatus es*, inquit, *Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in Crucem ejus? Credo, & mersisti. Tertio interrogatus es, Credis & in Spiritum sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti.* Ibid. D.

S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos: *Multa*, inquit, *quæ per traditionem in Ecclesia observantur, auctoritatem sibi scriptæ Legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.* T. 4. p. 2. p. 294.

S. Gregorius Magnus consultus a Leandro Episcopo Hispalensi, de ritu baptizandi per trinam immersionem, quem nonnulli Hispani primum immutaverant, semel tantum mergendo, in odium scilicet & detestationem Arianorum, qui trina immersione abutebantur in erroris sui confirmationem; consultus, inquit, S. Pontifex, ratum quidem habet Baptismum unica immersione collatum, sed trinam apud Romanos usurpari immersionem declarat l. 1. Epist. 43. alias 41. *In una fide*, inquit, *non officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa; nos autem quod tertio mergimus, tridua-* Ed. nov. T. 2. p. 532. B.

næ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur.

Ordo Romanus c. de Sabbato sancto sic præscribit: *Acceptis infantibus a parentibus vel patrinis eorum, baptizant eos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocantes ita dicendo: Ego baptizo te in nomine Patris, & mergit semel; & Filii, & mergit iterum; & Spiritus sancti, & mergit tertio.*

Bibl PP. T. 13. p. 696. H.

Synodus Celychitensis in Anglia an. 816. c. 11. *Sciant*, inquit, *Presbyteri quando sacrum Baptismum ministrant, ut non effundant aquam super capita infantium, sed semper mergantur in lavacro, sicut exemplum præbuit per semetipsum Dei Filius omni credenti, quando esset ter mersus in undis Jordanis. Ita necesse est secundum ordinem servari & haberi.*

Tom. 7. Conc. p. 1484. E.

Idem plane testantur, qui de divinis Officiis scripsere apud Latinos, Alcuinus, Amalarius, Vvalafridus Strabo, qui nono floruere Ecclesiæ sæculo. Imo nonnullis tam severe & constanter retinendus visus est ritus trinæ immersionis, ut oppositum Hispanorum morem veluti errorem damnare non timuerint, ut Alcuinus epist. 81. ad Paulinum, & 69. ad Fratres Lugdunenses; ubi certe paullo severius & ultra modum damnat ritum a Gregorio Magno, & Toletana Synodo IV. non improbatum.

Idem Auxilius in Præfatione secundi Libri de validitate Ordinum, quos dederat Formosus Papa.

Idem & Fulbertus Carnotensis, qui floruit undecimo sæculo, Epist. 1. ad Adeodatum, & Petrus Damianus lib. 6. Epist. 35. ad suæ Congregationis Monachos.

Idem duodecimo sæculo S. Bernardus Serm. in Cœna Domini.

Apud Magistrum Sententiarum, qui an. 1164. extremum diem obiit, cum de proxima Baptismi materia loquitur, altum est silentium de aspersione vel infusione. Paullo ante ipsum Hugo Victorinus ait: *homines nudos baptizari.*

Denique S. Thomas, qui obiit die 7. Martii an. 1274. 3. p. q. 66. art. 7. ait: *ritus esse baptizare per modum immersionis, quia hoc habet usus communior.* Et an. 8. in corpore ait: *Ministrum graviter peccare, qui aliter, quam immergendo baptizat, quia ritum Ecclesiæ non observat.*

S. quoque Bonaventura qui eodem anno obiit, idem testatur in 4. dist. 3. q. 1. Igitur usque ad sæculum decimum tertium obtinuit apud Latinos ritus trinæ immersionis in Baptismo.

Unde falso Michael Cærularius undecimo sæculo Latinos calumniabatur, quod per trinam immersionem non baptizarent.

Dixi in Conclusione, immersionem fuisse constanter observatam in sollemni administratione Baptismi: namque in Baptismo privato qui Clinicis & aliis urgente necessitate conferebatur, aspersio vel infusio aquæ, tamquam sufficiens ad veritatem Sacramenti, usurpabatur, ut constabit ex dicendis paullo post.

Secunda pars Conclusionis, nempe immersionis ritum paullatim a Latinis fuisse immutatum, circa decimum tertium Ecclesiæ sæculum.

Tom. 11. Conc. p. 2. pag. 1584.

Probatur ex SS. Thoma & Bonaventura mox citatis. Prior enim asserit, Baptismum aspersione vel infusione posse conferri, licet tutius sit immersionem usurpare, propter communiorem usum Ecclesiæ: alter affirmat, morem baptizandi per aspersionem, in multis Ecclesiis, Gallicana præsertim,

tim, obſervari. Et ann. 1311. in Concilio Ravennenſi II. ſub Clemente V. titulo undecimo, alteruter ritus, immerſionis vel aſperſionis, permittitur. Et in Rituali Romano pro diverſa locorum conſuetudine, trina vel immerſio vel infuſio aquæ Paſtoribus uſurpanda præſcribitur.

ADDITIO.

(*)

NEc exoleviſſe hoc eodem ſæculo ubique trinæ merſionis diſciplinam eruitur ex Thoma Argentinenſi in l. 4. ſent. quæſt. 1. art. 4. ſed propagatam omnino eſſe ad ſæculum 15. teſtes ſunt ejus ſæculi Scriptores Thomas VValdenſis, & Joannes Gerſon. Imo vero Romæ, atque in plurimis Occidentis Eccleſiis adhuc ſæculo 16. conſervatum eſſe veterem mergendi morem perſuadet mihi c. 11. Concilii Hiſpalenſis celebrati ad Annum 1512. ubi Patres ſic ajunt: Quia reperimus in hac noſtra Diœceſi infantes per aſperſionem, non autem per immerſionem, quandoquidem baptizari; noſcenteſque tam ex decretis, & veterum Canonibus, quam ex ſanctorum Theologorum ſententiis, eum ritum ac conſuetudinem baptizandi, quamvis non improbetur, non tamen adeo probari, ac Baptiſmum per immerſionem; tum, quia id conformiu sconſuetudini S. R. Eccleſiæ Magiſtræ & Capitis, nec non conſuetudini univerſalis Eccleſiæ; tum etiam, ut plenius compleatur analogia, quam habet cum ſepultura, & Reſurrectione J. C. D. N. juxta dictum Apoſtoli ad Coloſs. 2. ubi ait: Quod ſumus conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurreximus per fidem operationis Dei, proptera nos, ad quos ex officio ſpectat dirigere, & promovere oves nobis commiſſas, de bono in melius... præcipimus, ac jubemus omnibus Parochis noſtræ Diœceſis ut in poſterum baptizent per immerſionem, prout in Eccleſiis, quas viſitamus, docuimus, & ordinavimus, & uſus tenet; exceptis quatuor caſibus, primo: cum baptizandus erit adultæ ætatis, ſive vir, ſive femina; ſecundo: cum infans ægrotaverit, de quo veriſimiliter credi debet, quod, ſi in aquam immergeretur, manifeſtum damnum, ac jacturam pateretur; tertio: cum infans nequit ab utero matris exire, niſi ſolum caput, vel aliud ejus membrum; quo caſu fieri debet Baptiſmus in illo membro per aſperſionem; quarto: cum in caſu neceſſitatis nequit haberi ea copia aquæ, ut ſufficiat ad immerſionem.

Denique teſte Edm. Martene de Ritibus præcipue merito, Manuale ad uſum Senonenſis in Campania Diœceſis ab Archi-Epiſcopo, & Card. Bourbon approbatum, & Rituale Romanum in Nortmannia Cadomi A. 1614. impreſſum merſionem trinam adhuc imperabant, quam diligentiſſime Mediolanenſis cuſtodit hodiedum Eccleſia, & in Romana Benedictus XIII. P. uſurpaſſe legitur. Hinc aſſentiri nequeo Juenino, affirmanti, exeunte ſæculo 14. paucis in locis merſionem obtinuiſſe, & multo confidentius pronuncianti Auctori Rei Sacramentariæ: certum eſse, in Latina Eccleſia, Græcis antiquum morem tenentibus, verſus finem ſæculi 14. ritum immerſionis penitus deſiiſſe, & ejus loco infuſionem communiter uſurpatam. *Nec enim me movet, quod ajunt;* Ritualia, quæ ex illo tempore ſunt ſcripta, *affuſionem cuncta præſcribere, id enim qua facilitate aſſeritur, eadem & negari poteſt. Dicit equidem codex Ritualis Cemonauenſis,*

nensis, hoc fere ævo exaratus, Sacerdos accipiat aquam in Balchino, & integret nomen infantis, & mittat ter super caput ejus, dicendo. *Et Ecclesiæ Meldensis ejusdem fere temporis statuta sic monent*: Nota, quod usus modernus non est immersio aquæ, sed aspersio, aut affusio aquæ super verticem infantis. *Nec ambigimus plures alios Rituales libros in eumdem sensum loqui: at an hi jam omnes sunt, qui postremis hisce sæculis lucem aspexere, Rituales codices? nullumne inter illos merebuntur locum Missale Romanum, sæculo 15. exeunte, vel ineunte 16. emissum ad usum fratrum Minorum, quod conceptis verbis mersionem imperat. Rituale jussu Pii V. procusum, quod diserte edicit utrumque, hoc est, & mersionis, & aspersionis ritum, usumque vigere, & pro varia Ecclesiarum consuetudine retinendum esse, ut cetera omittam nuper exposita. Deinde peto, edicant, quod tandem Ecclesiarum Ritualia illa sint, quæ inspexerunt, ut de Occidentis universi commutatione ad sæculum 14. ferre audeant judicium ex noviter procusis illis denis, vicenis, aut per me licet etiam tricenis, quos pro se jactant, codicibus hoc solum inferri potuit, totidem Ecclesias a veteri more descivisse; ceteras vero, quæ nulla nova emisere Ritualia, antiquis pene id tempus moribus vixisse. Quid multa? aut fides abroganda est Hispalensis Synodi Patribus, aut cum iisdem fatendum, sæculo adhuc 16. quo cœtum suum agebant, immersionis ritum, & in Romano more, & in universalis Ecclesiæ consuetudine fuisse; nec proinde desiisse dominari immersionem, nisi cum hoc, aut 17. Ecclesiæ sæculo, quo denique transitio universalis ad effusionis ritum facta est.*

(*)

Loquimur autem de immersione secundum se, non ratione numeri: certum est enim jam sexto sæculo aliquas Hispaniæ Ecclesias, in odium Arianorum, unicam, non trinam usurpasse immersionem; ut nihil dicam de Eunomianis, de quibus Theodoretus; de Bonosiacis, de quibus Pelagius II. in suo ad Gaudentium Rescripto. Hi quippe unica immersione baptizabant, ut unicam in Deo personam esse innuerent, propter oppositum errorem: Ariani enim, ut tres esse in tribus personis naturas significarent, trinam usurpabant immersionem; quos ne viderentur imitari Hispani nonnulli, ab antiquo usu ter mergendi recesserunt.

Denique vel ipsi Græci, qui ritum effundendi aquam supra caput baptizati in nobis Latinis reprehendunt, aliquando observant, & a suo ritu antiquo recedunt. Constat ex responso Gregorii Protosyncelli ad Marcum Ephesinum. *Sed & nos*, inquit, *haudquaquam immergimus infantes usque ad summum verticem, nec enim possumus illis præcipere, ut respirationem, ac expirationem per nares cohibeant, ne etiam per aures sacra permeet aqua; sed neque os infantis obturare possumus. Verum eos in sacrum immittimus fontem, ut ne quid valde necessarium ex Traditione prætermittamus, quasi uteri imaginem referente lavacro, & regenerationem per hoc indicante. Et ne caput, in quo est sedes omnium sensuum & vehiculum animæ, Sacramenti Baptismatis fiat expers, cava manu aquam e sacro fonte haurientes, illud perfundimus.*

Tom. 13. Conc. p. 763. A. B.

Gregorio Protosyncello consonat in sua vernacula Synopsi Neophytus Rhodinus: *Ter aquam*, inquit, *super eum, qui baptizatur, infundimus, ut*

SS. Tri-

SS. Trinitatem, in cujus nomine baptizatur, declaremus. Hodiernam Græcorum praxim exponit Joannes Goarius, in suis ad Euchologium Græcorum notis.

Quæres 1. unde fluxerit consuetudo trinæ immersionis in Baptismo.

Resp. ex Traditione Apostolica: sic enim insinuat Tertull. Libro de Corona militis c. 4. ubi postquam trinæ illius mersionis, & aliquorum aliorum rituum mentionem fecit: *Harum*, inquit, *& aliarum ejusmodi disciplinarum Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* P. 102. A.B.

Ita quoque S. Basilius L. de Spiritu Sancto c. 27. citato. Et S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos etiam citato. Porro juxta regulam S. Aug. Epist. 54. alias 118. *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.* Et ut loquitur L. 4. contra Donatistas c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Hinc est, quod adeo religiose observari voluerint Veteres trinam illam immersionem in sollemni administratione Baptismi, eumque gravioris peccati reum habuerint, qui secus fecisset. Tom. 2. p. 124. B. T. 9. p. 140. C.

Quæres 2. quas ob causas ritus immersionis fuerit mutatus.

Resp. has afferri posse. 1. baptizandorum, præsertim vero infantium, commodum, quibus ob tenellæ ætatis infirmitatem immersio nocere poterat. 2. periculum ne infans e manibus Ministri forte delapsus in profundum baptisterii demersus aquis extingueretur, quod nonnunquam contigisse legimus. 3. propter mulierum pudicitiam, cui parcere & consulere tutius voluit Ecclesia, sicut & Ministrorum oculis, quibus sine multorum periculo nudæ mulieres objici vix possunt, præsertim postquam desiit in Ecclesia Diaconissarum ministerium. 4. propter numerum baptizandorum, quibus mergendis, ac sustinendis pares vix esse poterant Ministri.

Necessitas trinæ immersionis.

An valeat Baptismus aspersione vel infusione datus.

Necessitas alia est Sacramenti & juris Divini, alia vero præcepti Ecclesiastici. Necessitas immersionis trinæ in Baptismo ex mandato Ecclesiæ, manifeste ostenditur ex longo & constanti illius usu, de quo mox dictum est.

Quæstio igitur hic tantum movetur de necessitate Sacramenti seu juris divini, an scilicet Veteres in ea fuerint opinione, trinam immersionem omnino pertinere ad substantialem Baptismi veritatem.

Inter Veteres ea de re dubitasse videntur tum Cornelius R. Pontifex, tum Magnus, qui sanctum Cyprianum consuluit.

Quin inter Græcos recentiores Schismaticos nonnulli hanc suæ a Latinis separationis causam ex parte obtendunt, quod hi trinam immersionem ex Apostolica Traditione necessariam obmitterent. Hinc est, quod Gregorius Hieromonachus Alexandrinæ Ecclesiæ Primicerius, ac Philothæi Patriarchæ ad Synodum Florentinam Vicarius atque Legatus, asserebat nos

Latinos male baptizatos esse, nec nobiscum tentandam esse unionem: Inde factum haud dubie, quod aliqui Græci a Latinis baptizatos iterum baptizare ausi fuerint, sicut colligimus ex Concilio Lateranensi IV. c. 4. Eamdem accusationem adversus Latinos moverunt Marcus Ephesinus in Epistola encyclica, & Jeremias Constantinopolitanus in secundo responso ad Confessionem Augustanam.

Inter nostros quoque Latinos nonnulli, ut Alcuinus, paullo durius atque severius necessitatem trinæ immersionis urgebant, & contrariam praxim velut errorem notabant. Vvalafridus quoque, quamvis modestius, improbavit unicam immersionem ab Hispanis sexto sæculo primum usurpatam. „ Fuit etiam superiore sæculo in Anglia Carolus Maria de Veil, „ qui in *Actis Sanctorum Apostolorum ad litteram explicatis*, Londinique „ editis an. 1684. immersionem affirmaret non esse liberam, sed necessariam, ac baptismum per aspersionem aut affusionem administratum „ minus habere rationem Baptismi legitimi. Vide Acta Lipsiensia eruditorum an. 1686. *pag.* 504. *seq.* Itaque sit

CONCLUSIO.

Trina immersio ad substantiam Sacramenti non pertinet, nec aliter Veteribus visum fuit, qui ratum perinde habuere Baptismum, sive per immersionem, sive per infusionem, aut aspersionem trinam vel unicam collatum.

Probatur 1. Quia nullum extat in Scriptura expressum mandatum ter in aqua immergendi eos, qui baptizandi sunt. Usum quidem hunc exemplo suo comprobasse Christum & Apostolos, communis fert opinio; sed multa fecerunt Christus & Apostoli in Sacramentorum dispensatione, quæ ad eorum substantialem veritatem pertinere nemo dixerit; quod in consecranda & dispensanda Eucharistia manifestum esse ostendemus.

Probatur 2. Quia quod ad disciplinam dumtaxat seu sollemnem Sacramenti Baptismatis administrationem pertinere censuere Veteres, in quo pro temporum, locorum, ac personarum varietate mutatio potest admitti, illud profecto nessarium non est necessitate Sacramenti, ac juris & præcepti divini: atqui talem esse immersionem baptismalem censuere Veteres; ergo &c.

Minor probatur testimoniis Veterum, qui immersionem vel infusionem aut aspersionem indifferentem judicarunt ad veritatem Sacramenti.

I. Tertullianus L. de Pœnit. cap. 6. ad hanc aquæ aspersionem in Ba-
P. 124. C. ptismo videtur alludere cum ait: *Neque ego renuo divinum beneficium, id est, ablutionem delictorum inituris aquam omnimodo salvum esse; sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi tam infidæ pœnitentiæ viro adsperginem unam cujuslibet aquæ commodabit?*

II. S. Cyprianus consultus a Magno, quid esset sentiendum de Baptismo Clinicorum, id est eorum, qui in lecto præ infirmitate decumbentes
P. 153. baptizantur, an nempe *habendi sunt legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi*, respondet per Epistolam apud Famelium 76. in ultima editione Anglicana 69. *Nos, quantum concipit mediocritas nostra, æsti-*

mamus

mamus in nullo mutilari & debilitari posse beneficia divina .... Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezechielem Prophetam loquatur, & dicat: Et aspergam super vos aquam mundam .... Et post adducta nonnulla alia Scripturæ loca in quibus aspersionis mentio fit, sic concludit: *Unde apparet aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere; & quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi fit & dantis, & accipientis fides integra, stare omnia & consummari, ac perfici posse majestate Domini & fidei veritate.* Nihil potest in rem nostram disertius afferri hoc S. Doctoris testimonio. *Ibid.*

Hunc Clinicorum seu grabatariorum per infusionem aut aspersionem datum Baptismum ratum, ac validum habuere varia Concilia. Romanum sub Cornelio, in quo Novatianus in lecto baptizatus iterum non baptizatus legitur post recuperatam sanitatem. Neocæsarienſe an. 314. Can. 12. quo sic baptizati a sacris quidem Ordinibus velut irregulares arcentur, sicut & in Synodo Romana mox citata, vere tamen baptizati agnoscuntur. Antissiodorense an. 578. Can. 18. Matisconense II. an. 585. Can. 3. Parisiense IV. an. 829. c. 7. ubi decretum Neocæsarienſis Synodi innovatur & confirmatur.

III. S. Aug. tract. 80. in Joan. circa finem. *Hoc*, inquit, *verbum fidei* (id est invocatio trium personarum SS. Trinitatis) *tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem.* Si sufficit ex S. Augustino tantillum tingere, sufficit ablutio per infusionem vel aspersionem. T. 3. p. 2. p. 703. E.

IV. Cum Ariani trina Baptismali immersione abuterentur ad significandum tres esse distinctas naturas in tribus personis Trinitatis, atque nonnulli in Hispania Catholici, in odium, ac detestationem eorum, unicam tantum immersionem usurpandam decrevissent contra morem antiquum, suborta est ea de re contentio, de qua Leander Episcopus Hispalensis consuluit S. Gregorium Magnum R. Pontificem, qui L. 1. epist. 43. alias 41. sic respondet: *De trina mersione Baptismatis nihil responderi melius potest, quam ipsi sensistis: quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc huc usque ab Hæreticis infans in Baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo; ne dum mersiones numerant, Divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.* T. 2. p. 532. A. B.

Patet ex hoc responso, S. Pontificem censuisse trinam immersionem ad substantiam Baptismi non pertinere, quandoquidem eam propter Arianos mutandam esse decreverit, aut saltem mutationem ab Hispanis factam approbaverit.

Istud S. Pontificis judicium probavit, ac suum fecit Ecclesia Hispanica in IV. Concil. Tolet. sub Honorio, an. 633. cap. 6. ubi postquam verba S. Gregorii mox citata transcripsit, ita pergit: *Quapropter quia de utroque sacramento quod fit in sancto Baptismo a tanto viro reddita est ratio,* Tom. 5. Conc. p. 1706. D. E.

quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur, propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem; ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem.

Alcuinus in sua præsertim ad Clerum Lugdunensem Epist. n. 69. paullo acerbius, ac durius invehitur adversus hanc Hispanorum immutationem, quam velut errorem traducere non pertimescit: quia vero intelligebat multos commoveri auctoritate S. Gregorii in sua ad Leandrum Epistola, eam falsitatis & suppositionis accusat. *Quia*, inquit, Epist. 70. *eam in Epistolari suo Libro, qui de Roma nobis allatus est, non invenimus.*

P. 1593. B.

Verum hunc immoderatum zelum pro retinenda triplici immersione, repressit Concil. Vormatiense an. 868. Can. 5. ubi de verbo ad verbum transcribit & suum facit judicium S. Gregorii, cujus Epistola in suspicionem falsitatis & suppositionis venire nullatenus potest, cum ipsius mentionem faciant Synodus Toletana IV. & Vvormatiensis mox citata, S. Isidorus in Catalogo Virorum illustrium, S. Ildelphonsus Toletanus Archiepiscopus in suo Catalogo; Lucinianus Carthaginensis Episcopus in sua ad ipsum Gregorium Magnum Epistola per Lucam Dacherium publici juris facta, in qua ait: *Scripsisti Leandro Episcopo de trina tinctione*: Joannes Diaconus in vita S. Gregorii &c.

Tom. 8. Conc. p. 946.

Paullo clementior fuit in Hispanos Vvalafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis c. 26. ubi agnoscit legitimam esse Epistolam S. Gregorii ad Leandrum; & postquam expendit causas & rationes quibus inducti sunt Hispani, ut trinam mersionem in unam commutarent, significat sibi non satis graves videri causas illas, adeoque morem antiquum resumendum esse, quamquam immutationem factam erroris insimulare non audeat. Videtur auctor ille hanc sequutus regulam S. Augustini: *Oves non debent pelles suas deponere, si aliquando lupi eis se contegant.* Et vero Hæretici ad errores suos confirmandos, aliquando unam, ut Eunomiani; aliquando triplicem immersionem usurparunt, ut Ariani; neque propter illorum hæreticorum hominum abusum debent Orthodoxi, judice Vvalafrido, a moribus antiquis recedere. Sed quidquid sit de mente illius auctoris hoc unum certum colligimus ex dictis posse Ecclesiam pro sua sapientia & prudentia, pro locorum, temporum, & personarum varia necessitate, modo unam, modo triplicem mersionem adhibere, salva semper, & integra remanente Sacramenti Baptismatis substantia.

Bibl. PP. Tom. 13. p. 196. H.

T. 3. p. 2. p. 216. G.

V. Ante S. Gregorium Pelagius II. S. Pontifex, qui obiit an. 590. in Rescripto ad Gaudentium Episcopum apud Ivonem in Decreto, titulo *De Baptismo*, c. 191. interrogatus de Baptismo sub una mersione ab Hæreticis Bonosiacis collato, respondet, juxta præceptum Domini in nomine Trinitatis trina etiam mersione baptizandum: *Si tamen*, inquit, *manifesta confessione claruerit, quod Trinitatis nomine fuerint illi baptizati, sola reconciliationis gratia impensa Catholicæ fidei reconciliare maturabis*; quo certe responso significat S. Pontifex, ad substantiam baptismi satis esse, quod in nomine Trinitatis conferatur, sive per unam sive per triplicem immersionem.

P. 24. col. 2.

Probatur 2. Exemplis Baptismi infusione vel aspersione nonnullis in occasionibus concessi.

Pri-

Primo, ubi magna erat baptizandorum multitudo: v.g. cum uno die tria vel quinque hominum millia baptizare oportuit, ut Act. 2. v. 41. & c. 4. v. 4. contigisse legimus, perverisimile est non per immersionem, sed per aspersionem aquæ collatum Baptismum. Ita S. Th. in 4. dist. 3. q. 1. ar. 4. quæstiunc. 1.

Secundo, cum in privatis domibus sive propter infirmitatem, sive propter instantem persecutionem, sive propter opportunam & inopinatam occasionem Baptismus conferebatur, proculdubio non immersio sed infusio aut aspersio usurpabatur.

Sic baptizabantur infirmi in lecto; sic S. Petrus in carcere detentus Act. 16. v. 33. custodem *carceris cum omni domo sua baptizavit*: sic S. Laurentius unum militem Romanum nomine, aqua ex urceo effusa opportunitatem captans baptizavit, sicut legitur in ejus vita. Ad quod factum respiciens Vvalafridus L. de rebus Eccles. c. 26. *Notandum*, inquit, *non solum mergendo, sed etiam desuper fundendo multos baptizatos fuisse, & adhuc posse baptizari .... sicut in passione S. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam*, pergit ille, *solet evenire cum provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur.* Bibl. PP. Tom. 15. p. 197. A.

In Actis quoque manuscriptis S. Gratiliani, *Felicissima ab ipso Christianæ Religionis mysteriis imbuta, urceum cum aqua, ut baptizaretur, ei obtulisse legitur.* De antiquis ritibus &c. apud Marthene. Tom. 1. p. 128.

Acta etiam S. Bacchi junioris edita a Combefisio, Lauræ S. Sabbæ *Præpositum* describunt *tollentem manibus vivificam urnam super caput ejus, atque immortalitatis ei lavacrum in nomine sanctæ & consubstantialis Trinitatis effundentem.* His adde Acta S. Liudgeri Episcopi, *qui in expulsione servorum Dei e Frisia, jussit Berulenum hominem laicum per domos discurrere, & persuasis matronis morituros baptizare illorum infantulos, benedicta simpliciter aqua in nomine Domini intinctos vel superfusos cum invocatione S. Trinitatis.*

ADDITIO.

(*)

NEc desunt exempla, quæ palam faciant, eosdem affusionem interdum mersioni junxisse *Mabillonius in itinere Ital. refert oblatas sibi a Ciampino monumenti cujusdam non longe Neapoli eruti figuras duas, quæ homini in Semidolio existenti, aquam superfundi exhibent. Et Ciampinus ipse T. 2. Monum. Vet. c. 4. Agilulfum Longobardorum Regem, & conjugem ejus Theodelindam medio corpore aquis mersos, undam sacram capite excipientes delineavit ex Sarcophagis antiquis; consimilis ritus Baptismatis ostendit etiam tabula ab eodem Scriptore producta ex æde S. Pudentianæ. Hunc mixtum morem adamavit quoque Leodiensis Ecclesia; sic enim in Synodalibus Statutis Joannis Leodiensis ad An.* 1287. *lego*: Ille qui baptizat, quando immergit in aqua baptizandum, dicat..... & ut caveatur periculum baptizandi, non mergatur caput pueri in aqua, sed Sacerdos super verticem pueri ter infundat aquam cum pelvi, vel alio mundo vase. T. 14. Conc. *Idem a Græcis frequentari auctor est Goarius in notis ad offic. Bapt. n. 24. Græci namque, ut ipse narrat, puerum sedentem in πολυμβήθρα ad cubitum usque parvuli aquis pertingentibus, ter superinfusa calida initiant, aut ne nimia aquarum mole obruatur tenellus infans, subjecta sinistra ejus ventriculo pronum sustinent, dextra salutarem fontem inde a capite per corpus omne affundentes. Quas effusiones Neophytus Rhodinus*

dinus merſiones appellare non dubitat. Ter aquam ſuper eum, qui baptizatur, infundimur, ut S. Trinitatem, in cujus nomine baptizamur, declaremus; & ut inſuper tribus illis merſionibus mortem, ſepulturam, reſurrectionemque Chriſti profiteamur.

(*)

Probatur denique, quia ablutio per aquam eſt de natura & ſubſtantia Baptiſmi, non vero modus abluendi: porro æque abluitur baptizandus per infuſionem aut aſperſionem, quam per immerſionem; & quamvis immerſio expreſſius ſignificet nos per Baptiſmum conſepultos eſſe cum Chriſto, expreſſior tamen illa ſignificatio ad ſubſtantiam Sacramenti non pertinet, ad quam ſatis eſt ſignificatio practica & efficax mundationis internæ per gratiam Spiritus Sancti diffuſam in cordibus: at talem mundationem tam recte ſignificat, & efficit ablutio per infuſionem vel aſperſionem quam per immerſionem. Nec ſignificatio litteralis vocis *Baptiſmi* urgeri debet: quamvis enim immerſionem ut plurimum deſignet, ſimplicem tamen aquæ infuſionem ſignificat aliquando, ut apud S. Marcum c. 7. v. 4. S. Lucam c. 11. v. 38.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Cornelius S. Pontifex, & cum eo Romana Synodus improbavit Baptiſmum per infuſionem datum Novatiano in lecto decumbenti. Sic de eo ſcribit ipſe Cornelius ad Fabium Antiochenum apud Euſebium L. 6. Hiſt. c. 43. *Cum ab Exorciſtis foveretur, in morbum graviſſimum collapſus, dum jam jamque moriturus creditur, in ipſo, in quo jacebat lectulo perfuſus, Baptiſmum ſuſcepit; ſi tamen*, inquit, *hujuſcemodi Baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt*. Et poſtea loquens de Ordinatione ejuſdem Novatiani in Presbyterum, ait, univerſum Clerum, multoſque ex populo refragatos fuiſſe, *eo quod non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde, ac ille, perfuſi fuiſſent, in Clerum aſſumi*.

P. 244. G.

P. 245. A.

Ex quo duo colligi poſſunt; primum, dubitaſſe Cornelium an verus eſſet & legitimus Baptiſmus, quem Novatianus in lecto per infuſionem acceperat; alterum, irregulares fuiſſe ſeu ad ſuſcipiendos ſacros Ordines inhabiles, qui in lecto fuerant baptizati.

II. De eodem Baptiſmo dubitavit Magnus cum aliis nonnullis apud S. Cyprianum Epiſtola 76. *an nempe habendi ſint legitimi Chriſtiani, qui aqua ſalutari non ſunt loti, ſed perfuſi*. Ratio dubitandi ipſis erat, quod ſic baptizati plenum non aſsequerentur Baptiſmi effectum, cum eorum multi immundis adhuc torquerentur ſpiritibus.

P. 153.

Quin ipſe S. Cyprianus, quamquam valere talem Baptiſmum reſpondeat, rem tamen apud omnes certam non eſse minime diſſimulat, & unicuique permittit, & facere & ſentire quod vellet: *Qua in parte*, inquit, *nemini verecundia & modeſtia noſtra præjudicat, quominus unuſquiſque quod putat, ſentiat, & quod ſenſerit, faciat*. Unde poſtea permittit iis, qui nullum judicant talem Baptiſmum, ſic baptizatos iterum baptizare. *Quantum fide concipere*, inquit, *& ſentire nobis datur, mea ſententia hæc eſt, ut Chriſtianus judicetur legitimus, quiſquis fuerit in Eccleſia, lege, & jure fidei, divinam gratiam conſecutus. Aut ſi aliquis exiſtimat eos*

Ibid.

P. 154.

nihil

nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes, & vacui sunt; non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint & convaluerint, baptizentur. Et rursus in fine Epistolæ: *Rescripsi*, inquit, *fili carissime, ad Litteras tuas, quantum parva nostra mediocritas valuit, & ostendi, quid nos quantum in nobis est, sentiamus, nemini præscribentes, quominus statuat, quod putat unusquisque Præpositus, actus sui rationem Domino redditurus.* P. 155.

Resp. ad primum, Cornelium & Synodum Romanam nusquam judicasse nullum fuisse & irritum quoad substantiam Baptismum Novatiano decumbenti per infusionem aquæ concessum: nusquam enim in quæstionem ab ipsis adductum fuit, an rebaptizandus esset ille Novatianus; quod certe prætermissum ab illis non fuisset, si nullum & irritum judicassent talem Baptismum.

Duplici ergo de causa Baptismum illum improbarunt Cornelius & Synodus Romana: primo, propter irregularitatem annexam, qua tamen non obstante Novatianus ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus fuerat, contra Canones & Disciplinam Ecclesiæ. Secundo, propter defectum Confirmationis & Eucharistiæ, quas pro more consueto simul cum Baptismo non receperat: unde plenum & integrum, quoad effectus, ceterosque Ecclesiæ ritus, Baptismum non suscepisse dicitur Novatianus: atque hinc adversus illum querelæ & expostulationes.

Duplicem illam causam seu rationem omnino fuisse, cur improbatus fuerit Baptismus ille Novatiano datus, significat ipse S. Pontifex Cornelius in citata ad Fabium Antiochenum Epistola.

Primo quidem, quod irregularis ex tali Baptismo factus, ad Ordines tamen sacros fuisset promotus, ex sola, inquit Cornelius, Episcopi gratia, renitentibus ceteris, tum Cleri tum populi. *Cum egregius ille vir*, inquit ironice Cornelius: *Ecclesiam Dei reliquisset, in qua post susceptum Baptisma Presbyteri gradum fuerat consecutus, idque per gratiam Episcopi, qui manus illis imponens, eum ad Presbyterorum Ordinem evexit. Cui cum universus Clerus, multique ex populo reclamarent, eo quod non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille, perfusi fuissent, in Clerum assumi, postulavit ab iis Episcopus, ut hunc solum ordinari a se paterentur.* Quibus certe verbis duo constat: primum, irregulares fuisse, & inhabiles ad Ordines sacros percipiendos, qui in lecto baptizabantur, sicut baptizatus fuerat Novatianus: alterum, Episcopum Ordinatorem Novatiani, haud dubie falsa & ementita pietate illius deceptum, cum eo dispensasse ab illa irregularitate, ceteris de Clero, & populo retinentibus. Ejusdem irregularitatis annexæ baptismo sic in lecto concesso mentionem faciunt veteres Canones. *Euseb. Hist. p. 245. A.*

Si vero quæres causam & rationem illius irregularitatis, respondebit Synodus Neocæsar. Can. 12. hanc esse, *quia non ex proposito fidei illorum, sed ex necessitate descendit.* Id est, quia non proprio motu; sed metu mortis compulsi baptismum susceperunt. Aliam causam adducit Illustriss. & Doctissimus Albaspinæus hunc Canonem exponens: *Quia*, inquit, *ejusmodi baptizati docere, fidei arcana tradere, exponere, & cetera sacerdotii officia implere non posse viderentur, quos valetudo prima fidei elementa non permisisset edisscere, & rerum omnium ignaros, & rudes baptizari cogisset.* *Tom. 1. Conc. p. 1485. A.* *Ibid. p. 1490. B.*

Addi & posset alia caussa, quia scilicet baptizati illi non erant cum omni ritu, & sollemnitate per Ecclesiam præscripta, quod satis erat, ut tamquam irregulares arcerentur a sacris Ordinibus.

Secundo: improbatus fuit a Synodo Romana, & Cornelio Baptismus Novatiano decumbenti datus, propter defectum Confirmationis & Eucharistiæ: quæ Sacramenta pro more recepto cum non percepisset, non plenum baptismum dicitur habuisse. *Sed*, pergit Cornelius in eadem Epistola, *neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab Episcopo confignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?*

Euseb. Hist. p. 244. C. D

Ad secundum: Non satis liquido constat, de quo dubius, & anxius fuerit Magnus, qui Cyprianum consuluit, an de veritate substantiali Baptismi, an tantum de plenitudine effectus illius, ceterisque prærogativis, quibus rite & catholice baptizati gaudere solent. Insinuat etiam S. Cyprianus in Epistola citata, sic in lecto baptizatos haberi quidem pro baptizatis & Christianis, sed qui ceteris non sint adæquandi. *An consecuti sunt*, inquit, *quidem gratiam Dominicam, sed breviore, & minore mensura muneris divini ac Spiritus Sancti, ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen ceteris adæquandi*: unde molestè fert, sic baptizatos invidioso nomine Clinicos appellari; quibus verbis innuere videtur S. Doctor, quæstionem non fuisse de veritate substantiali Sacramenti Baptismatis; sed de plenitudine dumtaxat effectus illius, quem plenum, & integrum non percipere eos, qui in lecto baptizantur, nonnulli arbitrabantur, quos ibidem refellit S. Cyprianus. Verum, esto dubitaverit Magnus cum aliis nonnullis, an ratus & verus esset Baptismus in lecto perceptus, certe non dubitavit Cyprianus; & rationem qua nitebantur alii, nempe sic baptizatos immundis adhuc torqueri spiritibus, sic refellit: *Hoc rebus ipsis*, inquit, *experimur, ut necessitate urgente in ægritudine baptizati, & gratiam consecuti, careant immundo spiritu, quo antea movebantur; & laudabiles ac probabiles in Ecclesia vivant.... E contra sæpe nonnulli de illis qui sani baptizantur, si postmodum peccare cœperint, spiritu immundo redeunte quatiuntur; ut manifestum fit, diabolum in Baptismo fide credentis excludi; si fides postmodum defecerit, regredi.*

P. 154.

Ibid.

Nec obstat 1. quod S. Cyprianus unicuique liberum reliquerit sentiendi & faciendi quod vellet: in hoc enim laudanda ipsius moderatio ac prudentia singularis, qua rem nondum sollemni Ecclesiæ totius Judicio eliquatam, & definitam uniuscujusque arbitrio permisit. 2. Non obstat quod idem S. Doctor voluerit in lecto baptizatos rebaptizari, ab iis scilicet qui nullum putant ejusmodi Baptismum, istud enim sequebatur ex licentia, quam concesserat unicuique opinandi, & faciendi quod vellet: qui enim nullum judicant hunc Baptismum, debent iterum eum conferre, ut cohærenter agant, & sentiant. Imo in opinione, & principiis S. Cypriani, eo ipso, quo putabat quis Baptismum suum non consequi plenum effectum, debebat illum iterare; quia, juxta S. Doctoris mentem, nullus est quoad substantiam Baptismus, qui suo caret effectu, nempe gratia Spiritus Sancti: unde inferebat, (in quo errabat) Baptismum ab Hæreticis collatum, idcirco nullum esse, & iterandum, quia Spiritus Sancti gratia destitutus est; Hæretici enim eam gratiam dare non possunt, inquie-

quiebat, quam non habent. Sed de hac S. Doctoris sententia jam abunde diximus in Tractatu de Sacramentis in genere.

Objicies 2. Veteres reprobant ac tamquam omnino nullum rejiciunt Baptisma aliter quam per trinam immersionem collatum; Ministrum secus facientem severe puniunt; ac pro Hæreticis habuere Eunomianos, Bonosianos, qui unica mersione baptizabant.

Sic Canon 50. eorum qui dicuntur Apostolici, pœna depositionis plectit Episcopum aut Presbyterum, qui non trinam immersionem observat: Canonem supra laudavimus.

Concilium Constantinopolitanum I. an. 381. Can. 7. jubet rebaptizari Eunomianos, non aliam ob caussam, quam quod trinam non adhiberent in Baptismo immersionem. *Eunomianos*, inquiunt Patres, *qui in unam demersionem baptizantur .... primo quidem die Christianos facimus .... & tunc eos baptizamus.* *Tom. 2. Conc. p. 952. C. D*

Et Pelagius II. in suo ad Gaudentium Rescripto, quosdam Bonosiacos damnat, quod unica mersione baptizarent: *Contra*, inquit, *Evangelicum præceptum.*

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem dico 1. depositionis pœnam merito decerni posse in Ministros, qui in sollemni Sacramentorum administratione, vel ex negligentia, vel, quod pejus esset, ex contemptu, ritus consuetos & Ecclesiæ totius usu ac praxi receptos non observant, qualis longo sæculorum tractu fuit trina immersio baptismalis. Unde Zonaras in citatum Canonem quinquagesimum Apostolicum, ait *scelestum ac nefarium esse unicam dumtaxat celebrare immersionem.* P. 26.

Dico 2. In prædicto Canone depositionis pœnam non tam imponi propter defectum trinæ mersionis, quam propter violatam Baptismi formam: qui enim eo Canone perstringuntur, Eunomiani scilicet, baptizabant in Christi mortem, non vero in invocatione expressa Trinitatis, ut ex ipso Canone fit manifestum.

ADDITIO.

(*)

VErum Marcus Ephesius, Coresius, aliique Græci Schismatici, qui Canonem hunc nobis objiciunt, audiant Prodromum ad eum Canonem 50. in hunc modum differentem. Sunt, qui adeo necessarias mersiones existiment, ut dicunt non conferri Baptismum non immerso illo qui venit ad Baptisterium. Errant hi tamen, quando id aperte Canon minime jubet. Is enim immersionem non ad constitutionem Sacramenti decernit, sed ad ejusdem perfectionem, ut triduo sepultum Corpus Christi commemoret. Fit enim verum Baptisma per aquæ consecratæ infusionem, & quocumque modo hominem contingas unda sacra, recitans divina verba cum invocatione Triadis, eum baptizabis. Hoc autem scitu perutile; ne cui Baptismatis in necessitate desit auxilium. *Et quia in ceteris quoque cum morali nostra doctrina, librisque Ritualibus bene ipsi convenit, percensebo, quæ sunt ex eo reliqua; sic autem prosequitur*: Et docendæ hoc ipsum obstetrices, ut in nativitate periclitantem puellum norint salutaribus undis intingere, quo-

quocumque in membro prodeunte, illum, tangentes aqua cum sacris verbis; Et siquidem caput contingant, aut pectus & sinum, non iteratur baptismus, sed in Ecclesia, quæ defuere, supplentur ad perfectionem. Quod si tetigerit aliud aliquod membrum, superstes infans iterum baptizatur, *scilicet sub conditione*, quo sit securior; nam anceps est Sacramentum. *Sed si Podromi auctoritas illis flocci est, eamdem in Photio duce suo, ac Magistro inspiciant Schismatici sententiam in Encyclica de virt. Sacr. In Aristeno ad Can. Apost. 30. Balsamone in Resp. ad Epist. Cyri; Leone Numodote, Georgio Syncello, quos videre possunt apud Diplo-Batacium. Atque, si privatorum hominum fidei non acquiescant, subdant se denique sex omnino Patriarcharum Synodicis publica auctoritate conditis; Nicephori, Methodii, & Becci, Nicolai Muzalonis, Georgii Xiphilini, & Philothei Palamitæ, quos per extensum refert & laudat Canonarcha teste Papadopolo in Mystagogia Resp. 5. Sect. 3. ex quo hæc mutuati sumus gratia Græcorum.*

(*)

Ad secundam dico, Eunomium in duobus potissimum adulterasse Baptismi ritum. 1. quod in odium SS. Trinitatis, ejus invocationem inter baptizandum omitteret, & baptizaret tantum in mortem Christi. 2. quod eodem perverso consilio semel tantum, non ter mergeret, ne trina mersione videretur Trinitatem personarum in Deo comprobare.

Utrumque erroris caput commemorat Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum c. 3. *Idem* (Eunomius) inquit, *sancti etiam Baptismatis legem olim a Domino & Apostolis traditam evertit, & contrariam aperte sanxit, non oportere dicens ter illum immergere qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem.* Idem legere est apud Sozomenum l. 6. Hist. c. 26. Et S. Epiphanius hæresi 76. in fine, refert *Eunomianos baptizasse in nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, atque a Filio procreati.* Igitur propter violatam Baptismi formam, & tam nefando consilio prætermissam trinam immersionem, nullum judicatum fuit Baptisma ab Eunomianis datum; ac merito jussi sunt rebaptizari ab illis baptizati: non præcise ex defecta trinæ mersionis, sed invocationis SS. Trinitatis, in qua consistit legitima Baptismatis forma, sine qua nullum est, & irritum.

Tom. 4. p. 236. D.

Tom. 1. p. 992. B.

Ad tertiam: ea ipsa de causa Pelagius II. coercet temeritatem Bonosiacorum, eorumque Baptisma reprobat propter violatam ab illis ipsius formam. *Baptizabant enim*, ait ibid. S. Pontifex, *solummodo in mortem Christi una immersione.* Unde in eodem Rescripto monet, sicut antea observavimus, quod si in nomine Trinitatis deprehendantur illi baptizati, Catholicæ fidei sint reconciliandi.

Decr. Yvon. p. 24. col. 2.

Objicies 3. Docent Veteres ritum baptizandi triplici immersione originem ducere a præcepto Christi, & traditione Apostolorum. Ita Tertullianus, S. Hieronymus, S. Basilius, S. Chrysostomus, Theodoretus, Pelagius II. supra citati, ubi de antiquitate trinæ immersionis: at quod ex præcepto Christi, & traditione Apostolica descendit, haud dubie jure divino necessarium est ad Sacramenti substantiam. Qua enim alia via probare possumus parvulorum Baptisma, suffragia pro mortuis, & alia ejus generis bene multa, quæ non ex Scripturis,

sed

sed ex sola Traditione Apostolica derivata habemus, juris esse divini.

Resp. 1. ad maj. verum quidem esse Veteres existimasse ritum trinæ immersionis ex Apostolica traditione descendisse, sed nullus dixit eam ex Christi præcepto sic necessariam, ut sine illa nullus sit Baptismus. Quando igitur mandatum Christi commemorant Tertullianus, Chrysostomus, Theodoretus, Pelagius II. vel istud referunt simpliciter ad necessitatem baptizandi sub invocatione SS. Trinitatis, non ad modum baptizandi per immersionem sive triplicem sive unicam; vel tantum attendunt ad usum communem suo tempore in Ecclesia receptum, ab Apostolis transmissum, quem violare nemini licitum esse poterat, nisi urgeret necessitas.

Reipsa censent iidem Veteres, præcessisse exemplum Christi, qui & baptizavit, & baptizatus est per immersionem: verum constat apud omnes Orthodoxos, exemplum Christi, nisi accesserit præceptum, necessitatis legem non imponere: multa quippe in conficiendis, & dispensandis Sacramentis Christus usurpavit, quæ tamen ad substantiam, & naturam Sacramentorum non pertinent. Verb. grat. consecravit Eucharistiam in azymo pane, sero post cœnam, distribuit Discipulis sub duplici specie &c.

An illa necessaria esse ad Sacramenti veritatem quisquam contendet Orthodoxus? non puto. Similiter baptizatus est, & baptizavit in aquis Jordanis: An illæ solæ sunt materia necessaria Baptismi? Igitur non sequitur necessariam esse jure ac præcepto divino trinam immersionem baptismalem, eo quod Christus exemplo suo & facto eam comprobaverit.

Resp. 2. ad minorem. Nego 1. aliquod extare præceptum Christi de immersione vel triplici vel unica usurpanda. Nego 2. id omne quod ex Traditione Apostolica originem ducit, propterea juris esse divini, ac necessario & constanter retinendum. Scilicet inter ea quæ ab Apostolis ad nos derivarunt, alia spectant fidem, mores, & substantiam Sacramentorum; alia disciplinam, Ecclesiæ regimen, Sacramentorum ritus & cæremonias; inter quæ istud discriminis occurrit; quod in primis nulla unquam admitti possit & debeat mutatio; fides enim eadem semper est, nec temporis, aut loco, aut personis subjacet: in posterioribus vero, mutatio contingere possit, cum varia sit disciplina pro temporum & locorum varietate. Multa vero fuisse ab Apostolis tradita hujusce posterioris conditionis, certissimum est. Talia fuere v. g. quæ præscribit Apostolus de ebrioso, bigamo, neophyto ad Ordines sacros non promovendo: pariter quod ab Apostolis accepimus, non jejunare, non flectere genua in orationibus inter Pascha & Pentecosten; orare versa facie ad Orientem; quosdam dies festos celebrare; abstinere a sanguine & suffocato; ad Eucharistiam jejunos accedere, & alia id genus bene multa, quæ Ecclesia pro sua sapientia vel retinuit, vel mutavit. Porro ritus immergendi ter vel semel, hujusce ordinis est; neque ad substantiam, sed ad ritum dumtaxat, & sollemnitatem Baptismi pertinet.

Si veros quæras certam & fixam quamdam regulam, qua secerni possit, quænam ab Apostolis tradita, necessaria sunt ad substantiam Sacramenti, vel tantum ad ejus sollemnitatem seu administrationis disciplinam; respondeo regulam illam, esse Judicium Ecclesiæ infallibilis verborum

rum Christi & traditionum Apostolicarum interpretis, quæ est *firmamentum & columna veritatis, adversum quam portæ inferi nunquam prævalebunt.* Cum igitur constet ex momentis adductis, Ecclesiæ semper ratum habuisse Baptismum sive immersione una vel triplici, sive infusione aut aspersione collatum, manifeste sequitur, omnes illos modos baptizandi indifferentes esse ad veritatem baptismi, nec ullum per exclusionem alterius absolute necessarium esse.

Objices 4. Ad veritatem baptismi necesse est exprimi SS. Trinitatem; atqui per unicam mersionem non exprimitur; recte vero per triplicem: ergo &c.

Resp. dist. maj. Necesse est exprimi SS. Trinitatem, per verba formæ, concedo: per usum materiæ, nego. *Cum enim*, inquit S.Th. hic ad 1. *Trinitas sit agens principale in Baptismo, similitudo autem agentis perveniat ad effectum secundum formam & non secundum materiam, ideo significatio Trinitatis in Baptismo fit per verba formæ, nec est de necessitate, ut significetur Trinitas per usum materiæ; sed hoc fit tantum ad majorem expressionem.* Major autem illa expressio essentialis non est Baptismo, sed ea tantum, quæ practice & significat & efficit interiorem animæ ablutionem, qualis est simplex ablutio aut per infusionem, aut per aspersionem aquæ. Quamquam unicæ mersioni sua non deest congrua significatio, qua nempe unitas essentiæ divinæ, unitas mortis & resurrectionis Christi significatur. Ita Concilium Toletanum IV. Can. 5. supra citato.

1. Tim. 3. v. 13. Matth. 16. v. 18.

Ritus olim observati in trina Baptismi mersione.

Præsentis non est instituti exponere ritus omnes, qui vel antecedebant vel comitabantur vel sequebantur Baptismum, quod ad Quæstionem hujus Tractatus quintam, Deo dante, exequemur; sed eos dumtaxat, qui ipsam immersionem proprius spectant.

Primo itaque baptizandi ad eam Ecclesiæ partem accedebant (loquimur de tempore quo Christianis licebat Templa publica frequentare) in qua erant Baptisteria, quæ vocantur a Veteribus, Concha, Fons, Balneum, Piscina; erantque loca quædam vel intra Basilicam, vel ad ejus fores constituta ad baptizandum consecrata. Eorum formam describit S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 1. mystagogica: *Primum*, ait, *ingressi estis ad porticum domus baptisterii.* Et Catechesi 2. *Ea mysteria*, inquit alloquens recens baptizatos, *a vobis in interiori domo peragebantur.* Ex quo intelligimus, suas aptas officinas, porticus, & interiores aditus habuisse Baptisteria; & de novo S. Joannis apud Alexandriam Baptisterio scribit Martyr Theophanes: *Hoc anno S. Joannis nomine quadra figura constructum est opus Alexandriæ, & Baptismo lustrandis adjunctum ædificium.* Erant Baptisteria hæc ad modum balnei, & piscinæ, in qua multi erant gradus: unde S. Isidorus Hispalensis de Officiis Ecclesiastici L. 2. c. 24. sic ait: *Fons autem origo omnium gloriarum est, cujus septem gradus sunt, tres in descensu, propter tria, quibus renunciamus; tres in ascensu, propter tria, quæ confitemur: septimus vero is est, qui & quartus, similis filio hominis, extinguens fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ &c.* Eamdem Baptisterii formam apud Latinos laudat apud Alcuinum auctor Libri de Ecclesiasticis Officiis, in Gemma animæ Honorius Augustodunensis. Profunda erant hæc baptisteria, & ampla, pluribus simul continendis

P. 217. C. P. 231. B. P. 612.

capa-

capacia. Canonibus autem cautum erat, ne quis alibi, quam in publicis Baptisteriis (nisi urgeret necessitas) baptizaretur; qui secus fecisset Sacerdos, depositionis pœna castigabatur, ut colligimus ex Concilio in Trullo Can. 31. & ex Meldensi c. 48.

II. Antequam sacro Fonte immergerentur baptizandi, in ipso porticu existentes & versus Occidentem conversi, protensa manu satanæ renunciabant, ut refert S. Cyrill. Jerosol. Catech. 1. Mystagogica. Tum omnibus depositis vestibus toto corpore nudabantur, ac nuditatem illam Veteres comparant cum ea, in qua creatus est Adam, cum qua quisque nascitur ac resurget, cum qua Christus est cruci affixus. Lex autem illa perfectæ nuditatis omnes obstringebat, secluso necessitas casu, adultos, infantes, mulieres ipsas, quarum tamen pudori consulebatur; & tamdiu in usu fuit, quamdiu ipse immergendi ritus: *ut nempe*, (ait Facundus L. 4. c. 4.) *non sola voce, verum etiam totius habitu corporis profiteamur exuisse nos veterem hominem.* P. 228. F. P. 62. A.

De adultis testatur S. Cyrill. Jerosol. Catech. mystagogica 2. *Statim ut ingressi estis*, inquit, *vestem exuistis, quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus suis imago fuit; atque ita exuti, eratis nudi, imitantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Christum; qua ille nuditate, principatus & potestates hujus sæculi spoliavit, & magna confidentia in ligno de illis triumphavit.* Et mox: *O rem admirandam! nudi fuistis in conspectu omnium, & non vos pudebat. Revera enim in hoc protoplasti Adam ferebatis exemplum, qui nudus in Paradiso fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore.* Ejusdem nuditatis mentionem faciunt S. Chrysostomus in Epistola ad Innocentium S. Pontificem, S. Ambrosius serm. 10. S. Epiphanius in Anchorato cap. 117. S. Anselmus in Matthæum c. 3. S. Bernardus serm. 46. de paupertate. P. 231. B. Ib. C. D.

De infantibus patet ex Sacramentario S. Gregorii, ubi describitur ordo Baptismi infantium: nam cum dictum esset: *Et baptizantur* (infantes:) mox subjungit: *Pontifex vero redit in Sacrarium expectans, ut cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* At si infantem vestibus indui oportet priusquam confirmetur, necesse est prius exutus iis fuerit, quam baptizetur. Similiter Ordo Romanus Cap. de die Sabbati sancti Paschæ ait: *Pontifex egreditur a fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem, vel in Ecclesia, ubi voluerit, & sedeat in ea, ut cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos....* Et mox: *Sic vestiuntur, induti vero ordinantur.* Idem testantur Alcuinus L. de divinis officiis c. 19. T. 3. p. 1. p. 73. D. Bib. PP. T. 13. p. 697. A.

De feminis testatur S. Chrysost. in Epist. ad Innocentium S. Pontificem: ubi recensens mala, quæ Constantinopoli contigere, cum e Sede sua armata manu iterum dejectus est, inter alia ait: *Mulieres quoque sacrarum ædium quæ per illud tempus se exuerant, ut baptizarentur, metu gravis istius incursus nudæ aufugerunt. Neque enim concedebatur, ut se velarent, sicut mulieres honestas decet.* Ed. nov. T. 3. p. 518. F.

Interea vero mulierum pudori multis modis consulebatur ab Ecclesia. 1. Multis in locis erant Diaconissæ piæ mulieres, quæ eas ad Baptismum venientes honeste nudabant & exuebant, ne quid baptizantis oculis inverecunde objiceretur, ut indicat S. Epiph. hæresi 79. Ejusdem honestatis caussa Sacerdos baptizatæ quidem frontem sacro oleo ungebat: at Diaconissa ungebat corpus, juxta morem Ecclesiæ Græcæ. 2. Viri separatim a feminis baptizabantur: unde S. Cyrillus Jerosolymitanus præfatione in Catecheses: *Reverentiam*, inquit, *adhibe cum fit exorcismus, quousque alii exorcizati aderunt*

runt, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus. 3. Alia hora viri, & alia mulieres baptizabantur, ſicut indicat Ordo Romanus cap. de ſabbato Sancto. 4. Non promiſcue, ſed viri ad dexteram, mulieres ad ſiniſtram, ut ait Sacramentarium S. Gregorii. 5. Nonnullis in locis velum extendebatur circa Baptiſteria, unde ad mergendum accedebat Sacerdos, cum audiebat, potius quam videbat eſſe aliquem in aqua. Ita factitatum legimus a S. Othone Bambergenſi Epiſcopo erga Pomeranos ad Chriſti fidem converſos, ut refert Andreas S. Michaelis Bambergenſis Abbas in ejus vita L. 2. c. 15. apud Surium ſecunda Julii. Denique cum antiqua Baptiſteria ampliſſima forent, ſuoſque haberent receſſus, ac de nocte ut plurimum ſoleret Baptiſmus ſollemniter adminiſtrari, multiplici modo mulierum pudori conſulebant & providebant Eccleſiarum præpoſiti.

III. Baptizandi, omnibus depoſitis veſtitibus perfecte nudi, apud Græcos toto corpore oleo ſancto inungebantur, ut refert S. Cyrill. Jeroſol. Catech. myſtagogica 2. Apud Latinos in vertice tantum, tum aquis ter immergebantur, & quidem toti: *Qui mergitur in aquas*, ait S. Cyrill. Jeroſ. Cathec. 17. *& baptizatur, undeque ab aquis circumdatur.* Et S. Epiphanius in Anchorato c. 118. *Aquæ*, inquit, *cum invocatione ſancta non unum dumtaxat hominis membrum occupant, ſed integrum prorſus repurgant, circumcidunt, ac malis omnibus exolvunt.* Græci recentiores morem illum immergendi totum corpus pro infantibus immutarunt, quibus, ob tenellam ætatem, aquæ per nares & aures ſubintroductio nocere poſſet. Ita colligimus ex teſtimonio Gregorii Protoſyncelli antea laudato. Quin & aquam eum in finem calefaciunt, teſte Arcudio; quem morem etiam undecimo ſæculo obſer-
P. 231. D. vabat S. Otho Epiſcopus Bambergenſis, teſte Scriptore ipſius vitæ.

IV. Ad unamquamque immerſionem non integram Baptiſmi formam pronunciabant, ſed unius tantum perſonæ nomen appellabant, ut colli-
P. 198. C. gitur ex Tertull. L. adverſus Praxeam c. 26. jam citato, ex S. Ambr. L. 2. de
Tom. 2. Sacramentis c. 7. etiam citato & ex Rituali Romano ubi ita præſcribitur:
p. 120. B. *Puerum baptizet dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & ſemel immergat; & Filii, & ſecundo immergat; & Spiritus Sancti, amen, & tertio immergat.*

V. Baptizandi ſtabant erecti in Fonte. Hinc S. Greg. Nazianz. teſtatur patrem ſuum, dum baptizandus genua flexiſſet ex ſimplicitate, videntibus dediſſe futuri ſui Epiſcopatus præſagium: utroque enim genu flexo conſecrantur Epiſcopi. Miniſtri in Fontem deſcendebant, ſicut obſervat Amphilochius de S. Baſilio: tum adultos baptizandos vel appoſita ſupra caput, vel ſupra humeros depreſſa manu, vel infra ſcapulas tenendo, vel de pondere ſublatos immergebant; quo in miniſterio cum grandiora erant & graviora baptizandorum corpora, juvabantur ab eorum patrinis, Infantes vero manibus toto immergebant, & ex Fonte levabant. Hinc intellige Benedictum Presbyterum in vita S. Damaſi ſic enarrantem: *Sabbato Paſchalis feſtivitatis*, inquit, *cum turbæ ſe comprimerent ad Baptiſmum, puerulus de manu Sacerdotis delapſus eſt, atque in fonte demerſus. Et poſt ſpatium fere unius horæ, dum ſperarent omnes jam mortuum, quidam Manſionarius ipſius Eccleſiæ in fiduciam S. Damaſi projiciens ſe in fontem, ſanum & illæſum ſecum reduxit.* Ex qua narratione intelliges quod ſupra obſervavimus, Fontes Baptiſmales profundos fuiſſe.

S. Bonaventura in 4. diſt. 3. q. 1. talem baptizandi ritum ſuo tempore

pore receptum narrat: *Sacerdos*, inquit, *debet puerum tenere per latera & versa facie ad aquam debet mergere, ita quod habeat caput primo versus Orientem, secundo versus Aquilonem, tertio versus Meridiem.* Tom. 5. p. 40. A.

VI. Denique post trinam immersionem, ac SS. Trinitatis invocationem baptizatus ex sacro fonte exibat & suscipiebatur: si mulier, a Diaconissis; si vir aliquando a susceptoribus seu patrino, & matrina aliquando a Diaconis, qui e sacro fonte nudos egredientes grandiori quodam velamine, quod sabanum dicebatur, obvolvebant. De illo velamine mentionem faciunt Victor Vitensis L 3. de persecutione Vandalica, & S. Greg. Magnus Epistola ad Januarium Calaritanum L. 7. Indictione 2. Epist. 5. Tum veste candida quisque donabatur, ut colligimus ex S. Cyrillo Catech. 4. *Veteribus*, inquit, *exutis vestibus & iis, quæ sunt secundum spiritum albæ, indutis, perpetuo jam in albis incedere oportet.* Ex S. Ambr. L. de initiandis c. 7. *Accepisti post hæc vestimenta candida*, inquit, *ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum.* P. 238. C. Tom. 3. p. 33. D. En ritus præcipui, qui immersionem baptismalem propius spectant, de quibus mentio apud Veteres occurrit.

ARTICULUS IV.

De forma Baptismi.

FOrma Baptismi constat verbis, quæ inter baptizandum ex divino præcepto ac traditione Apostolica pronunciari debent. Cum vero aliis Græci, & aliis Latini utantur, utriusque formæ apud illos usurpatæ antiquitas, & veritas hic a nobis est inquirenda, ac varii circa formam Baptismi errores recensendi. Quod ut distinctius exequamur, præsentem Articulum in varias veluti Sectiones dividemus; in quibus

1. De variis erroribus circa formam Baptismi.
2. An Christus aliquam Baptismi formam præscripserit.
3. De forma a Græcis usurpata, an antiqua sit, & valida.
4. De forma apud Latinos, an antiqua & conveniens.
5. An hæc verba: *Ego te baptizo*, quibus actus baptizantis exprimitur, necessaria sint ad substantiam Sacramenti.
6. An distincta trium Personarum SS. Trinitatis invocatio sit absolute necessaria; & num valuerit olim, aut etiam valere jam possit Baptismus in solo Christi nomine collatus.

De variis circa formam Baptismi erroribus.

Formam Baptismi adulterarunt inter veteres Hæreticos, Gnostici, Marcitæ, Montanistæ, Sabelliani, Paulianistæ, Photiniani, Eunomiani, Elcesæi, Menandriani, Bonosiacorum, Arianorum, & Afrorum nonnulli: denique ii, quos Canon 49. eorum, qui Apostolici dicuntur, perstringit.

I. De Gnosticis Marcitis, a quodam Marco præstigiatore e secta Gnosticorum sic nuncupati, constat ex S. Irenæo L. 1. c. 21. alias 18. & ex S. Epiphanio hæresi 37. *Baptizantes, ita dicunt*, (ait S. Irenæus), *In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit, in unione & redemptione & communione virtutum.* Idem fere refert Theodoretus L. 1. hæreticarum fabularum cap. 9. Ed. nov. p. 95. col. 1. T. 4. p. 201. C. P. 254. D.

II. Apud

II. Apud Eusebium L. 7. Hist. c. 9. S. Dionysius Alexandrinus sua ad Sixtum S. Pontificem Epistola, narrat suo tempore virum aliquem senem extitisse, qui cum interfuisset Baptismo eorum, qui in Ecclesia baptizabantur ac interrogationes responsaque eorum audivisset, flens, & vicem suam ingemiscens, confessus est Baptismum, quo apud Hæreticos initiatus ipse fuerat, non esse hujusmodi, nec cum Ecclesiæ Baptismo quidquam habere commune, *sed plenum blasphemiæ & impietatis, sceleſtis verbis ac cæremoniis esse administratum*. Quinam vero fuerint illi Hæretici, non exponit Dionysius.

III. De Montanistis, qui Cataphrygæ dicebantur, quod in Phrygia præsertim suos haberent conventus, constat 1. ex Can. 8. Concilii Laodiceni ann. 364. *Eos*, ait Canon, *qui ab eorum hæresi, qui Phryges dicuntur, convertuntur, sive sint in Clero, qui apud illos existimatur, sive maximi dicantur; eos omnes cum omni studio catechizari seu initiari, & baptizari ab Ecclesiæ Episcopis & Presbyteris*. Constat 2. ex Concilio primo generali Constantinopolitano ann. 381. Can. 7. ubi Montanistæ iis accensentur Hæreticis, qui ad Ecclesiam venientes, tamquam Pagani recipiendi sunt per Baptismum. Non alia porro fingi potest causa, cur ejusmodi Hæretici jubeantur rebaptizari, quam quod in legitima Ecclesiæ forma baptizati non fuissent. Ita testatur sanctus Basil. Epistolæ primæ ad Amphilochium, Can. 1. ubi de Montanistis ait: *Quamnam ergo habet rationem verum eorum Baptisma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque baptizant?* Idem quoque innuunt S. Gregorius Nazianzenus Oratione 3. de pace, & S. Gregorius Magnus Lib. 9. Epist. 61. nunc Lib. 11. Epist. 67. ad Quiricum vel Quirinum, aliosque in Hiberia Episcopos: *Hi Hæretici*, inquit, *qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiaci, & Cataphrygæ, quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti Spiritum Sanctum perverso sensu esse pravum quemdam hominem Montanum credunt . . . . . cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur*. Hac de causa S. Hieronymus eos non adjungit illis, quos in Dialogo adversus Luciferianos testatur a Romana Ecclesia non rebaptizari.

Tom. 1 Conc. p. 1458. B. Tom. 2. Conc. p. 952. Edit. vet. To. 2. p 758. D. T. 2. p. 1167. C. Tom. 4. par. 2. p. 304. & seq.

IV. De Sabellianis constat ex Canone 7. Concilii primi generalis Constantinopolitani jam citato, in quo jubentur ad Ecclesiam redeuntes baptizari.

Tom. 2. Conc. p. 952. Ib. p. 43. E.

V. De Paulianistis, a Paulo Samosateno ita dicti, constat ex Can. 19. Concilii primi generalis Nicæni ann. 325. quo jubentur iterum baptizari. *De Paulianistis*, inquit, *ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut iterum baptizentur omnimodis*. Idem statuit Concilium Arelatense secundum an. 452. Can. 16. & 17. quod testatur etiam S. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos, ubi asserit *Synodum Nicænam omnes Hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis*. Ratio autem, cur iterum datus illi fuerit Baptismus, non alia esse potest, quam quod in legitima forma collatus primum non fuerat. *Credendum*, inquit S. Aug. L. de Hæresibus, hæresi 44. *eos regulam Baptismatis non tenere*. Idem testatur Innocentius Primus Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ c. 5.

Tom. 4. Conc. p. 1013. Tom. 4. part. 2. p. 305. Tom. 8. p. 13. D.

VI. De Photinianis, qui eumdem cum Sabellio errorem tuebantur, patet ex Canone 16. Concilii secundi Arelatensis. *Photinianos*, inquit, *sive Paulianistas, secundum Patrum statuta baptizari oportet*. Unde corrigenda vide-

Tom. 4. Conc. p. 1013. B.

videtur lectio Canonis septimi Concilii Laodiceni an. 364. in quo Photiniani non jubentur rebaptizari. Probabile igitur est verba illa in Canonem irrepsisse, & consequenter delenda, cum Nicænus Canon expresse jusserit rebaptizari Paulianistas, qui iidem erant cum Photinianis.

VII. De Eunomianis patet tum ex Canone 7. Concilii primi generalis Constantinopolitani, tum ex Theodoreto lib. 4. hæreticarum fabularum c. 3. tum ex S. Epiphanio hæresi 76. in fine, & Sozomeno l. 6. Hist. c. 28. Theodoreti & S. Epiphanii verba paullo supra retulimus, agendo de necessitate trinæ mersionis. *T. 4. p. 222. A. Ibid. p. 193. C.*

VIII. De Elcesæi, ab Elcesai quodam hæresis suæ auctore sic nuncupati, constat ex Theodoreto lib. 2. hæretic. fabul. c. 7. ubi asserit *eos usos fuisse baptismatibus in elementorum confessione.*

IX. De Menandro testis est Theodoretus lib. 1. c. 2. ubi ait ipsum asseruisse baptizatos in suo nomine salvos esse.

X. De aliquibus Bonosiacis constat, tum ex S. Gregorio Magno jam citato n. 3. tum ex Pelagio II. in suo ad Gaudentium Episcopum Responso: *ubi innuit eos baptizasse in mortem Christi.* Quod vero omnes Bonosiaci non adulteraverint formam Baptismi, colligitur manifeste ex Can. 17. Concilii II. Arelatensis an. 452. ubi dicitur: *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut & Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati &c.* *Tom. 4. Conc. p. 1013. B.*

XI. De aliquibus etiam Arianis idem testatur Theodorus Lector Collectaneorum lib. 2. ubi refert a Deuterio Ariano Episcopo aliquem nomine Barbam, Constantinopoli baptizatum sub hac forma: *Baptizatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu*, ac statim aquam evanuisse. Idem legitur apud Nicephorum lib. 13. c. 35. Constat præterea ex antiquo Gregorii Turonensis Supplemento, & Joanne Biclarensi in Chronico, nonnullos in Hispania Gothos Arianos formam Baptismi non servasse; qui idcirco a S. Leandro Hispalensi Episcopo rebaptizati sunt: atque eam ob causam Reginam Brunichildim, dum in Gallias venit, rebaptizatam fuisse affirmat Aimonius Monachus Floriacensis l. 3. Hist. Francorum c. 4. apud Ducheſne Tom. 3. Non omnes porro Arianos peccasse in formam Baptismi certo, colligitur tum ex Concilio generali primo Nicæno, in quo soli Paulianistæ jubentur rebaptizari; tum ex Can. 7. Concilii primi generalis Constantinopolitani; tum ex Can. 16. Concilii secundi Arelatensis mox citato n. 10. tum ex S. Greg. Magno Epist. jam citata 67. l. 11. ubi ait: *Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti Chrismatis Oriens reformat.* Unde quando S. Athanasius Orat. 3. contra Arianos, & S. Hieron. Dial. adversus Luciferianos innuere videntur, Arianos baptizasse in nomine Creatoris & creaturæ, sensus eorum non est, quod inter baptizandum verba hæc pronunciaverint, sed cum verba ex animo dicentis soleant exponi, in nomine creaturæ baptizasse dicuntur, quia Filium Dei, in cujus nomine confertur Baptismus, creaturam esse existimabant. *P. 47. T. 2. p. 1167. B.*

XII. De aliquibus Afris supponunt Patres Concilii primi Arelatensis an. 314. Can. 8. ubi ajunt: *De Afris, quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hac hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si perviderint in Patre & Filio & Spiritu san-* *Tom. 1. Conc. p. 1428. A.*

cto eum esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. Supponit igitur Concilium, aliquos fuisse in Africa qui non baptizabant in forma consueta. Ubi castiganda obiter videtur lectio Binni, qui loco *De Afris*, legit *De Arianis*: nondum quippe exorta tunc erat hæresis Ariana.

Per Afros autem intelligit Concilium, tum eos qui Cypriano & Firmiliano adhærentes, quoslibet Hæreticos in hæresi baptizatos indiscriminatim rebaptizabant; tum Sabellianos, Novatianos, Donatistas, ceteraque pestes, quæ in Africa præsertim grassabantur, quippe baptizatos a Catholicis, cum ad suas transibant partes, iterum baptizabant. Jubet igitur Concilium, discrimen esse observandum inter Hæreticos qui formam Baptismi integram servabant, & eos qui illam adulterabant; idque dignoscendum ex interrogatione eorum qui ab ejusmodi Hæreticis ad Ecclesiam redibant: qui si deprehendantur baptizati in forma consueta, non sunt baptizandi; secus, si forma consueta non fuisset observata.

Ibid. p. 52. E. Denique Can. 49. eorum qui Apostolici falso nuncupantur, suppresso nomine notantur qui baptizabant *in tribus fine initio Principiis, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis.* Eumdem errorem nondum extinctum sæculo sexto perstringit Vigilius S. Pontifex Epist. 2. c. 6. ubi ait: *Si quis Episcopus aut Presbyter, juxta præceptum Domini, non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in una persona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patribus, aut Filiis, aut in tribus Paracletis, projiciatur de Ecclesia Dei.* S. Aug. l. 6. de Baptismo c. 25. observat, suo tempore facilius inveniri Hæreticos, qui omnino non baptizant, quam qui illis verbis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non baptizant.

Tom. 5. Conc. p. 313. D. E. T. 9. p. 176. E.

An Christus aliquam Baptismi formam præscripserit.

Sociniani post Socinum, Tractatu de Baptismo c. 2. docent baptizari *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, apud S. Matth. c. 28. v. 19. non esse baptizari in invocatione seu expressione Personarum Trinitatis, sed idem esse, ac doceri, instrui, initiari in fide Patris, Filii, & Spiritus sancti.

Episcopius quoque in responsione ad trigesimam septimam quæstionem inter sexaginta quatuor, ubi, etsi putet formam Baptismi consuetam, propter antiquum Ecclesiarum omnium usum, retinendam esse, contendit tamen eam nullo pacto colligi posse ex verbis Christi apud S. Matth. c. 28. unde ibidem putat verba hæc Christi: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, connecti posse cum istis: *Docete*, seu, *discipulos facite*, atque ista verba: *baptizantes eos*, esse intra parenthesim collocanda: ita ut sensus sit: *Baptizantes, docete quis sit Pater, quis Filius, quis Spiritus sanctus, & in hac doctrina discipulos facite*: qua certe admissa expositione, clarum est, ista verba: *baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non esse a Christi præscripta tamquam formam Baptismi.

Gerardus etiam Vossius Disputatione secunda de Baptismo Thesi quinta, contendit nullam esse in Scripturis formam verborum, in quibus baptizare debeamus, præscriptam. Adversus eos sit

CON-

CONCLUSIO.

Christus certam verborum formam in Baptismo usurpandam præscripsit.

Probatur 1. ex c. 28. S. Matth. v. 19. ubi Christus Discipulis ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: quo loco etsi conceptis verbis Christus non dixerit, verba ista inter baptizandum esse pronuncianda; universa tamen Ecclesia verborum Christi custos, ac fidelis interpres ex eo semper intellexit, & usu suo confirmavit, verba ista exprimenda esse. Ubi observabis obiter, Lutheranos & Calvinistas, qui eamdem Baptismi formam nobiscum retinent, ac præscribunt, nec Traditionis & Ecclesiæ auctoritatem infallibilem agnoscunt, vix posse contumaces Socinianos refellere, & probare adversus illos, sensum verborum Christi esse, ut inter baptizandum exprimantur nomina personatum SS. Trinitatis.

Actorum 19. v. 2. cum S. Paulus interrogasset discipulos; *an Spiritum sanctum accepissent;* & isti respondissent: *Neque si Spiritus sanctus est audivimus*, statim subjicit Paulus: *In quo ergo baptizati estis?* Quæ sane interrogatio videtur supponere solitum exprimi in administratione Baptismi Christi, nomen Spiritus sancti, de quo discipuli illi, solo Joannis Baptismo tincti nihil audiverant.

Confirmatur: Quia ibidem Baptismum Christi videtur Apostolus conferre cum Baptismo Joannis, & modum, quo uterque ministrabatur, comparare. *Joannes*, inquit, *baptizavit baptismo pœnitentiæ, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum*, nempe Christum; ergo in Baptismo Christi aliquid etiam dicebatur: Quid? verba ista Evangelica: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Pariter primæ Corinth. 1. loquens Apostolus de schismate quod inter Corinthios exortum fuerat, quorum aliqui dicebant se esse Pauli, alii Apollo, alii Cephæ: *Numquid*, ait Paulus, *in nomine Pauli baptizati estis?* quasi diceret: Nonne tenetis memoria verba, quibus datus vobis est Baptismus? An baptizantem audivistis dicentem: *Ego te baptizo in nomine Pauli?* non certe, sed *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Probatur 2. ex constanti & perpetua Ecclesiæ totius traditione, & praxi, cujus tot certissima proferri possunt argumenta, quot supersunt SS. Patrum monumenta. Ex infinitis hæc pauca seligimus.

Ex S. Justino Apolog. 2. pro Christianis: *In nomine verum cunctarum* P. 94. A.
parentis, inquit, *& Domini Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, & Spi-*
ritus sancti in aqua tunc lavantur ... Super eo qui renascendum sibi esse sta- Ib. C. D.
tuerit ... parentis verum omnium, & Domini Dei nomen nominatur ... In no-
mine autem etiam Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine
Spiritus sancti abluitur is qui illuminatur. Igitur, teste S. Justino, nomen Ibid. E.
Patris, Filii, & Spiritus sancti exprimebatur in administrando Baptismo,

Ex Tertulliano L. de Baptismo c. 13. *Lex tingendi*, inquit, *imposita est*, P. 229.
& forma prascripta: Ite, inquit, *docete Nationes, tingentes eas in nomine Pa-* D.
tris, & Filii, & Spiritus sancti. Quid hoc testimonio potest expressius, P. 224.
ac disertius proferri? Et c. 2. dixerat: *Sine sumptu homo in aqua demissus,* B.

& inter pauca verba tinctus. Pauca autem illa verba alia non sunt ab iis, quæ Christus præscripsit Matth. 28. Denique lib. adversus Praxeam

P. 516. A. B. c. 26. *Novissime*, inquit, *mandavit ut tingerent in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: non in unum, nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingitur*.

P. 126. Ex S. Cypriano Epist. 73. ad Jubajanum, ubi sic legitur: *Post Resurrectionem a Domino Apostoli ad Gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizare Gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo & contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?*

Ed. vet. Ex S. Basilio L. de Spiritu sancto c. 12. *Oportet*, inquit, *inviolabilem*
T. 2. p. *manere traditionem, quæ in vivificagratia data est*. Et postea: *Fides perficitur*
170. A. *per Baptismum, Baptismus vero fundamento fidei nititur, & utraque res per has*
Ibid. B. *voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

T. 2. p. Ex S. Ambrosio L. de Mysteriis c. 4. *Credit*, inquit, *Catechumenus in*
330. B. *crucem Domini Jesu, qua & ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire ... Tu autem baptizatus es in nomine Trinitatis, confessus es Patrem; recordare quid feceris; confessus es Filium, confessus es Spiritum sanctum*.

Ed. post. Ex S. Hieronymo l. 4. Commentariorum in Matth. *Baptizantur*, inquit,
T. 4. p. 1. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ut quorum una est Divinitas una*
p. 144. *sit largitio; nomenque Trinitatis unus Deus est*.

T. 9. p. Ex S. Aug. lib. 6. de Baptismo c. 25. *Certa sunt*, inquit, *Evangelica*
176. *verba, sine quibus non potest consecrari Baptismus*. Quæ autem sint ista verba declarat l. 3. c. 15. *Si*, inquit, *Evangelicis verbis, in nomine Patris,*
Ibid. p. *& Filii, & Spiritus sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat*
115. G. *Sacramentum*.

His adde, non aliam fuisse unquam Ecclesiæ regulam in approbando vel damnando Hæreticorum Baptismo, quam hujus formæ a Christo præscriptæ accuratam observationem, vel corruptionem, ut constat ex Canone octavo Concilii primi Arelatensis paullo ante citato. Et vero vel ipsis veteribus Hæreticis tam persuasum fuit aliquam esse Baptismi formam verbis expressam, ut illi verba semper usurpaverint, teste sancto Irenæo l. 1. c. 18.

Ex his vero omnibus sic arguere licet: Ecclesia in administrando Baptismo semper usurpavit tamquam necessariam formam, sine qua nullum est Sacramentum, verba Evangelica: atqui non alia de causa verba hæc usurpanda esse dixit Ecclesia, quam quod intellexit ea fuisse a Christo præscripta Matth. 28. Ecclesia enim quæ Sacramenta instituere non potest, non potest etiam verba necessaria ad substantiam Sacramentorum præscribere, sed quæ sunt a Christo, præscripta summa religione retinet & observat. Igitur verba quibus Baptismi forma exprimitur, sunt a Christo præscripta.

Ex his quoque funditus convellitur figmentum Episcopi, verba hæc: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, connectentis cum istis: *Ite & docete*: & istud: *Baptizantes*, inter parentheſim collocantis. Nullum enim

est,

est, ne vel minimum quidem, parenthesis in textu sacro vestigium, nulla necessitas, cum planus sit & apertus Christi sermo. Quod si ad libitum fas sit ejusmodi verborum constructiones, sicut & parentheses fingere, nihil tam certum, ac firmum erit, quod non evertatur.

Dices: Non magis ex istis Christi verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, inferri potest necessitas ista verba pronunciandi inter baptizandum, quam ex istis: *Euntes docete omnes Gentes*, inferatur necessitas dicendi inter docendum; *Ego vos doceo*; vel ex istis: *In nomine meo dæmonia ejicietis, languores sanabitis*, necessitas dicendi: *Dæmonia ejicio, languores sano &c.* atqui istud postremum necessarium non est, neque ex Christi verbis colligitur: ergo &c.

Confirmatur: Quia illud, *in nomine*, apud S. Matth. c. 28. non significat in expressione seu invocatione, sed in virtute & fide Patris, & Filii, & Spiritus sancti: sicut quando in Actibus Apostolorum legimus Apostolos baptizasse in nomine Christi, illud, *in nomine*, idem est, ac in virtute & fide, non vero in expressione seu appellatione nominis Christi; & alias sequeretur validum aliquando fuisse Baptismum datum in solo Christi nomine, quod vulgo non admittunt Theologi.

Resp. neg. maj. & parit. Ratio disparitatis ex sola Christi voluntate petenda est. In factis enim ejusmodi, tota ratio facti est voluntas facientis: voluntas autem Christi nobis per Ecclesiam Sponsam ejus, ac fidelem interpretem declaratur. Si vero superiorem & a priori rationem quæras, cur inter baptizandum necesse sit exprimere actum baptizantis, & invocare SS. Trinitatem; inter vero docendum, aut quid simile, istud necesse non sit, hæc potest afferri: quia nempe actio qua quis docet, vel dæmonia ejicit, aut morbos sanat, per semetipsam satis determinata est ad hoc, vel illud, absque additione talium verborum: *Ego doceo: Ego dæmonia ejicio &c.* At vero cum actio baptizantis ex se sit indifferens, & possit ad multa referri, necesse est, ut per aliquid speciale determinetur ad actionem sacram, divinam, religiosam, uno verbo ad sacramentalem: istud autem per quod determinatur, est tum declaratio seu expressio invocantis, tum invocatio distincta trium personarum SS. Trinitatis, tum intentio baptizantis, qua vult facere quod facit Ecclesia & Christus instituit. *Accedit verbum ad elementum*, ait S. Augustinus, *& fit Sacramentum*.

Ad confirmationem nego istud: *in nomine*, apud S. Matth. significare solum in virtute & fide, non vero in invocatione seu appellatione nominis Patris, & Filii, & Spiritus sancti; utrumque enim significat. Nec valet adducta paritas ex Baptismo dato in nomine Christi, in Actibus Apostolorum: ibi enim, *in nomine*, idem est, ac in virtute & fide, non in sola expressione nominis Christi, ut dicemus infra; quia scilicet eo loci non agitur de forma Baptismi, sed tantum de necessitate. Præterea vero, quæ suprema nobis esse debet ratio, Ecclesia istud, *in nomine*, apud S. Matth. intellexit semper de invocatione seu appellatione nominis Patris, & Filii, & Spiritus sancti; istud vero, *in nomine Christi*, in Actibus Apostolorum; non intellexit de sola invocatione nominis Christi in Baptismo.

Qua forma utantur Græci. An antiqua sit & valida.

Arcudius lib. 1. de Baptismo c. 8. hanc apud Græcos usitatam baptizandi formam refert: *Baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Multi inter nostros Scholasticos, loco, *Baptizatur*, legunt, *Baptizetur*; sensu nimirum, vel optativo seu deprecatorio, vel imperativo: unde Eugenius IV. in Decreto utrumque modum refert & approbat. Verum ex sola textus græci lectione in Euchologio apud Goatium p. 355. & 365. & apud Arcudium loco citato, perspicuum est Græcos modo indicativo dicere: *Baptizatur*.

P. 13. col. 1.

Hujus vero formæ tam tenaces sunt Græci, ut eorum nonnulli, Schismatici baptizatos a Latinis rebaptizare ausi fuerint, ut colligimus ex Concilio Laterancnsi IV. c. 4. sub Innocentio III. an. 1225. sive quod existimarent formam, qua utuntur Latini, legitimam non esse, ut putat Bellarminus, nec improbabile videtur Arcudio: sive quod prætermissam ab illis trinam mersionem falso crediderint, sive denique ex cæco quodam adversus eos odio.

Tom. 11. Conc. p. 153. A.

Innocentius IV. scribens in caput primum de Baptismo & ejus effectibus, negat legitimum fore Baptismum, quem Græcus in Occidentali Ecclesia conferret in forma apud Græcos consueta: verum hoc in capite, sicut & in aliis nonnullis, quæ privatus Doctor scripsit, deserendus est.

Tempore S. Thomæ quidam existimabant, ut ipse refert in 4. dist. 3. q. 2. art. 2. in Responsione ad primum, formam Græcorum invalidam esse.

CONCLUSIO.

Forma hæc baptizandi apud Græcos: *Baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patri, & Filii, & Spiritus sancti*, antiqua est & valida.

I. De antiquitate constat ex veteribus formulis quæ referuntur a variis Auctoribus.

A Theodoro Lectore lib. 2. Collectaneorum, in quo quemdam, nomine Barbam, a Deuterio Ariano Constantinopoli ita baptizatum refert: *Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*; ubi quamvis vitiosa sit forma in expressione SS. Trinitatis, priora tamen verba indicant Baptismum apud Græcos solitum conferri verbo indicativo passivo. Istud porro factum contigit circa annum Christi 500.

A Joanne Moscho Prati spiritualis c. 176. ubi ait Judæum in arena sic baptizatum fuisse: *Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Istud contigisse narratur circa annum Christi 630.

Bibl. PP. *T.* 12. *p.* 732. *G.*

A Severo vulgo Alexandrino lib. de ritibus Baptismi, Pontifex in hunc modum ait: *Baptizatur talis in nomine &c.* Dicitur Severus vixisse circa annum Christi 630.

Denique omnes Græcorum Libri rituales, eamdem formam continent.

Si vero quæras hujusce formæ rationem,

Respondebit 1. Gabriel Philadelphiensis Episcopus in Libro de Sacramentis, duplicem esse. 1. Quia Scriptura etiam verbo passivo utitur. *Ego*, inquit Joannes, *a te debeo baptizari.* 2. Quia hæc loquendi formu-

Matt. 3. *v.* 14.

la

la modestiam baptizantis indicat, qui ne videatur sibi primarium Baptismi ministerium arrogare, non audet in prima persona dicere: *Ego te baptizo*. Unde S. Chrysostomus Hom. 1. in Acta Apostolorum, expendenda ista verba: *Vos autem baptizabimini, non post multos hos dies. Neque dixit*, inquit, *Ego vos baptizo Spiritu sancto, sed baptizabimini, nos docens, ut modeste de nobis sentiamus*. Ed. Com. p. 453. B.

Respondebit 2. Arcudius lib. 1. de Baptismo c. 8. idcirco Græcos verbo indicativo passivo uti, ut eorum apud suos occurratur errori, qui cum illis Schismaticis Corinthiis dicebant: *Ego sum Pauli, Ego sum Cephæ &c.* quasi significare vellent, Baptismum vel a Paulo, vel a Cepha aut ab alio quocumque Ministro suam trahere virtutem, qui error non tantum in Græciam, sed & in Africam serpserat: unde S. Aug. serm. 99. de verbis S. Lucæ, alias Hom. 23. inter 50. loquens de peccatis quæ Magdalenæ peccatrici dimissa sunt; *Medicus bonus*, inquit, *ægros non solum præsentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego justifico, ego sano, quemcumque baptizo*. P. 13. col. 2. Tom. 5. p. 524. D.

Aliquando tamen verbo indicativo in prima persona usos esse Græcos, colligi potest ex S. Greg. Naz. Orat. 40. versus finem. *Baptizo te*, inquit, *docens in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. T. 1. p. 670. D.

II. Formam istam apud Græcos sollemnem validam esse constat, tum quia nunquam ea de re litem illis movere Latini, nunquam ab illis ea forma baptizatos rebaptizarunt: tum quia Eugenius IV. S. Pontifex in Instructione Armenis data, postquam dixit formam Baptismi esse istam: *Ego te baptizo &c.* mox subjungit: *Non tamen negamus, quin & per illa verba: baptizetur, vel baptizatur manibus meis talis servus vel serva Dei in nomine &c. perficiatur Baptisma*. Rationem addit, quia principalis causa ex qua fluit virtus Baptismi, est SS. Trinitas, instrumentalis autem est Minister, qui tradit exterius Sacramentum: at utraque exprimitur in forma Græcorum, ministerialis quidem non ita distincte, sed tamen, ait Arcudius, facile intelligitur. Tum denique, quia quoties unio cum Græcis tentata est & perfecta, nusquam ab iis postularunt Latini, ut antiquam suam baptizandi formam immutarent. Tom. 13. Conc. p. 535. C. D.

Dices 1. Alexander III. Decreto: *Si quis puerum*, exigit ut actus baptizantis ministri exprimatur. At in forma Græcorum non exprimitur.

Resp. neg. min. Exigit quidem S. Pontifex, explicitam fieri mentionem actionis externæ: utrum vero active, vel passive exprimatur, parum interest. Cum minister apud Græcos ait: *Baptizatur N.* subintelligitur; *a me* baptizatur.

Dices 2. Albertus Magnus in 4. dist. 3. q. 2. ad 8. refert S. Pontificem respondisse, quosdam, qui erant sub regimine Ecclesiæ Romanæ in Dalmatia, rebaptizandos esse, eo quod sub hac verborum formula essent baptizati: *Baptizatur servus Christi*.

Resp. ita quidem primo respondisse S. Pontificem, at postea re maturius ponderata negasse illos rebaptizandos esse.

ADDITIO.

(*)

Quæres quid de Chaldæorum forma ſentiendum, apud quos verbum præteriti temporis uſurpatur.

Reſp. De ea non levis Controverſia A. 1630. *exſtitit: aſt poſt quinque congreſſus, ſequentes ſex regulæ circa eam conſtitutæ ſunt.* Prima: *Si verbo præteriti temporis ſignificent actionem præteritam, irritum fore Baptiſmum.* Secunda *verum econtra, ſi verbo eodem utantur in ſignificatione præſentis imperativi.* Tertia *ſi nihil iſtorum animo reputans miniſter, velit modo quo poteſt optimo baptizare juxta Chriſti inſtitutionem.* Quarta: *ſi verbo præteriti temporis deſignent actionem præſentem, quam exercent.* Quinta *ſi ex ignoratione idiomatis abſque animo introducendi errorem corruptio in verba irrepſerit. Hoc enim nomine jam olim Zacharias P. Diſt. 4. c. 86. ratum habuit multo corruptiſſimum illum Baptiſmum:* Baptizo te in nomine Patria, Filia, & Spiritu ſancta. Sexta *demum: ad ambiguitatem omnem removendam, erroriſque occaſionem præcidendam hortantur Patres Chaldæos, ut præſentis indicativi verbo uti velint, aut ſaltem imperativi, vel ſi uti pergant verbo, quod ipſi ad præſens ac præteritum indifferens eſſe affirmabant, acciperent in ſignificatione præſentis, caverentque, ne actionem præteritam eo deſignarent.*

(*)

Qua forma Baptiſmi utantur Latini. An antiqua ſit & valida.

Conſueta apud Latinos baptizandi forma hæc eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen:* quæ ultima vox neceſſaria non eſt ad veritatem Sacramenti, ſed tantum additur formæ jam perfectæ, ut ſignificet Miniſter ſe firmum, ac ratum habere quod fecit, & baptizato cæleſtem gratiam apprecari.

De antiquitate formæ illius, ratione invocationis expreſſæ SS. Trinitatis, nemo dubitat; ſed tantum controverſia eſt de priori parte, qua actus baptizantis verbo indicativo activo exprimitur.

Ratio dubitandi Morino l. 8. de pœnit. c. 9. & 16. & alii nonnullis eſt, tum quia quinque prioribus ſæculis nullus formam illam verbo indicativo activo expreſſam refert. Tum quia ex profeſſo S. Auguſtinus Sermone 99. de verbis S. Lucæ, alias Homilia 23. inter 50. damnat in
T. 5. p. 524. E. Hæreticis eam adminiſtrandorum Sacramentorum formam abſolutam: *Ego peccata dimitto; Ego ſanctifico; Ego ſano, quemcumque baptizo.* Verba S. Doctoris paullo ante laudavimus. Cum vero Hæretici objicerent datam eſſe hominibus a Chriſto poteſtatem dimittendi peccata, adeoque poſſe illos jure merito dicere; *Ego dimitto peccata, Ego abſolvo &c.* reponit Sanctus Doctor, *non alio ſenſu dici homines remittere peccata, quam quia Spiritum ſanctum acceperunt, qui remittit peccata.* Idid. obſervat, *Chriſtum non dixiſſe Magdalenæ: Ego dimitso tibi peccata tua; ſed: Remittuntur tibi peccata tua,* quibus certe innuere videtur ſanctus Auguſtinus,

ata-

ætate ſua incognitam fuiſſe formam abſolutam adminiſtrandorum Sacramentorum verbo activo indicativo expreſſam: ſola ergo deprecativa verbo optativo expreſſa forma obtinuit prioribus ſæculis in adminiſtratione Sacramentorum.

CONCLUSIO.

Hæc apud Latinos baptizandi forma: *Ego te baptizo in nomine &c.* antiqua eſt, & maxime conveniens.

Prob. prima pars: Quia etſi fateamur ingenue, ex quinque prioribus ſæculis diſertum non extare teſtimonium formæ illius abſolutæ verbo indicativo expreſſæ, non inde tamen recte colligitur, formam illam non fuiſſe antiquitus obſervatam: quia qui omnium primi leguntur inter Veteres formam ejuſmodi præſcripſiſſe aut commemoraſſe, ut ſæculo ſexto S. Greg. Magnus in ſuo Sacramentario T. 3. p. 73. Edit. poſtr. & poſtea Auctor Ordinis Romani, & antiqua Liturgia Gallicana a doctiſſimo Mabillonio edita & illuſtrata, tit. 25. Venerabilis Beda lib. variarum quæſtionum, quæſt. 14. & alii ſubinde bene multi; eam non tamquam recens inductam, ſed ut veterem & a majoribus tranſmiſſam tradiderunt. Et vero a forma Græcorum non diſtat, niſi quod enunciatur apud illos in tertia perſona, *baptizatur*; apud nos vero in prima, *baptizo*: ex utraque enim parte indicativa eſt & abſoluta, non deprecativa.

Nec obſtat 1. penuria teſtimoniorum ante ſextum ſæculum: hisquippe primis temporibus, propter frequentiam Hæreticorum adulterantium invocationem perſonarum SS. Trinitatis abſolute neceſsariam, magis attenti erant, & ſolliciti Veteres in demonſtranda neceſſitate illius invocationis, quam in commemorando verbo, quo utebantur ut exprimerent actum baptizantis.

Quamquam ſi vera ſunt & genuina Acta martyrii S. Stephani S. Pontificis, quæ Baronio ad ann. Chriſti 259. n. 20. fideliſſima videntur, habemus exemplum Baptiſmi dati ab illo S. Pontifice ſub hac forma, ibid. n. 23. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizo te.*

Nec obſtat 2. auctoritas adducta S. Auguſtini. Non enim ſimpliciter damnat S. Doctor in ſe verba hæc: *Ego abſolvo*: *Ego baptizo*; ſed pravum & erroneum eorum verborum ſenſum, quem fingebant Donatiſtæ, quos ibi impugnat. Docebant ſcilicet illi, Sacramentorum vim & efficaciam pendere ex merito Miniſtri, non ex virtute Chriſti; atque ſenſu illo erroneo ſuperbe jactabant ſe dimittere peccata, ſe baptizare &c. quos impugnans merito dicebat S. Doctor: *Daturus erat Dominus hominibus Spiritum ſanctum, & ab ipſo Spiritu ſancto fidelibus ſuis dimitti peccata; non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata.* T. 5. p. 525. C.

Probatur ſecunda pars, nempe formam hanc Baptiſmi apud nos uſurpatam, maxime convenientem eſſe: Quia nempe recte exprimit Baptiſmi cauſſam tum inſtrumentalem, ſeu miniſterialem, tum principalem, tum ipſam baptizati perſonam. Inſtrumentalem quidem per iſta: *Ego baptizo*; principalem per iſta *in nomine: Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Iſtud vero, *in nomine*, ſignificat præter ipſam oralem appellationem perſonarum Trinitatis, virtutem, auctoritatem, fidem Trinitatis, cui nomen damus, ac ſpondemus obſequium, cum baptizamur. Dicitur autem: *in*

nomi-

nomine, non, *in nominibus*: ut clarius unitas essentiæ, virtutis, & operationis trium personarum divinarum significetur. Ipsa denique persona baptizati clare exprimitur per pronomen *te*.

An hæc verba, Ego te baptizo, *quibus actus baptizantis exprimitur, necessaria sint, ut Sacramentum valeat.*

Quæstionis præsentis sensus non est, an necesse sit personam Ministri in Baptismo exprimere: communis enim fere est opinio, id non esse necessarium. Ita S. Th. in 4. dist. 3. art. 2. ad 1. *Utrum*, inquit, *expressio personæ ministri quæ fit secundum nos, sit de necessitate Baptismi, apud quosdam* T. 10. pag. 47. *dubium est; probabilius tamen dici potest, quod non sit, ne cogamur totam Græcorum Ecclesiam absque Baptismo ponere, qui personam non exprimunt baptizantis: quod dicitur consilio Sanctorum Patrum factum, contra errorem eorum qui in baptizantis persona spem ponebant, de quo* 1. *Cor.* 1. Videntur S. Th. ceterique Scholastici supponere, Græcos modo vel optativo, vel deprecatorio, dicere: *Baptizetur servus Dei*; in quo loquendi modo nulla involvitur personæ baptizantis mentio, sicut in isto modo indicativo: *Baptizatur servus Dei*, in quo facile suppletur istud, nempe, per me, seu manibus meis.

Sensus igitur quæstionis est, utrum validum olim fuerit, aut etiamnum valere possit Baptismus datus a Ministro, qui inter abluendum ista tantum proferret verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: non additis, aut: *Ego te baptizo*, aut: *Baptizatur talis*, aut aliis æquivalentibus verbis, quibus actio baptizantis exprimitur.

Duodecimo Ecclesiæ sæculo excitata primum legitur hæc quæstio, aliis affirmantem, aliis negantem sententiam propugnantibus.

Opiniones diversæ.

Præpositivus in 4. parte Summæ Theologicæ, Petrus Cantor aliquot ante Præpositivum annis, in Summa de Sacramenti & animæ consiliis, quæ asservatur manuscripta in Bibliotheca Victorina fol. 156. p. 2.

Obiit an. 1140. Hugo a S. Victore Lib. 2. part. 6. c. 13. de Sacramentis.

Obiit an. 1164. Petrus Lombardus Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 3.

Obiit an. 1203. Denique Stephanus Tornacensis Episcopus interrogatus a Pontio Episcopo Claromontano de subjecta quæstione Epistola 5. putant validum & ratum esse Sacramentum Baptismi cum sola expressione seu invocatione nominis *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*, absque illis aut similibus verbis: *Ego te Baptizo*, vel, *Baptizatur* talis. Sententiam hanc nonnullis momentis confirmare conatur dictus Stephanus in citata Epistola 5.

Alii negantem sequuntur partem, inter quos primus & auctoritate & dignitate eminet Alexander III. edita ex professo eam in rem Constitutione, quæ habetur Extrav. *De Baptismo & ejus effectu*, c. *Si quis*. Obiit autem ille ann. 1181. idest ea ipsa ætate qua floruit Stephanus Tornacensis, cui proculdubio, ut & ceteris ejusdem temporis Scriptoribus, ignota fuit hæc S. Pontificis Constitutio, quæ non videtur prius juris publici facta, quam eam Raymundus in Decretales retulerit, & Raymundi compilatio a Gregorio IX. auctoritatem in Judiciis obtinuerit.

Paulo

Paullo ante Gregorium IX. dicta Alexandri III. definitio secundæ Decretalium compilationi sub Innocentio III. factæ inserta quidem fuerat; *Sed ab iisdem Doctoribus Scholasticis*, inquit Morinus lib. 8. de Pœnit. c. 16. n. 21. *partim ignorata fuit, partim minus quam Raymundi collectio æstimata, eo quod Pontifex eam non confirmasset.* P. 565. col. 2. D.

In eamdem negantem opinionem abiit eodem sæculo duodecimo Mauritius Episcopus Parisiensis, qui de hac quæstione consultus fuerat a Pontio Claromontano Episcopo. Extat responsum Mauritii inter Epistolas Stephani Tornacensis n. 4.

Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 16. num. 21. mediam quamdam inire P. 565. sententiam videtur: nempe Stephani, & aliorum Scholasticorum rationes probabiles judicat; adeoque ante receptam Alexandri III. Constitutionem ratum & validum fuisse Baptismum cum his solis verbis collatum, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, sed post receptam Summi Pontificis definitionem, nullum amplius esse, nisi exprimatur actio baptizantis per ista aut æquivalentia verba: *Ego te baptizo. Baptizatur talis &c.* Scilicet idem ille putat judicandum de Baptismo, ac de Matrimonio ver. gr. quod ante Decretum Tridentinum valuit clam contractum sine testibus & Parochi præsentia: sed post Decretum illud nullum est: potest quippe Ecclesia in administratione Sacramentorum certas præscribere leges & conditiones, quibus non observatis nullum sit & declaretur Sacramentum. Cum igitur definierit Alexander III. nullum esse Baptismum sine istis aut similibus verbis: *Ego te baptizo &c.* concludendum est, post talem definitionem verba ejusmodi absolute necessaria esse, ut ratum sit & validum Sacramentum Baptismi. His ita historice præmissis, Sit

CONCLUSIO.

Verba ista: *Ego te Baptizo*, aut æquivalentia, quibus actio baptizantis exprimitur, absolute necessaria sunt, ut valeat Baptismus.

Probatur 1. ex perpetuo & constanti usu Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ, quæ inter baptizandum usa est verbis exprimentibus actionem Ministri, sicut ex citatis antea testimoniis colligere est. Illius autem usus & praxis necessitatem deduxit Ecclesia ex mandato Christi apud Matth. c. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: quo loco par videtur adstrui necessitas & invocandi SS. Trinitatem, & exprimendi actionem baptizantis: aut si istud postremum sustuleris, & aliud quoque tolli poterit; aut saltem nulla satis firma ex Scripturis ratio haberi poterit, qua unum præ alio necessarium absolute esse demonstretur. Non enim aperte & expresse dixit Christus, ut inter baptizandum appellaremus nomen Patris & Filii & Spiritus sancti, & istud *in nomine*, interpretari quis posset in virtute, auctoritate, fide: attamen constat istud esse falsum. Unde? ex ipsa Ecclesia, quæ fidelis est verborum Christi sponsi sui interpres, traditione ac perpetua praxi; ergo cum ex eadem praxi constet semper usurpata esse verba, quibus exprimitur actio ministri, dicendum, verba illa semper judicata fuisse necessaria, ut ratum sit & validum Baptisma: & quidquid adversus necessitatem exprimendi actionem baptizantis dicitur

citur a Stephano Tornacensi, illud omne retorqueri ac converti potest adversus necessitatem invocandi nomen Patris & Filii & Spiritus sancti.

Probatur 2. ex definitione Alexandri III. Summi Pontificis Extrav. *Decr. p.* 1381. *De Baptismo*. Cap. *Si quis*, cujus hæc verba sunt: *Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen; & non dixerit: Ego te baptizo &c. puer non est baptizatus.*

Prædecessoris sui definitionem confirmavit ejusdem nominis Alexander VIII. in censura multarum propositionum facta die 7. Dec. anni 1690. inter quas hæc num. 27. damnatur: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, prætermissis istis: Ego te baptizo.* *Recueil des Evêq. p.* 3-9.

Probatur 4. ex Mauritio Episcopo Parisiensi, qui a Pontio Episcopo Claromontano (sicut & Stephanus Tornacensis) ea de re consultus, respondit per Epistolam inter Stephani Epistolas nu. 4. nullum esse Baptismum collatum prætermissis istis aut similibus verbis: *Ego te baptizo.* Quin ipse Pontius in cujus Diœcesi contigerat aliquem fuisse baptizatum sine istis verbis, Parisiensem & Tornacensem consulens Episcopos per Epistolam, quæ extat n. 3. inter Epistolas Stephani Tornacensis, significat sibi nullum quoque videri ejusmodi Baptismum, & *pessimam* appellat consuetudinem eorum, qui qualibet premente necessitate omittunt ista verba: *Ego te baptizo.* Imo ipse Stephanus Tornacensis, quamquam oppositam sententiam multis momentis confirmare nitatur, non eam tamen ut certam omnino ac indubitatam proponit aut affirmanter definit. *Opiniones profundo*, inquit, *non assertiones, paratus summi & Catholici viri Domini Parisiensis sequi vestigia.* Parisiensis autem ille Episcopus erat Mauritius, qui, ut diximus, Baptismum ejusmodi improbavit.

Doctissimus P. Martene l. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus c. 1. art. 14. n. 15. & seq. varia refert antiqua Missalia Græca & Latina, in quibus, si unum excipias Rituale Ecclesiæ Cameracensis ab annis circiter trecentis exaratum, exprimitur actio ministri baptizantis.

ADDITIO.

(*)

AT objicit Morinus, non produci a nobis Rituale, aut testem, qui stet pro verbis: Baptizo te *ante Sæculum VI. Apud Ambrosium autem, qui floruit IV. Sæculo exeunte, lib. 2. de Sacram. cap. 7. solis interrogationibus, ac responsionibus de fide in Trinitatem, mersionibusque quæ his respondent, Baptismum definiri*: Interrogatus es, credis in Deum Patrem Omnipotentem? dixisti, credo, & mersisti &c. *In Gelasii quoque Sacramentario, quod ad Sæculum V. spectat, productumque est a Thomasio, desiderari verba*: Baptizo te; *solasque interrogationes, responsiones, & mersiones more Ambrosiano præscribi, ac memorari; in iis autem Ritualibus libris, & Pontificum decretis, quæ pro nobis laudavimus, præter verba*: Baptizo te; *postare quoquoque particulas* ego, & Amen; *ut ergo nulli venit adhuc in mentem dicere, has etiam Sacramento esse necessarias; sic neque de verbis*: Baptizo te *id existimandum est, præcipue, cum constet, Illyrios, Angloscque conficere Sacra-*

cramentum abſque verbo Baptizo: *forma Illyriorum eſt*: Jate Krsztim vu ime otza &c. *Anglorum*: Ich Criſtin the in the faderes nome &c. *ut liquet ex cap. 3. Conc. Lambeth. Ann. 1281. Tom. 14. Conc. in quibus ſane formis verba*: Criſtin & Kriztim, *quæ occurrunt, non reſpondent verbo* Baptizo, *aut* abluo, *ſed potius tantumdem valent, ac* Chriſtianum facio, *vel* Cruce inſignio. *Denique Sacramentum Confirmationis apud Græcos finitur abſque verbo exprimente actum; his enim ſolis vocibus forma continetur*: Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου; *ſignaculum donationis Spiritus ſancti; cur non igitur par de Baptiſmo feramus judicium.*

Sed nulla huic ineſt argumento vis: an enim parum videtur, ſi forma illa in Sacramentario Gregorii Magni Sæc. VI. iiſdem concepta terminis proſtet? nec ea tamquam recens imperata, ſed trita omnino, uſuque communi, cujus neſciatur initium, recepta; certe uſus talis in dubium facit traditionis Apoſtolicæ indicium. Neque Ambroſius aut Gelaſianus codex quidquam derogant. Etenim Ambroſius capit eodem ſatis innuit, aliam ſibi fuiſſe ab interrogationibus, reſponſionibuſque formam, cum paullo infra ait: In uno autem Baptizari nos oportet, hoc eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Gelaſium quoque pro forma Baptiſmi non habuiſſe interrogationes, & confeſſionem illam triplicem, conſtat tum inde, quod poſt illas, faciendam moneat his verbis*: Deinde per ſingulas vices mergis eum tertio in aqua; *tum quia quamquam codex Gelaſii, prout a Thomaſio vulgatus eſt; formam non exhibeat; exhibet tamen eamdem codex Regius, & Noviomenſis his verbis*: Baptizo te ille in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ut habeas vitam æternam. *Quare hinc potius confirmatur dogma. Cetera quæ addunt, leviſſima ſunt: de particulis* Ego, *&* Amen *idem eſſe nequit judicium, quod de verbis*: Baptizo te, *tum quia nec conſtanter, ut iſtas, exaratas legimus in Ritualibus, tum quia neceſſarias non eſſe res ipſa oſtendit; perſona namque Miniſtri ſatis vel verbo ipſo* Baptizo *aut* Baptizatur *exprimitur*: Amen *autem, cum ſit vox populi acclamantis Sacramento, indicium eſt confecti Sacramenti, non pars ejus, nec de ea definitum quidquam, ut de qua lis nunquam mota ſit. Anglorum, Illyriorumque* Criſtin, *&* Kriztim *etſi forte non, inſpecta vocum radice, uſu tamen ipſo tantumdem eſt, atque* baptizo, *in cujus vicem, ad deſignandum* Baptizationis actum *ponitur. Simili a Sacramento Confirmationis ducto locus hic non eſt, quoniam & diverſa eſt Chriſti inſtitutio, ad quam præcipue animus advertendus eſt Theologo, quæ ipſa ex Patrum dumtaxat monumentis Conciliorum definitionibus, & Pontificum Decretis, conſtantique uſu Eccleſiæ ſecure ediſcitur.*

(*)

Probatur denique ratione S. Thomæ 3. par. quæſt. 66. art. 5. ad 2. *Cum ablutio hominis in aqua*, inquit, *propter multa fieri poſſit, oportet, quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat: quod quidem non fit per hoc quod dicitur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloſſ. 3. Unde ſi non exprimatur actus Baptiſmi, vel per modum noſtrum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum.*

Ex his facile eſt diluere, quæ Stephanus Tornacenſis adducit, ut opinionem noſtræ Concluſioni adverſam tueatur.

Primo

Primo ait, Scripturam solummodo præcipere, ut baptizemus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; non ut dicamus: *Ego te baptizo*, quæ verba inutilia omnino videntur, ubi manifesta est actio baptizantis. Sicut cum dixit Christus: *Euntes docete omnes gentes*, necesse non est ut inter docendum dicamus: *Ego vos doceo*. Pariter cum Elisæus servo suo puerum suscitaturo jussit ut poneret baculum suum super faciem pueri, quis dicat necesse fuisse servo pronunciare hæc verba: *Pono baculum Elisæi super faciem tuam*? Item cum jubet Deus Moysen virgam suam projicere, ut fieret serpens, nunquid necesse fuit Moysen dicere: *Virgam projicio*? non certe. Pariter igitur præcepto Christi satisfacit, qui baptizat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nec dicit: *Ego te baptizo*.

Verum hujusce ratiocinii infirmitas patet ex jam dictis supra, ubi quærebamus, an Christus aliquam Baptismi formam præscripserit. Etsi enim Scriptura aperte non jubeat ut inter baptizandum dicamus: *Ego te baptizo*, hunc tamen esse verborum Christi sensum traditio & praxis Ecclesiæ perpetua demonstrat. Et vero, ut observatum jam fuit, eadem Scriptura aperte non dicit ut inter baptizandum pronunciemus nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & tamen certissime constat sine expressa illa invocatione nullum esse Baptismum. Unde porro illud? ex constanti & perpetua Ecclesiæ traditione & praxi. Exempla vero adducta non sunt ad rem nostram: tum quia non sunt in re sacramentaria, de qua hic tantum sermo est: tum quia actiones adductæ ex sese satis erant ad unum quid determinatæ; at non ita est actio baptizantis sine istis verbis: *Ego te baptizo*, ut ait S. Th. cit.

Secundo, Stephanus ait SS. Patres, cum de validitate Baptismi actum est aliquando, sollicitos dumtaxat fuisse de verbis istis: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; non de aliis.

Verum discriminis istius aperta est ratio: nempe de illis tantum verbis, qua Hæretici adulterabant, tunc institutam controversiam, non de aliis, circa quæ nullam legimus subortam quæstionem ante sæculum duodecimum.

Tertio addit Stephanus, viros laicos plebejos solitos in necessitate baptizare in his tantum verbis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Verum abusus fuit, quem Pontius Episcopus Claromontanus pessimum appellat; & ut dicebat alia in occasione S. Cyprianus: *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est*.

Epist. 74. pag. 132.

Exemplum vero Matrimonii quod adducit Morinus lib. 8. de Pœnit. c. 16. n. 21. ut confirmet Stephani sententiam, & probet ante Constitutionem Alexandri III. valuisse Baptismum prætermissis istis verbis: *Ego te baptizo*; post Constitutionem vero non valere, sicut valuit Matrimonium clandestine contractum ante Decretum Tridentinum, post vero Decretum illud, non amplius ratum est, & validum; exemplum, inquam, illud appositum non videtur. Istud quippe discriminis est inter Sacramenta quorum materia in aliquo morali, aut in aliquo physico consistit, ut in prioribus possit Ecclesia certas quasdam leges ac conditiones præscribere, quibus omissis inhabilis declaratur aut minister ad conferendum, aut suscipiens ad percipiendum Sacramentum: sic inhabi-

les

les ad contrahendum Matrimonium declaravit Conc. Trid. eos, qui non contraherent coram proprio Parocho, & testibus; & inhabilis declaratur Sacerdos, quamquam valide, & legitime ordinatus, ad absolvendum a peccatis, nisi jurisdictionem habeat & Episcopi ordinarii approbationem. Quid ita? quia nempe materia illorum Sacramentorum consistit in aliquo morali: cum autem rei moralis bonitas non semper absoluta sit in se, sed relativa ad varias temporum, locorum, & personarum circumstantias, a quibus plerumque dependet, (quod enim uno tempore, & in his circumstantiis optimum est, mutatis illis circumstantiis, aut malum, aut certe non ita opportunum, & consentaneum esse potest) inde necesse fuit Christum Ecclesiæ suæ prudentiæ ac sapientiæ subjecisse moralem illorum Sacramentorum materiam, in quibus administrandis potest, prout ad communem Fidelium bonum, & Sacramentorum dignitatem expedire judicaverit, certas apponere leges, & conditiones, non quidem ut mutetur illorum Sacramentorum materia, id enim juris non habet Ecclesia, sed ut inhabiles declarentur vel ministri ad conficienda, vel suscipientes ad percipienda Sacramenta. At non ita est in iis Sacramentis, quorum materia in aliquo physico, vel forma in certis verbis posita est, qualis est v. gr. Baptismus: sic enim rata, fixa, & a Christo determinata est, tum materia tum forma ipsius, ut semper ratum sit Sacramentum, si illa observetur sicut oportet; nec potest Ecclesia aut addere, aut detrahere quidquam ex iis, quæ Christus instituit tamquam absolute necessaria ad substantiam Sacramenti. Si igitur aliquando valuisset Baptismus sine istis verbis: *Ego te baptizo*, adhuc valeret non obstante declaratione Alexandri III. At nusquam valuisse contendimus, quod sua Constitutione non primum declaravit S. Pontifex, sed tantum confirmavit antiquam Ecclesiæ doctrinam.

Dixi in Conclusione, ista verba: *Ego te baptizo*, vel æquivalentia, esse necessaria: ubi

Observabis 1. pronomen *Ego*, absolute non esse necessarium, quia satis exprimitur persona baptizans per verbum, *baptizo*.

Observabis 2. quod si verbo *baptizo*, quis substitueret vel, *tingo*, vel, *lavo*, vel, *mergo*, aut, *abluo*, valide baptizaret, quia unus, & idem est illorum verborum sensus. Unde deferendus Innocentius IV. scribens in caput 1. *de Baptismo*, ubi putat nullum fore Baptismum, si quis diceret: *Ego Petrus*, vel, *Ego Sacerdos te tingo*, aut, *abluo*, aut, *balneo*.

An distincta trium personarum divinarum invocatio sit absolute necessaria; & num valuerit olim Baptismus datus in solo Christi nomine.

Socinus disputatione de Baptismo cap. 2. negans istis Christi apud S. Matth. verbis: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* contineri & præceptum, & formam baptizandi, consequenter docet Apostolos reipsa baptizasse in solo Christi nomine.

Inter Scholæ Magistros non una est opinio.

Sunt qui existiment, non tantum Apostolorum ætate valuisse, sed etiam subsequente, & etiam nunc valere Baptismum in solo Christi nomine collatum. Ita innuere videtur Beda Commentario in c. 10. Actorum, Hugo a S. Victore l. 2. de Sacramentis par. 6. c. 2. Magister sen-

ten-

tentiarum l. 4. dist. 3. littera E. Cajetanus in Commentariis, ex quibus tamen, editione altera Romana, jussu S. Pii V. sententia hæc expuncta fuit. At eadem in Hadriani VI. Operibus in 4. q. 2. de Baptismo, adhuc legitur; quæ quidem Opera ab illo antea, cum adhuc privatus esset, exarata sunt, typis deinde Romæ edita cum Pontificatum gereret, ipso præsente ac spectante ann. 1522. His accedere videtur Vossius disp. de Baptismo Thesi 5. ubi contendit idem omnino esse baptizare: *in nomine Christi*, ac *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; licet judicet satius esse, & consultius, si tres personæ distincte appellentur.

Sunt qui docent, Apostolos quidem ex legitima causa dispensationis, nempe ad majorem nominis Christi commendationem, & celebritatem apud primos Christianos promovendam, baptizasse in solo ejus nomine, seu in sola invocatione; sed sublata deinde hac dispensationis causa, non amplius ratum esse Baptisma nisi sub invocatione distincta trium divinarum personarum. Ita S. Th. hic art. 6. ad 1. S. Bonav. in 4. dist. 3. 1. par. distinctionis artic. 2. quæst. 2. ad 3. „ *& e recentioribus Gonet* „ *disp. 1. art. 3. Frassen disp. 1. quæst. 6. cum primis autem Josephus Au-* „ *gustinus Orsi in peculiari dissertatione, quam defensioni Præceptoris Ange-* „ *lici consecravit, domesticis e schola Thomistica adversariis omissis, exteros* „ *dumtaxat, ut Suarez, Vasquez &c. impugnans; quod ei vitio vertit* „ *ejusdem Ordinis Theologus Drouven. Sed pro sententia contraria pugnant* „ *præter citatos Suarez & Vasquez, Bellarminus, Dominicus Soto, Mel-* „ *chior Canus, Joannes Nicolai, Natalis Alexander, Simonnet, Harduinus* „ *Chardonius in historia Sacramentorum, ac duabus contra Orsium dissertationi-* „ *bus appellatus Drouvenius.*

Maldonatus de Sacramentis Tom. 1. q. 3. judicat non esse improbabi-
P. 36. A. lem sententiam eorum, qui putant, ratum esse, & validum Baptisma collatum in nomine collectivo SS. Trinitatis, quamvis ibidem fateatur contrariam opinionem communiorem esse, & consuetudine magis probatam.

Sunt denique qui existimant, (& quidem nostro judicio verius) nusquam in solo Christi nomine collatum valuisse Baptismum, sed distinctam Patris & Filii & Spiritus sancti appellationem semper necessariam fuisse Cum illis sit

CONCLUSIO.

Distincta Patris, & Filii, & Spiritus sancti invocatio absolute necessaria est; nec unquam valuit, aut valere potest Baptismus in solo nomine Christi collatus.

Duæ sunt partes. Prima pars demonstrata manet, ex testimoniis tum Scripturæ tum SS. Patrum, quæ adduximus supra, ubi quærebamus, an Christus aliquam Baptismi formam præscripserit. Consule.

Et vero perpetua, & constans Ecclesiæ universæ traditio, & praxis invicte dogma istud Catholicum demonstrat: nulla quippe alia regula usa est Ecclesia in admittendo, vel rejiciendo Hæreticorum Baptismo, quam expendendo, an inter Baptizandum forma consueta, & a Christo præ-

præscripta, invocatio nempe trium divinarum personarum, observata fuisset aut violata; ita ut jussi sint rebaptizari, qui in alia forma fuerant baptizati. Sic Concil. Nicænum I. rebaptizari jussit Paulianistas; Conc. Laodicenum, Montanistas; Conc. II. Arelatense Can. 16. & 17. Photinianos; Conc. Constantinop. I. quod est generale II. Eunomianos, Montanistas, Sabellianos, de quibus omnibus diximus antea initio hujus Quæstionis. Unde Conc. Arelat. I. ann. 314. Can. 8. sic decernit: *Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Quo in Canone istud obiter observabis, collectivum nomen Trinitatis exponi per distinctam enumerationem Patris, & Filii, & Spiritus sancti; quod etiam diserte docet S. Ambrosius Lib. de Mysteriis cap. 4. Postquam enim dixit: *Tu baptizatus es in nomine Trinitatis;* statim explicat nomen collectivum, facta expressa enumeratione personarum; *Confessus es Patrem*, inquit, *recordare quid feceris; confessus es Filium, confessus es Spiritum sanctum.* Non sufficeret igitur ad veritatem Baptismi, si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.*

T. 1. Con. p. 428. A.

T. 2. p. 330. B. C.

Probatur etiam ratione quam adducit Tertull. L. de Baptismo c. 6. Cum enim Baptismus sit fidei Sacramentum, quo fidem nostram in tres personas SS. Trinitatis salutis nostræ auctores ac sponsores testamur & obligamus, necesse fuit tres illas divinas personas distincte & expresse appellari seu invocari. Sic loquitur: *Angelus Baptismi arbiter superventuro Spiritui sancto vias dirigit, ablutione delictorum, quam fidei impetrat, obsignata in Patre & Filio & Spiritu sancto. Nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quanto magis, dum habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei, quos & sponsores salutis, sufficit ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum divinorum? Cum autem sub tribus & testatio fidei, & sponsio salutis pignorentur, necessario adjicitur Ecclesiæ mentio; quoniam ubi tres, ideſt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.* Alludit Tertullianus eo loci ad publicam professionem fidei in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quam a baptizandis exigebat Ecclesia.

P. 226. D

Secunda pars, nempe nunquam valide collatum fuisse Baptisma in solo Christi nomine.

Probatur auctoritate SS. Patrum, qui exponentes ea ipsa Scripturæ loca, in quibus aliqui baptizati dicuntur in nomine Christi, docent reipsa eos fuisse baptizatos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ita in primis

S. Cyprianus Epistola 73. ad Jubajan. *Jesu Christi mentionem facit Petrus*, inquit, *non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*,

P. 126. Act. 2. v. 38.

Auctor anonymus sed antiquus, Cypriano coætaneus, in Tractatu, cui titulus est: *Non debere denuo baptizari, qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi sint tincti*, probat, quod etsi a baptizandis invocaretur Christi nomen, non tamen in sola nominis ipsius invocatione, sed in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizati censendi sint. *Neque æstimes*, inquit, *huic tractatui contrarium esse, quod dixit Dominus: Ite, do-*

cete omnes Gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti ; quia cum hoc verum & omnibus modis in Eccleſia obſervandum ſit , & obſervari quoque ſolitum ſit , tamen conſiderare oportet quod invocatio nominis Jeſu non debet a nobis futilis videri , propter venerationem & virtutem ipſius nominis .

Ed. vet. T. 2. p. 169. S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 12. cui titulus: *Adverſus eos qui dicunt ſufficere Baptiſma tantum in nomine Domini*, ex profeſso Concluſionem noſtram demonſtrat, & in ſpeciem contraria nonnulla Scripturæ teſtimonia conciliat. *Neminem*, inquit, *in fraudem inducat illud Apoſtoli, quod nomen Patris, & Spiritus ſancti mentionem in Baptiſmatis commemoratione frequenter omittit ; neque ideo putet uſum harum vocum eſſe indifferentem .... Siquidem Chriſti appellatio totius Deitatis eſt profeſſio : quippe quæ ſimul declarat & Deum qui unxit, & Filium qui unctus eſt, & Spiritum ſanctum, qui eſt unctio.* Et poſtea: Ibid. D. *Videtur interdum & Spiritus tantum in Baptiſmate feciſſe mentionem Apoſtolus. Omnes enim, inquit primæ Cor. 12. in uno corpore, & in uno Spiritu baptizati ſumus, &c. At non ideo quis dixerit perfectum eſſe Baptiſma, in quo ſolum Spiritus nomen invocatum eſt. Oportet enim inviolabilem manere traditionem &c.* ſicut ſupra retulimus, cum quærebamus, an Chriſtus aliquam Baptiſmi formam præſcripſerit.

Mirum certe eſt, potuiſſe Voſſium diſp. 2. de Baptiſmo Theſi 5. hunc S. Doctoris textum laudare, ut oſtendat Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum validum viſum eſſe antiquis Eccleſiæ Patribus, cum data opera omnino oppoſitum demonſtrandum ſibi propoſuerit S. Baſilius.

Didymus l. 2. de Spiritu S. non longe ab initio: *Non arbitror*, inquit, *quemquam tam vecordem atque inſanum futurum, ut perfectum Baptiſma putet quod datur in nomine Patris, & Filii, ſine aſſumptione Spiritus ſancti ; aut rurſus in nomine Patris, & Spiritus ſancti, Filii vocabulo prætermiſſo ; aut certe in nomine Filii, & Spiritus ſancti, non præpoſito vocabulo Patris. Licet enim quis poſſit exiſtere ſaxei (ut ita dicam) cordis & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet contrarius legislator Chriſti ; tamen ſine perfectione baptizabit, imo penitus a peccatis liberare non poterit, quos a ſe baptizatos exiſtimaverit.*

Apud Hier. T. 4. par. 1. pag. 508.

Ed. Par. 1619. T. 2. p. 351. A. Origenes in caput 6. Epiſtolæ ad Romanos: *Cur* inquit, *hic Apoſtolus Chriſti nomen aſſumpſit dicens : Quicumque in Chriſto baptizati ſumus ; cum utique non habeatur legitimum Baptiſma, niſi ſub nomine Trinitatis.* Deinde reſpondetur : *Quoniam hoc loco non tam Baptiſmatis rationem, quam mortis Chriſti diſcutere cupiebat.*

Theophilactus in caput ultimum S. Lucæ: *Quomodo*, inquit, *Baptiſma in nomine ſolius Chriſti fieri intelligemus, præſertim cum alias doceamur baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti ? Primum dicimus, quod quando dicimus Baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus quod oporteat in ſolius Chriſti nomine fieri.*

Ed. Par. 1631. p. 545. D. S. Aug. l. 2. contra Maximinum Arianum cap. 17. ſolvens objectionem illius adverſus Divinitatem Spiritus ſancti ex eo ductam, quod Scriptura rerum creationem Spiritui ſancto non adſcribat, reſpondet ex illo Scripturæ ſilentio male inferri reipſa Spiritum ſanctum Creatorem non eſſe ; ſicut ex eo, quod Scriptura aliquando aſſerat, baptizatos nonnullos fuiſſe in nomine Chriſti, non propterea inferre licet eos baptizatos

fuiſſe

fuisse in solo nomine Christi, non appellato nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Audiatur S. Doctor: *Si autem quia non est nominatus*, (Spiritus sanctus) *quod etiam per illum facta sit creatura, quando de Filio dictum est: Omnia per ipsum facta sunt; ideo putas Dei Spiritum non esse Creatorem: procul dubio, nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus: Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi; quia non ait, & Spiritus sancti: nec in Patris nomine; quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari; & tamen intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: cur non sic audis de Filio Dei, Omnia per ipsum facta sunt: ut & non nominatim intelligas ibi etiam Spiritum sanctum?* T. 8. p. 715. A.

Quo loco S. Doctor regulam præscribit solvendis præsentis controversiæ difficultatibus maxime opportunam: scilicet, quando Scriptura alicujus tantum personæ divinæ mentionem facit, alias non censeri exclusas; imo omnes præsupponi, cum trium divinarum personarum una sit operatio, sicut una est essentia.

Venerabilis Beda lib. variarum quæstionum qu. 14. *Si quis*, inquit, *baptizans dicat: Baptizo in Christo Jesu; & non dicat: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sicut Dominus instituit, non est verus Baptismus; & ideo videndum est, ne quis erret in verbis Apostoli, quibus dicit: Nunc baptizo in Christo Jesu; aliter intelligens quam dictum sit.* T. 8. p. 407. n. 60. Quo loco videtur Beda correxisse quod scripserat Commentario in caput 10. Actorum, ubi ex S. Ambrosio exponit quomodo S. Lucas asserat multos in nomine Christi fuisse baptizatos: quamquam cum ibi S. Ambrosii verba tantum referat, eodem sensu exponi posset, quo ipsum S. Ambrosium mox exponemus.

Denique S. Joannes Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei c. 10. exponit quid sit baptizari in Christi nomine; & docet idem esse, ac baptizari in fidem Christi, non vero in appellatione solius nominis Christi. *In Christum baptizatum esse*, inquit, *nihil aliud indicat quam in illum credendo salutifera aqua tingi. Fieri autem non potest, ut in Christum credamus, nisi Patris, & Filii, & Spiritus sancti confessione imbuti simus ... Enim vero quænam verborum forma adhibenda esset, Dominus Discipulis suis exposuit: Baptizantes eos, inquiens, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* T. 1. p. 260. A. Ibid. B.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Constat ex Actibus Apostolorum, multos in nomine Christi baptizatos fuisse. Cap. 2. v. 38. S. Petrus ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.*

Cap. 8. v. 12. *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de Regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri & mulieres.*

Cap. 10. vers. 48. *Jussit eos* (S. Petrus) *baptizare in nomine Domini Jesu Christi.*

Cap. 19. v. 5. de quibusdam discipulis, quos S. Paulus invenit Ephesi, dicitur: *His auditis, baptizati sunt in nomine Jesu.*

Resp. Ex citatis modo SS. Patrum testimoniis patere ad propositam difficultatem responsionem, quæ triplex afferri potest.

Prima est, nomen Christi in Baptismo appellatum fuisse, non prætermisso nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: una enim persona nomi-

nata, ceteræ non censentur excludi, imo potius supponuntur pariter appellatæ. Ita exponunt S. Cyprianus, Anonymus, S. Basilius, S. Aug. Beda. Atque, ut ait Eulogius apud Photium in Bibliotheca Codice 280. *Quid dictum est in Actis de iis, qui Baptismum Joannis accepissent, His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu; hoc est, quia baptizati sunt juxta traditionem, doctrinamque Domini Jesu. Quare & alibi cum dicit: In Christo vel in morte Christi baptizati sunt, eumdem sensum debemus intelligere significari; hoc est, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizati sunt. Sic enim docuit & tradidit Jesus Christus Dominus noster, ut Baptismus fieret.* Ed. Roth. 1653. p. 1603. n. 10.

Verisimile quippe non est, Apostolos tam religiosos & accuratos mandatorum Christi observatores, tam sollemne præceptum baptizandi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti datum a Christo Matth. 28. neglexisse. Imo legimus ab ipsis rebaptizatos Ephesios, quod declarassent se nihil audivisse de Spiritu sancto. *In quo ergo*, inquiunt Act. 19. v. 3. *baptizati estis?* Qua quæstione supponunt solitum fuisse exprimi in Baptismo nomen Spiritus sancti; sicut Patris, & Filii; Baptismus ergo in nomine Christi, idem est, ac secundum præceptum Christi datus.

Secunda est, baptizari in nomine Christi idem esse, ac baptizari in fide Christi, seu post emissam publicam professionem fidei in Christum. Ita S. Joannes Damasc. citatus: nullus quippe baptizabatur, nisi prius contestatus fuisset se credere in Christum. Hunc sensum non obscure insinuat Scriptura. Act. 22. v. 16. Ananias sic Paulum compellat: *Quid moraris? Exsurge & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius.* Et c. 8. v. 36. ubi narratur quomodo baptizatus sit Eunuchus Reginæ Candaci a Philippo, *Venerunt*, ait S. Lucas, *ad quamdam aquam; & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum; & descenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.* Ubi observabis non addi: *Baptizavit eum in nomine Christi*: sicut aliis in locis. Quid ita? quia Eunuchus ille jam suam in Christum fidem professus fuerit. Illud ergo: *in nomine Christi*, intelligi debet, non ex parte ministri baptizantis, quasi inter baptizandum solum Christi nomen aliquando expressum & appellatum fuerit, sed ex parte subjecti recipientis Baptismum, a quo exigebatur prius fidei in Christum professio.

Tertia responsio est, baptizari in nomine Christi nihil esse aliud quam baptizari Baptismo Christi, in ejus virtute & auctoritate: ut nempe Baptismus Christi distinguatur a Baptismo Joannis, quo tincti dumtaxat fuerant ii, de quibus dicitur Act. 19. v. 5. *Baptizati sunt in nomine Jesu*; idest, Baptismo Christi. Istud *in nomine*, sæpius usurpari ab Auctoribus sacris pro virtute seu auctoritate, manifestum est ex S. Petro Act. 3. v. 6. ubi sanans claudum ait: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.* Et c. 4. v. 7. Sacerdotes & Scribæ sic interrogant Petrum & Joannem: *In qua virtute aut in quo nomine feciſtis hoc vos?* Responsionem confirmat Theophilactus in c. 24. S. Lucæ: *Quando dicimus*, inquit, *Baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quod oporteat in solius Christi nomine fieri, sed quod Christi Baptisma... spirituale sit, non judaicum; neque quale Joannis in pœnitentiam solum, sed & communionem Spiritus sancti & remissionem peccatorum conferat.* P. 545. E.

Instabis: Tam istud *in nomine Christi*, in Actibus Apostolorum significat

in

in invocatione, quam apud S. Matth. c. 28. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ſignificet in invocatione ſeu appellatione Patris & Filii & Spiritus ſancti, non vero tantum in virtute & auctoritate: atqui hoc poſtremum verum eſt: ergo &c.

Reſp. 1. nego maj. In his enim rebus, quæ facti ſunt, & pendent a virtute Chriſti, Eccleſiæ, ac Traditionis judicium audiri debet: at ex perpetua Eccleſiæ praxi, ac Traditionis conſtantis judicio conſtat iſtud *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, apud S. Matth. idem eſſe, ac in invocatione ſeu appellatione, quia inter baptizandum ſemper invocatum eſt nomen Patris & Filii & Spiritus ſancti. At non ita eſt de nomine Chriſti ſaltem ſolo, per excluſionem aliarum perſonarum; nuſquam enim ex Traditione Eccleſiæ demonſtrabitur valuiſſe Baptiſmum ſub invocatione ſolius nominis Chriſti collatum.

Reſp. 2. Iſtud *in nomine Chriſti*, in Actibus Apoſtolorum, ſignificare poſſe invocationem Chriſti, non quidem per excluſionem, ſed per adjunctionem aliarum perſonarum, ut antea diximus.

Objicies 2. Auctoritatem duorum SS. Pontificum Stephani & Nicolai I. quorum primus ſedere cepit an. 255. alter an. 589. uterque vero credidit ratum eſſe & validum Baptiſma datum in ſolo Chriſti nomine.

De Stephano teſtis eſt S. Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubajan. ubi de illo conqueritur, quod nequidem a Marcione baptizatos iterum baptizari velit, eo prætextu, quod in nomine Jeſu Chriſti baptizati videantur. *Quomodo ergo*, inquit, *quidam dicunt foris extra Eccleſiam, imo & contra Eccleſiam, modo in nomine Jeſu Chriſti, ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Opponit ibi S. Doctor Baptiſmum in nomine Chriſti, Baptiſmo in plena & adunata Trinitate; ſeu qui, juxta Chriſti mandatum, conferri debet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; atque Stephano, ejuſque ſequacibus, objicit, quod contra iſtud mandatum, ratum haberent Baptiſmum in nomine Chriſti collatum. P. 126.

Idem refertur in Actis paſſionis hujus S. Martyris & Pontificis, qui, teſte Baronio ad ann. 259. num. 20. accurata ſunt & fide digniſſima. Narratur enim ibid. num. 22. facto frequenti conventu in crypta Nepotiana, Stephanum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti baptizaſſe, & ſigno ſacri Myſterii conſecraſſe numero centum & octo, tam viros quam mulieres. T. 2. p. 530.

De Nicolao I. conſtat ex ejus Reſponſo ad conſulta Bulgarorum c. 10. ubi ſic loquitur: *A quodam Judæo, neſcitis utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de his ſit agendum conſulitis. His profecto in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt, (unum quippe, idemque eſt, ut S. exponit Ambroſius) conſtat eos non eſſe denuo baptizandos; ſed primum utrum Chriſtianus an Paganus ipſe Judæus extiterit, vel ſi poſtmodum factus fuerit Chriſtianus, inveſtigandum eſt. Quamvis non prætereundum eſſe credamus, quid beatus de Baptiſmo dicat Auguſtinus; Jam ſatis, inquit, oſtendimus ad Baptiſmum, qui verbis Evangelicis conſecratur, non pertinere, cujuſquam vel dantis vel accipientis errorem, ſive de Patre, ſive de Filio, ſive de Spiritu ſancto aliter ſentiat, quam doctrina cæleſtis inſinuat.* Tom. 8. Conc. p. 548. B, C

Resp. ad auctoritatem Stephani, 1. incertum plane esse an. S. Cypr. de Stephano loquatur : ait enim tantum : *Quidam dicunt* ; qui vero illi sint , non explicat . Nec plane liquet , an quod ibi asserit S. Doctor , legerit in ipsa genuina Stephani Epistola : hanc quippe se a Jubajano accepisse narrat; at verisimile non videtur, Stephanum scripsisse Jubajano in remotioribus Africæ partibus Episcopo, & non S. Cypriano Carthaginensi Episcopo , præsertim cum ad ipsum recte misisset Decretum de non rebaptizandis Hæreticis , sicut colligitur ex ipsa S. Cypriani ad Pompejum Epistola n. 74.

2. Esto de Stephano loquatur S. Cyprianus : pace ipsius dictum sit , eum Stephani mentem & sensum satis assecutum non fuisse, cum existimavit Baptismum in nomine Christi datum, Stephano idem esse, ac in sola nominis Christi invocatione. Non ita est: per Baptismum enim in nomine Christi, intelligebat Stephanus Baptismum virtute & auctoritate Christi institutum & datum ; & quidem apposite ad statum controversiæ , quam cum Cypriano habebat , ut nempe ostenderet parum referre a quo Baptismus conferatur, modo sit Baptismus Christi , idest virtute & auctoritate Christi institutus, cujus proinde vis & efficacia non pendet, ut putabat S. Cyprianus cum suis, a fide ministri, sed ex virtute Christi, qui tam bene per Hæreticos ac per orthodoxos, per malos, ac bonos Sacramenta sua dispensat.

Hanc autem fuisse veram & genuinam mentem S. Pontificis Stephani patet, tum ex ipso statu controversiæ inter ipsum & S. Cyprianum excitatæ ; non enim de forma Baptismi, sed de fide ministri agebatur inter illos: (1) tum quia Stephanus in nulla re a Traditione discessit, qui sollemne istud emiserat Decretum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*: at tota docet Traditio, Baptismum conferri debere sub invocatione expressa trium personarum SS. Trinitatis. Tum quia in illis ipsis Actibus passionis S. Stephani quos commemorat Baronius ad ann. Christi 259. nu. 23. refertur Nemesium Tribunum militum a Stephano baptizatum
T. 2. p. 530. fuisse sub hac forma: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizo te.* Quando igitur in iisdem Actibus refertur eum baptizasse in nomine Jesu Christi, per illud, *in nomine* , intelligi debet in virtute seu auctoritate Christi, seu Baptismo Christi. Tum denique quia Firmilianus Cypriano & Stephano coætaneus, testatur Stephanum reipsa baptizasse in plena & adunata Trinitate. Sic loquitur in Epistola ad Cyprianum inter Cyprianicas
P. 146. n. 76. *Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit in-*
P. 147. *vocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus sancti*. Idem quoque post narratam dæmoniacæ cujusdam feminæ historiam subdit : *Quid igitur* , ait, *de hujusce Baptismo dicemus ... maxime cui nec symbolum defuit Trinitatis?* Igitur , teste Firmiliano (quamquam in Stephanum parum propenso)

Ste-

(1) Hinc Cyprianus ipse idem baptisma in Christi nomine ab hæreticis datum probat, si in Christi veritate administretur. *Unde apparet*, inquit , *non ea statim suscipienda & assumenda quæ jactantur in nomine Christi , sed quæ geruntur in Christi veritate.* Hoc ergo erat & Cypriano & Stephano baptisma in Christi nomine , quod baptisma a Christo institutum .

Stephanus baptizabat sub invocatione Trinitatis nominum Patris & Filii & Spiritus sancti.

Ad auctoritatem Nicolai I.

Sunt, qui in ejus Responso duplicem distinguunt partem: priorem in qua agit dumtaxat de fide baptizandi, non de forma ex parte ministri baptizantis; ac ejus mentem esse ajunt, parum scilicet referre an qui baptizandus est, testetur se credere in Trinitatem, aut in Christum, cum unum & idem sit; istud ergo: *baptizari in nomine Christi*, in mente S. Pontificis, attenditur ex parte subjecti seu suscipientis Baptismum, a quo postulabatur fides in Christum; non ex parte ministri, quasi verba illa tantum sufficere voluerit pro forma Baptismi. Responsionem probant, quia S. Pontifex adducit auctoritatem tum Actuum Apostolorum, tum S. Ambrosii: at in illis locis non agitur de forma Baptismi, sed de fide baptizandi. Posteriorem vero Responsi partem ajunt spectare ministrum Baptismi, in quo exigit, ut verbis Evangelicis utatur pro forma: nihilominus jubet examinari, quis sit ille minister, an Judæus, an Paganus, an Christianus; non quod dubitet S. Pontifex ratum esse Baptisma a quocumque verbis Evangelicis collatum, sed quod periculum sit, ne Paganus aut Judæus formam corrumpat inter baptizandum.

Verum responsio ista, ut nihil dissimulemus, gratis ficta videtur, nullumque habet in citato Nicolai Responso fundamentum; in quo non duplex est, sed unum Responsi argumentum, nempe conditio baptizantis, non vero fides baptizati. Namque tale Responsum est, qualis interrogatio; at non interrogatus fuit S. Pontifex de fide suscipientis Baptismum, sed de ministro, an si Paganus sit, vel Judæus, legitime baptizet: quando igitur respondet S. Pontifex, legitime illum baptizare, si in nomine Trinitatis vel in nomine Christi baptizet, manifestum est illud ex parte ministri debere intelligi, non ex parte subjecti recipientis Baptismum; atque ejus mentem esse, Baptismum perinde ratum esse, si vel in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi conferatur: sub disjunctione enim utrumque proponit.

Nec obstat, quod in confirmationem sui Responsi adducat auctoritatem Actuum Apostolorum & S. Ambrosii, quia nempe in ea persuasione fuit Nicolaus, his in locis sermonem esse de Baptismo revera dato in solo Christi nomine. Adde quod S. Pontifex loquatur de eo, quo posito non sunt rebaptizandi illi Bulgari, quo vero sublato forent rebaptizandi: at istud nullatenus intellexit de fide aut ex parte baptizantis, aut ex parte baptizati; siquidem ex professo citat Augustinum dicentem, *non pertinere ad Baptismum verbis Evangelicis consecratum cujusquam vel dantis vel accipientis errorem*; ergo illud intelligere dumtaxat potuit de forma per ministrum pronunciata, qui si deprehendatur baptizasse in nomine Trinitatis aut in nomine Christi, Baptismus ratus est nec iterandus, secus vero nullus & iterandus.

Alii igitur respondent, S. Pontificem ex privata sua sententia extra quæsita respondisse, valere Baptismum in nominem Christi collatum: de hoc enim interrogatus non fuerat, & istud obiter inseruit suo Responso, adeoque, salva quæ ipsi debetur reverentia, deseri potest.

ADDITIO.

(*)

Sed mihi præ ceteris placet Pat. Franciſci Xaverii Piacevich reſponſio in egregio de Sacram. Tractatu pag. 367. Launojo Baſnagio, aliiſque qui Nicolai reſponſum objiciunt videntur particulæ vel tantum *exceptivum, & adverſativum ſenſum efficere. Hoc validiſſimum, imo unicum adverſæ partis argumentum eſt. Subſcriberem, niſi vanitatem ejus ipſe textus, contextuſque me etiam tacente confutaret. Profecto, ſi Nicolaus exceptivum, & adverſativum ſenſum deſcribere in animo habuit, qua tandem ratione ipſe affirmare potuit, unum eumdemque eſſe Baptiſmum Trinitatis*, & tantum in Chriſti nomine? *Pugnantia hæc ſunt: quare particulis illis, ex quibus calumnia omnis ſtruitur, non contendit Nicolaus ſenſum adverſativum efficere, qui concordiam potius, & unitatem Baptiſmi* Trinitatis & Chriſti *expoſuit, & teſtatam fecit. Si autem quæratur, cur nihilominus particulam* tantum *addiderit, reſponſum in promptu eſt, addidiſſe illam non de ſuo, ſed quia expreſſam eamdem legerat Act. 8. ver. 16.* Baptizati tantum erant in nomine Jeſu. *Ad quæ ipſa Apoſtolorum acta cum ſe referat Nicolaus, atque ipſum etiam Ambroſium appellet, cujus ſe veſtigiis ſtare profitetur, mirum ſane & incredibile mihi ſemper viſum eſt, Nicolao id crimini verti potuiſſe, quod in Ambroſio ſine vitio eſſe plerique agnoſcimus. Præter hoc argumentum ex ipſis viſceribus, ut ſic dicam, deductum ad abſolvendum Nicolaum maximum apud me ſemper pondus habuit perpetuum ea de re Bulgarorum æque ac Græcorum ſilentium. In tranquillo poſt illam doctrinam acceptam manſit Bulgarorum gens; non igitur ibi illi novitiam doctrinam ſuſpicati ſunt. Sed nec Photius ipſe, quem reſponſa illa latuiſſe non poterant, quamquam ſagax & pervigil in dicta, factaque Nicolai, propterea turbavit, aut commovit quidquam. Quis vero credat hominem infeſtiſſimum Nicolao non fuiſſe hinc ſtructurum calumniam, ſi alium a Trinitatis Baptiſmo approbatum fuiſſe Baptiſmum, vel per ſuſpicionem inducere potuiſſet in animum. Quod autem Photius & Græci hoſtes Romanæ Sedis neque in ſuſpicionem vocarunt, cur nos nobis nullis argumentis adducti perſuadeamus, cur ex loco adeo plano errorem comminiſcamur graviſſimum, & Pontificem nunquam convictum, novæ tunc inſolentiſque prorſus doctrinæ reum peragamus? decet nos minus, quam Græcos Romanæ Sedi iniquos eſſe, & tacentibus illis non condemnare Pontificem.*

(*)

Objicies 3. auctoritatem aliquorum SS. Patrum, Cypriani, Hilarii, Baſilii, Ambroſii, & Bernardi, qui omnes teſtantur Apoſtolos in ſolo Chriſti nomine valide baptizaſſe.

P. 126. S. Cypr. Epiſt. 73. ad Jubajanum, docet *Apoſtolos baptizaſſe Judæos in nomine Jeſu, Gentiles autem in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.*

Ed. nov p. 1199. D. T. 1. p. 299. C. Sanctus Hilarius Lib. de Synodis contra Arianos in poſtrema editione num. 85. *Ne poſtremo Apoſtoli*, inquit, *reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris & Filii, & Spiritu ſancti juſſi tantum in nomine Jeſu baptizarunt.*

S. Ba-

S. Basilius l. 5. adversus Eunomium c. 3. *Gentes*, inquit, *quæ crediderint, ac edoctæ fuerint, jubet baptizari in Trinitatis nomine. Petrus vero ad Judæos qui de Christo occidendo conjurarant, ac pœnitentia ducebantur; Pœniteat, inquit, unumquemque vestrum, fratres, vestræ malitiæ, ac viæ pravæ; atque baptizetur in nomine Domini Jesu, & salvabitur: tanquam possit eadem efficere Filius in lavacri regeneratione, quæ Pater & Spiritus sanctus efficiunt.* Et paullo post: *Proinde si Spiritus sanctus in Apostolis eadem operari potest,* Ibid. D. *quæ Patris, ac Filii nomen in iis, qui ex Gentibus crediderant, & Domini Jesu nomen in iis quos pœnituerat Judæis, (nemo enim dixerit, Apostolos minus accepisse gratiæ per lavacrum, quam qui erant ex Gentibus, propterea quod ipsi in Spiritu sancto gratiam habuerunt) quomodo non est ejusdem cum Patre & Filio substantiæ Spiritus, qui est quoque ejusdem operationis.*

S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. refellens objectionem eorum, qui ex istis Apostoli verbis primæ Corinth. 8. vers. 8. *Ex Patre sunt omnia, & per Filium omnia*, inferebant, Spiritum sanctum non esse Deum, quia eo loci prætermittitur; ostendit istud silentium Divinitati Spiritus sancti non obesse, duplici præsertim argumento. Obiit an. 397. T. 2. p. 607.

I. Quia in multis Scripturæ locis commendatur Spiritus sancti virtus & potestas, in quibus Patris aut Filii nomen filetur; nec tamen inde quis merito inferret Patrem & Filium Deum non esse.

II. Quia ubi in Scripturis aliqua divina operatio vel Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti designatur, etsi una tantum appelletur persona, ad omnes tamen operatio illa referri debet, quia trium personarum una est & omnino par virtus & auctoritas. Hanc autem suam responsionem confirmat sanctus Doctor duplici exemplo; nempe Eunuchi Candacis Reginæ, qui baptizatus tantum in Christo plenum consecutus est mysterium; & eorum, qui Act. 19. leguntur baptizati tantum in nomine Jesu Christi, nec tamen, in his iteratum est Baptisma, sed novatum. Audiatur sanctus Doctor: *Denique Æthiops Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus in Christo, plenum* Ibid. p. *mysterium consecutus est. Et illi, qui negaverunt se scire Spiritum sanctum,* 608. A. *quamvis baptizatos se dicerent in Joannis Baptismo, baptizati sunt postea ... Baptizati sunt itaque in nomine Jesu Christi; nec iteratum est baptisma, sed novatum, unum enim baptisma. Ubi autem non est plenum baptismatis Sacramentum, nec principium vel species aliqua baptismatis æstimatur. Plenum autem est, si Patrem & Filium & Spiritum sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum: ita etiam quamvis & Patrem & Filium & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Denique & illi ipsi qui dixerant: Nec si Spiritus sanctus sit, audivimus, baptizati sunt postea in* Ibid. p. *nomine Domini Jesu Christi ... Nec contrarium debet videri, quia quamvis* 609. A. *etiam postea tacitum sit de Spiritu, tamen creditum est; & quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide. Cum enim dicitur: In nomine Domini Jesu Christi, per unitatem nominis impletum mysterium est, nec a Christi Baptismate Spiritus separatur, quia Joannes in pœnitentiam baptizavit, Christus in Spiritu. Nunc autem consideremus, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse mysterium legimus baptismatis Sacramentum, ita etiam sancto tantum Spiritu*

nun-

nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius; & ipsum qui unctus est, Filium, & Spiritum, quo unctus est, designasti.

Ex quo S. Doctoris testimonio duo urgeri possunt.

Primum, ratum esse Baptismum qui confertur sub invocatione seu appellatione unius dumtaxat personæ SS. Trinitatis, modo fides habeatur sana & integra in tres personas: quia nempe, juxta S. Doctorem, una appellata persona, aliæ subintelliguntur: quod si omnes appellarentur, & fides integra non foret, totum subverteretur mysterium.

Secundum, ratum fuisse Baptisma datum in nomine Christi, & in quo *tacitum est verbo de Spiritu sancto, licet expressum sit fide*. At Baptismus in quo tacitum est nomen Spiritus sancti, procul dubio collatum non fuit sub expresa invocatione trium personarum divinarum. Et vero institutum sancti Doctoris erat, ut ostenderet æqualem esse trium SS. Trinitatis personarum auctoritatem & operationem, licet aliquando una nominetur, aliis silentio prætermissis: appositе igitur ad hunc finem debuit proferre Scripturæ testimonia, in quibus una tantum persona sine aliis appelletur; & ita cum adducit exemplum Eunuchi Reginæ Candacis, & aliorum qui baptizati leguntur in nomine Christi, supponit in tali Baptismo reipsa solum Christi nomen fuisse appellatum: alias exempla hæc ad rem apposita non fuissent.

Denique sanctus Bernardus Epist. 403. alias 304. ad Henricum Archidiaconum, interrogatus quid esset sentiendum de Baptismo in extremis collato sub ista verborum formula: *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ & veræ crucis*, sic respondet: *Ego vere hunc baptizatum puto, nec sonum vocis, veritati fidei, & pietati intentionis præjudicare potuisse.*

Ed. Mabill. T. 1. p. 339. F.

Resp. ad singulos Sanctorum Patres.

Ad sanctum Cyprianum, non loquitur sanctus Doctor de forma Baptismi, sed de professione publica fidei illius, qui baptizandus erat; aitque a Judæis postulatam fidem in Christum, a Gentilibus vero in Trinitatem, non quasi diversa sit fides in se, sed quia varia fuit explicita fidei professio, quæ a baptizandis exigebatur. Sic a Judæis, qui jactabant, inquit, *se patrem habere*, postulata est explicita professio fidei in Filium; a Gentilibus vero, qui unum in tribus personis non agnoscebant Deum, postulata est explicita professio fidei in Trinitatem.

Ad sanctum Hilarium: Baptismus in nomine Christi idem est apud ipsum eo loci, ac in virtute & auctoritate Christi; imo ex loco citato infertur potius Apostolos baptizasse sub invocatione expresa SS. Trinitatis. Namque ejus scopus est ut ostendat, ea Scripturæ testimonia quæ Ariani tamquam contraria & pugnantia objiciebant, reipsa non pugnare inter se; & inter alia adducit textum Actuum Apostolorum, ubi refertur multos in nomine Christi fuisse baptizatos, cum tamen Christus expresse jusserit baptizandum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quæ loca, juxta sanctum Doctorem, non pugnant inter se: at pugnarent omnino, si reipsa vellet Apostolos baptizasse in solo Christi nomine; violassent enim mandatum Christi, apud S. Matth. c. 28.

c. 28. Alia igitur ratione conciliari ea testimonia non possunt, quam si dicamus Apostolos nusquam baptizasse in solo Christi nomine, & textus in speciem oppositos exponendos esse de Baptismo Christi, hoc est virtute & auctoritate Christi collato.

Ad sanctum Basilium, manifeste constat ex testimonio ipsius inter probationes Conclusionis adducto, eum in contraria plane sententia fuisse. Sensus igitur illius in loco unde sumitur objectio est, baptismum in virtute & auctoritate Christi collatum ratum esse: eadem quippe est trium personarum virtus, eadem auctoritas & operatio, quod demonstrandum susceperat, ut inde probaret Spiritum sanctum Deum esse perinde, ac Patrem & Filium, quia baptismus confertur in ejus nomine, sicut in nomine Patris & Filii.

Ad sanctum Ambrosium, dico eum loco citato non agere de forma baptismi, sed tantum de fide baptizandi. Alludit scilicet ad illam sollemnem fidei professionem, quæ a Catechumenis, antequam baptizarentur, solebat exigi, de qua mentionem faciunt Veteres, S. Justinus Apologia 2. Tertullianus lib. de Baptismo c. 6. sanctus Basilius lib. 3. adversus Eunomium, & ipse sanctus Ambrosius lib. 2. de Sacramentis c. 7. *Interrogatus es*, inquit, *credis in Deum Patrem? credis in Dominum nostrum Jesum Christum? credis in Spiritum sanctum?* Vult igitur sanctus Doctor, in illa sollemni fidei professione, quam baptizandi emittebant, satis esse si una persona nominetur, modo fides in omnes habeatur: quod si omnes appellarentur, & aliqua negaretur, vacuum esset mysterium, idest, nullum gratiæ effectum consequeretur qui baptismum susciperet. Quod vero loquatur sanctus Doctor de fide baptizandorum, constat ex his verbis, loco in Objectione citato: *Ergo isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere Baptismatis Sacramentum.* Et postea: *Plenum autem est* (Baptismatis Sacramentum) *si Patrem & Filium Spiritumque sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues* ... Et postea: *Ita etiam quamvis & Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Quæ sane verba de ministro baptizante exponi non debent, nisi velis sanctum Doctorem in eo errore versatum fuisse, fidem ministri plane necessariam esse ut Sacramenta valide conficiat; hoc enim importarent verba laudata, si de ministro loqueretur S. Doctor: verum ab illo errore alienus omnino fuit, igitur de subjecto percipiente Sacramentum loquitur.

Tom. 2. p. 359. D. E.

T. 2. p. 608. C.

Porro sanctum Ambrosium, cum ex professo agit de forma Baptismi, affirmare eam verbis Evangelicis: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, exprimendam esse, manifestum est ex lib. de Mysteriis c. 4. antea citato, ubi quærebamus, an Christus Baptismi formam præscripserit. Consule.

Denique ad sanctum Bernardum respondet Estius in 4. dist. 3. §. 5. prædictam Epistolam non esse sancti Bernardi: verum id non probat. Horstius in notis ad hanc Epistolam, addit se non facile creditum non esse Bernardi, cui subscribere videtur doctissimus Mabillonius laudans codices, in quibus illa continetur: verum candide fatetur improbandam esse hanc sancti Doctoris sententiam, quæ Scripturis & Traditioni adversatur.

Quæ-

Quæres 1. quid sentiendum sit de variis immutationibus, quæ contingere possunt in forma Baptismi?

Resp. graviter peccare eum qui vel tantillum formam ab Ecclesia usurpari solitam immutat: formam vero integram non manere, ac nullum proinde esse Sacramentum, si verbis mutatis, additis, detractis, transpositis, non maneat idem verborum sensus; secus si remaneat. De quibus mutationis speciebus diximus in Tractatu de Sacramentis in genere, & consuli potest Estius in 4. dist. 3. §. 6.

Quæres 2. quid sentiendum sit de forma ista: *Ego te baptizo in nomine genitoris & geniti & procedentis ab utroque?*

Resp. dubiam & incertam videri, adeoque Baptismum esse sub conditione iterandum: tum quia nusquam talis forma fuit ab Antiquis usurpata: imo videtur ab iis improbata, ut constat ex sancto Athanasio Serm. 2. contra Arianos circa medium, sancto Epiphanio hæresi 73. num. 14. 10. & 20. Tum quia, ut observat ibid. sanctus Epiphanius, vocabulum, *ingeniti*, sufficienter non exprimit vim hujus nominis Patris; neque vocabulum, *geniti*, vim nominis Filii. Tum denique quia nomine Patris & Filii & Spiritus sancti significantur personarum proprietates & ipsæ personæ; nomine autem genitoris & geniti significantur tantum actus notionales.

ARTICULUS V.

De discrimine Baptismi Christi a Baptismo Joannis.

Errores.

CIrca discrimen Baptismi Christi a Baptismo Joannis errarunt ex Veteribus, Petilianus Episcopus Donatista, qui contendebat unum esse Christi & Joannis Baptisma, tribus tamen (ut inquiebat) gradibus consecratum, ita ut aqua Joanni, Spiritum sanctum Christo, ignem denique Paracleto tribueret. Ita S. August. lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 32.

T. 9. p. 239. A. Undecimo vergente sæculo, Bogomili, ita dicti lingua Bulgarorum, *quasi misericordiam Dei implorantes*, auctore Basilio quodam medico e secta Masalianorum, docuere, Baptismum nostrum, quia in aqua fit, esse Baptismum Joannnis; Baptismum vero suum esse Baptismum Christi, qui fit per Spiritum: unde quotquot e Catholicis ad sectam suam transibant, suo iterum Baptismo tingebant. Ita Euthymus in Panoplia *Bibl. PP. Tom. 19. p. 224.* p. 2. tit. 23. c. 16. Ortam autem illam sectam undecimo sæculo inclinante, inde conjicimus, quod Euthymus qui florebat initio duodecimi, asserat eam non multo ante caput extulisse.

Ex recentioribus, Lutherani & Calviniste unum esse substantia, & efficacia Christi ac Joannis Baptismum contendunt.

Lutherus tamen initio suæ prædicationis discrimen statuebat inter utrumque Baptismum: in disputatione enim de Baptismo Legis, Joannis, & Christi edita anno 1520. Baptismum Christi in tribus maxime a Baptismo Joannis discrepasse affirmat. 1. quia Baptismus Joannis non erat Sacramentum, sicut Baptismus Christi 2. quod iste peccata remittit,

tit, non alter. 3. quia baptizati a Joanne rursus baptizati sunt, non vero ii, qui Baptismo Christi tincti fuerant.

Verum cum hæc Lutheri sententia parum cohæreat cum alio doctrinæ Lutheranæ capite circa efficaciam Sacramentorum mere objectivam, quæ tota consistit in eo, ut fidem excitet, improbata fuit, & rejecta a discipulis Lutheri; quippe ad fidem excitabat non minus Baptisma Joannis, quam Christi. Ita Melanchton in Locis an. 1556. tit. *de Baptismo*, ubi totum discrimen utriusque Baptismi in eo reponit, *quod Joannes*, inquit, *de passuro Christo, Apostoli de passo, & resuscitato prædicabant; ministerium tamen fuit idem, & effectus eosdem habuit in credentibus*. Idem sentiunt Centuriatores Centuria 1. c. 4. Zuinglius libro de vera, & falsa Religione cap. de Baptismo, Calvinus l. 4. Institutionis c. 15. n. 7. ubi unum & idem fuisse Christi & Joannis Baptisma probat, tum ex unitate doctrinæ per utrumque annuntiatæ, tum ex remissione peccatorum per utrumque procurata: Chrysostomum vero, Augustinum, & alios Veteres discrimen inter utrumque Baptismum statuentes, non esse audiendos inverecunde ac proterve pronunciat. Kemnitius in 2. parte examinis Concilii Tridentini; Vossius integra disputatione 8. de Baptismo. Quibusdam tamen prærogativis, nempe copiosiori Spiritus sancti gratiæ largitione, Baptismum Christi superiorem fuisse Baptismo Joannis, non inviti concedunt recentiores Lutheri, & Calvini discipuli, quamquam eumdem fuisse natura, & substantia pertinacius contendant. P. 483.

Scholasticorum opiniones.

Inter Scholasticos

Magister Sententiarum lib. 4. dist. 2. littera F. distinguit duo genera baptizatorum a Joanne: unum eorum, qui in Baptismo Joannis spem suam ponebant, nec cognoscebant Spiritum sanctum, & ii Christi baptismate subinde baptizari debuerunt; alterum eorum, qui spem suam in Baptismo Joannis non collocabant, & Patrem Filium ac Spiritum sanctum credebant, qui alio non indiguere Baptismo, nec etiam postea baptizati sunt. Hanc Magistri sententiam recensens S. Thom. 3. p. q. 38. art. 6. eam, quantum ad secundam partem, vocat penitus irrationabilem: & vero cum Magistri placitis non satis videtur cohærere, quippe qui eadem distinctione litteris D. & E. expresse doceat Baptismum Joannis non contulisse gratiam neque peccatorum remissionem. Distinctionem hanc eorum, qui Baptismo Joannis tincti fuerant, videtur Magister hausisse ab Antiquis nonnullis, qui contendunt, eos quos sanctus Paulus jussit baptizari Actor. 19. non fuisse vero Baptismo Joannis prius baptizatos.

Nonnulli existimarunt Baptismum Joannis fuisse verum Sacramentum, quod juxta Durandum q. 3. ad veterem Legem pertinuit; juxta vero S. Bonav. in 4. dist. 2. art. 2. q. 2. & S. Thomam in 4. dist. 2. q. 2. art. 1. neque ad veterem neque ad novam Legem referri debet, sed medium quemdam inter utramque locum occupat. Ab hac tamen sententia recessit Angelicus Doctor in Summa 3. part. q. 38. art. 1. in resp. ad 1. ubi expresse ait; *Baptismum Joannis non fuisse per se Sacramentum, sed quasi*

quod-

quoddam ſacramentale diſponens ad Baptiſmum Chriſti. His ita præmiſſis, dogma catholicum nobis probandum eſt.

CONCLUSIO.

Baptiſmus Joannis diverſus fuit a Baptiſmo Chriſti natura, & efficacia.

Duæ ſunt partes. Prima pars probatur: Quia ille ritus natura, & ſubſtantia diverſus fuit a Baptiſmo Chriſti, qui nec Sacramentum fuit, nec Chriſtum habuit auctorem, nec ejuſdem formæ fuit ac neceſſitatis: atqui talis fuit Baptiſmus Joannis.

I. Non fuit Sacramentum. Tum quia verum Sacramentum ſignum eſt ſtabile ac permanens: at Joannis Baptiſmus breviſſimo duravit tempore. Ut enim ait S. Aug. l. 5. de Baptiſmo c. 9. *Accepit Joannes Baptiſmum non diu manſurum, ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam Domino, cujus eum eſſe præcurſorem oportebat*. Tum quia nec veteris, nec etiam novæ Legis Sacramentis accenſeri poteſt: non veteris, quia *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*, Lucæ 16. v. 16. non novæ, quia nec a Chriſto inſtitutus fuit, nec vim habuit delendi ex ſe peccata, nec Eccleſia unquam illum inter Sacramenta Evangelica numeravit. Unde ſanctus Thomas 3. p. q. 38. art. 1. ad 1. ait *Baptiſmum Joannis fuiſſe, quaſi quoddam ſacramentale diſponens ac præparans ad Baptiſmum Chriſti*: unde medium veluti locum tenuit inter ritus novæ, & veteris Legis. *Nos*, inquit Tertullian. l. 4. adverſus Marcionem c. 33. *limitem quemdam agnoſcimus Joannem conſtitutum inter vetera, & nova, ad quem definiret Judaiſmus, & a quo inciperet Chriſtianiſmus*. Et L. de Baptiſmo c. 10. de Baptiſmo Joannis ait: *Agebatur itaque Baptiſmus pœnitentiæ, quaſi Candidatus ſanctificationis in Chriſto ſubſecuturæ*.

T. 9. p. 147. A.

P. 449. B.

P. 218. B.

II. Baptiſmus Joannis Chriſtum non habuit auctorem. Hinc nuſquam appellatur aut Baptiſmus Chriſti, aut ſimpliciter Baptiſmus, ſed Baptiſmus Joannis; qua limitatione Scriptura non tantum innuere voluit Joannem fuiſſe Miniſtrum hujus Baptiſmi, alias pari ratione Baptiſmus Chriſti dici poſſet Baptiſmus Petri vel Pauli, qui ſunt tantum illius cauſſæ miniſteriales, quod tamen ne dicatur, vetat Apoſtolus 1. Corinth. 1. v. 13. ſed innuere voluit, Joannem auctorem eſſe illius Baptiſmi, quamquam inſpiratione ac motione cæleſti ductus ille fuerit ad hunc ritum inſtituendum. Unde Matth. 21. v. 25. dicitur *eſſe e Cælo*; & Lucæ 7. v. 30. Phariſæi dicuntur *ſpreviſſe conſilium Dei*, quod baptizari a Joanne noluiſſent. *Nos*, inquit, Tertullianus Lib. de Baptiſmo c. 10. *poſſumus æſtimare divinum quidem eum Baptiſmum fuiſſe mandatu, non poteſtate*.

Ibid. A.

III. Baptiſmi Joannis non eadem fuit forma, quæ Baptiſmi Chriſti: tum quia incertum plane eſt utrum Joannes aliqua verborum formula inter baptizandum uſus fuerit: tum quia ſi uſus eſt iſta, quæ inſinuatur Act. 19. v. 4. *Baptizo vos in eum, qui venturus eſt*: ſane omnino diverſa eſt ab ea, quam præſcripſit Chriſtus Matth. 28. Quamquam, ut obſervat Voſſius, ea forma uti non potuit, neque cum Chriſtum, neque cum alios poſt incœptum Chriſti miniſterium baptizavit: tunc enim vera non fuiſſet formæ hujus ſignificatio, ſiquidem jam tum præſens aderat Chriſtus. Et certe ea verborum formula uſum non fuiſſe Joannem

nem inde poteſt ſuaderi, quod cum Phariſæi ipſum interrogaſſent, an eſſet Chriſtus, reſpondit Joannes ſe non eſse. Ignorabant igitur antea Phariſæi, an Joannes eſſet Chriſtus: porro ſi baptizaſſet in nomine Chriſti venturi, iſtud ignorare minime potuiſsent. Non etiam in nomine Trinitatis baptizaſse Joannem manifeſte colligitur ex c. 19. Act. ubi ab ipſo baptizati declarant ſe nihil audiviſse de Spiritu ſancto.

IV. Denique, Baptiſmus Joannis æqualis non fuit cum Baptiſmo Chriſti neceſſitatis: hic enim omnes obſtringit tam parvulos quam adultos; ille vero cum eſset Baptiſmus pœnitentiæ, ſolos adultos: unde rurſus baptizati ſunt, qui ſolo Joannis Baptiſmo, non vero qui Baptiſmo Chriſti jam tincti fuerant.

Secunda pars probatur: Quia ille Baptiſmus diverſus omnino fuit a Baptiſmo Chriſti virtute, & efficacia, qui fuit tantum in aqua, non autem in Spiritu ſancto; in pœnitentiam ad quam excitabat, non in regenerationem quam non operabatur; quo qui baptizati dumtaxat fuerant, rurſus baptizati ſunt Baptiſmo Chriſti: atqui talem fuiſse Joannis Baptiſmum Scriptura diſertis verbis profitetur: ergo &c.

Minor pro triplici ejus parte probatur ex Scriptura.

I. Baptiſmum ſuum in aqua dumtaxat fuiſse, non in Spiritu ſancto, ipſe Joannes ſtatim declarat Phariſæis ad ſe, ut baptizarentur, venientibus, ne forte plus aliquid accepturi ſe putarent, quam reipſa accepturi erant. *Ego quidem*, inquit Matth. 1. v. 11. *baptizo vos in aqua, in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt ... ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne*. Et Marci 1. v. 8. *Ego baptizavi vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu ſancto*. Idem adhuc repetit apud S. Lucam c. 3. v. 16. & Joannis 1. v. 26. ubi interrogantibus Phariſæis quare baptizaret, cum nec eſſet Chriſtus, nec Elias, nec Propheta, reſpondet ſe nonniſi in aqua baptizare, Chriſtum vero in Spiritu ſancto, *Ego*, inquit, *baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis ... hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*. Igitur Baptiſmus Joannis a Baptiſmo Chriſti in hoc maxime diſcrepabat, quod iſte in aqua foret & in Spiritu ſancto, ille vero in aqua tantum.

Novatores duo reponunt ad hæc Scripturæ teſtimonia; primum Joannem noluiſse citatis verbis Baptiſmum ſuum a Chriſti Baptiſmo diſtinguere, *ſed perſonam ſuam cum Chriſti perſona contuliſse, ac declaraſse ſe miniſtrum dumtaxat aquæ; illum vero Spiritus ſancti datorem eſse, quam ſuam virtutem viſibili miraculo declaraturus erat Chriſtus, qua die Spiritum ſanctum Apoſtolis ſub linguis igneis mitteret*. Ita Calvinus l. 4. Inſtitutionis c. 15. p. 483. n. 8. Alterum, quod magis placet Voſſio diſp. 8. de Baptiſmo Theſi 12. & 13. Joannem non comparare Baptiſmum ſuum cum vero Chriſti Baptiſmo, ſed cum illa copioſa, & abundanti donorum Spiritus ſancti effuſione, quæ ſub ſpecie linguarum ignearum in die Pentecoſtes facta eſt, quæ ſenſu figurato dicitur Baptiſmus, & in qua longe inferior fuit Baptiſmus Joannis Baptiſmo Chriſti. Imo ſi Calvinum audiamus, loco mox citato, ipſe Baptiſmus Chriſti, quem ipſo adhuc in terris agente Apoſtoli adminiſtrabant, non tam copioſam Spiritus ſancti gratiam conferebat ante Chriſti Aſcenſionem, ac poſtea; nec inde tamen inferri poteſt diverſum fuiſſe Baptiſmum. Hujus interpretationis auctorem Chriſtum & S. Petrum

trum facit Voſſius: Chriſtus enim poſt Reſurrectionem Apoſtolis ſuis dixit Actor. 1. v. 5. *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies*: quæ verba S. Petrus repetit Act. 11. v. 16. *Recordatus ſum*, inquit, *verbi Domini, ſicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua &c.* Confirmabat hac obſervatione Voſſius, quod nempe Scriptura verbo potius de futuro, *baptizabit*, utatur, quam de præſenti; ut innuat ſe alludere ad illam, quæ futura erat, copioſam donorum Spiritus ſancti in die Pentecoſtes effuſionem.

Refellitur utraque reſponſio.

Prima quidem: Utrumque enim diſtinguit Joannes; & Baptiſmum ſuum, & perſonam ſuam: Baptiſmum quidem, in eo quod in aqua dumtaxat foret: cujus ipſe auctor erat, non miniſter tantum; aptiſmus vero Chriſti in Spiritu ſancto. Si enim totum diſcrimen in eo repoſuiſſet Joannes, quod ipſe miniſter eſſet aquæ, Chriſtus vero auctor gratiæ, nihil ſane habuiſſet ſingulare; in Baptiſmo etenim Chriſti, Apoſtoli miniſtri erant dumtaxat aquæ, non auctores gratiæ: habuit tamen Baptiſmus Joannis iſtud ſingulare; ut ſemper Joannis Baptiſmus appellatus fuerit; Baptiſmus vero Chriſti nuſquam dictus ſit Baptiſmus aut Petri, aut Pauli, aut cujuſcumque alterius miniſtri. Quid ita? quia nempe Joannes non tantum miniſter fuit, ſed & auctor ſeu inſtitutor ſui Baptiſmatis; Apoſtoli vero, ceterique ſunt tantum miniſtri Baptiſmi Chriſti. Joannes igitur non tantum perſonam ſuam, ſed &B aptiſmum ſuum diſtinguit a Baptiſmo Chriſti. Adde quod plerumque tempore futuro de Chriſto dicat: *Ipſe baptizabit in Spiritu ſancto*. At ſi Spiritus ſancti gratia Baptiſmo Joannis annexa fuiſſet perinde ac Chriſti Baptiſmo, non dixiſſet tempore futuro: *baptizabit in Spiritu ſancto*, ſed *baptizat*.

Secunda reſponſio non minus falſa eſt. Suum etenim Baptiſmum Joannes opponit non tantum futuræ illi copioſiori Spiritus ſancti effuſioni in die Pentecoſtes, ſed etiam Baptiſmo, quo Chriſtus baptizavit ante ſuam in Cælos Aſcenſionem. Non enim tantum verbo de futuro, *baptizabit*, *baptizabimini*, utitur, ſed etiam de præſenti: *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto*. Unde vana prorſus ac futilis eſt Voſſii obſervatio. Falſa non minus Calvini ſententia, nempe Baptiſmum Chriſti ante Aſcenſionem ejus in cælum, non tam copioſam contuliſſe Spiritus ſancti gratiam, quam poſtea: hæc quippe abundantior donorum cæleſtium largitio non ad Baptiſmum præciſe, ſed ad Confirmationis Sacramentum die Pentecoſtes inſtitutum referri debet:

II. Baptiſmum Joannis fuiſſe dumtaxat in pœnitentiam ad quam excitabat, ſæpius teſtatur Scriptura.

Marci 1. v. 4. *Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jeroſolymitæ univerſi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata ſua.*

Matth. 3. v. 11. *Baptizo vos in aqua in pœnitentiam*: ait ipſe Joannes.

Et Lucæ 3. v. 3. *Venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ*. Inde repetitur Act. 13. v. 24.

ADDITIO.

(*)

QUod si quæras, quæ istbæc pœnitentia fuerit, respondeo, confidenter ajo Judæos a Joanne baptizandos ad pœnitentiæ in Ecclesia nostra consuetæ disciplinam formamque se composuisse. Postquam enim Joannem venturæ iræ terrores ingerentem, hortantemque ad pœnitentiam audierant, continuo perosi crimina promptum paratumque ad imperata animum exhibent; imo, & dignos fructus pœnitentiæ faciunt, nec cavere modo scelera sibi proponunt, sed bona etiam, quæ supererogatoria dicimus, in se recipiunt: quis enim ambigat obsequentes se Joanni præbuisse in omnibus; hæc vero similiaque edixisse leges apud Lucam c. 3. v. 11. 13. & 14. Imo & quod multo difficillimum fuit, non uni Deo se reos sistunt, sed homini; nec apud hunc generali & confusa quadam accusatione se peccasse testantur, sed, ut persuasum mihi habeo, admissorum quisque criminum particularem, & exquisitam, distinctamque confessionem faciunt.

Ita existimandi contra non paucos etiam ex catholicis, multiplex mihi succurrit ratio, si non prorsus vim faciens, nec tamen repudianda. Primam ex textu duco. Etenim ἐξομολογέμενοι τὰς ἁπαρτίας αυτῶν nemo Græcorum dixerit illos, qui peccatores generatim se ferunt; sed qui, quæ a se patrata sunt crimina, accusant. Alteram repeto inde, quod nihil novum ac insolens apud Judæos esset percensere crimina: extat hujusmodi arduum præceptum Num. & Lev. 5. Et vero nisi hæc disciplina, atque lex talis apud Judæos in more fuisset, quorum illos exhortatur Ecclesiasticus c. 4. Non confundaris confiteri peccata tua. Non solet timeri confusio, neque verecundiæ locus est, si Deo tantum inspectori cordium nostra pateant, aut cum se quis apud hominem reum in multis generatim peragit. Tertium fundamentum præbet, quod Buxtorfius Synagog. c. 35. perhibet, simillimam nostræ confessioni frequentari hodieque a Judæis, cum ad mortem decumbunt. Quartum, quod Ecclesia traditione constanti ac perpetua simillimum locum, quem legimus Act. 19. v. 18. Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos; de peccatorum accusatione distincta intellexit; cur non igitur perinde intelligas, quod Matth. 3. & Marci 1. de Judæis dicitur: Baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua? præcipue quando nec Patres desunt, qui confessioni particulari suffragentur. Instar plurimorum sint, Basilius Hom. 1. de Bapt. Joannis scribens: Quin etiam sine ulla prorsus dilatione, simul atque accesserat quis, & peccata sua quantacumque, & qualiacumque fuisset confessus, in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat. Chrysost. Hom. 10 in Matth. Tempus Confessionis quæ, & lotis Baptismate, & illotis, profanisque incumbit; istis quidem, ut post patentia criminum vulnera pœnitentia interveniente curentur, & ad sacra mysteria (scilicet Baptismum) redire teneantur; illis vero, ut ablutis in Baptismate maculis ad Dominicam mensam munda jam conscientia accedant. Nec aliter sensit auctor op. imperfecti in Matt. Hom. 3. Quin & Grotius contra suorum morem, & Numer. & Levit. 5. caput de accusatione particulari criminum interpretatur, ac defendit, creditque idem hoc sed majore quadam pietate, & fiducia egisse Judæos apud Joannem Bapt. quippe hominem speciatissimæ Sanctitatis, quin & Sacerdotem, imo Prophetam, & suspicione multorum Christum.

(*)

III. Baptizatos a Joanne rursus tinctos fuisse Baptismo Christi, constat ex Actibus Apostolorum cap. 19. ubi duodecim Ephesii baptizati Baptismo Joannis, qui se nihil de Spiritu Sancto audivisse declaraverant, baptizati sunt a Paulo in nomine Jesu Christi. Unde S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos ait: *Baptisma Joannis in tantum imperfectum fuisse, ut constet postea Christi Baptismate baptizatos qui ab eo fuerant baptizati.* T. 4. p. 2. p. 294.

Anabaptistæ hoc iterati Baptismatis exemplo & auctoritate nixi, putant iterum baptizari posse, qui legitimo Baptismo jam tincti sunt. Invicte illi quidem a Catholicis revincuntur, quibus persuasum est Baptismum Joannis longe diversum fuisse a Christi Baptismo; sed Novatores Lutherani, & Calvinistæ, quibus placet eumdem esse natura, & efficacia, ab iis se expedire vix possunt, ac sese in iis refellendis validissimo præsidio privant. Quapropter multa confingunt, ut istud nostrum argumentum declinent & infringant.

Respondent 1. post Calvinum, eos qui dicuntur a Paulo baptizati Act. 19. reipsa vero aquæ Baptismo tinctos non fuisse; cum a Joanne jam baptizati fuissent, sed abundantiori dumtaxat donorum Spiritus Sancti largitione donatos, quæ sensu figurato Baptismus dicitur; vel baptizati dicuntur, id est plenius edocti & instructi de Mysteriis fidei Christianæ. L. 4. Instit. c. 15 n. 18. p. 486.

Refellitur hæc responsio. 1. Quia sacer Contextus diserte distinguit, & Baptismum, & manus impositionem, per quam abundantiorem Spiritus Sancti gratiam perceperunt illi, qui sunt a Paulo baptizati: *Baptizati sunt*, ait Historicus sacer Act. 19. v. 5. *in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* 2. Quia vox ista, *Baptismus*, cum simpliciter & sine ullo addito usurpatur in Scripturis, significat aquæ lotionem, seu Baptismum verum: cum vero usurpatur ad significandam donorum Spiritus Sancti abundantem, & conspicuam effusionem, aliquid adjunctum habet, quo ista significatio determinatur, ut colligitur ex c. 1. Act. & 3. S. Matth. 3. Quia nomen Baptismi solitarie sumptum nusquam a sacris Auctoribus usurpatur pro doctrina & instructione; atque merum istud est cerebri Sociniani figmentum, cui vel inviti arma & vires suppeditant Calvinistæ, quamquam ab iis multum abhorrere se videri velint.

Respondent 2. ista verba c. 19. v. 5. Actuum Apostolorum: *His auditis baptizati sunt*, non esse S. Lucæ Historici, sed S. Pauli narrantis, qua ratione post præmissam a Joanne instructionem seu doctrinam, illi Ephesii baptizati fuissent ab ipsomet Joanne, ita ut sensus sit: *His auditis*, nempe audita Joannis prædicatione, & doctrina, baptizati sunt illi a Joanne.

Refellitur ista responsio. 1. Quia gratis omnino ficta est, nullum enim ne vel leviissimum quidem extat in sacro textu hujus transpositionis vestigium, & ipse Vossius Disput. 8. de Baptismo Thesi 33. non dissimulat explicationem hanc novam esse, omnibus Antiquis incognitam. 2. Quia series contextus postulat, ut citata verba sint S. Lucæ Historici narrantis quomodo Ephesii illi, post factam declarationem se nihil de Spiritu Sancto audivisse, a Paulo baptizati sint in nomine Jesu, id est Baptismo Christi, in quo Spiritus Sancti mentio erat. 3. Quia ab eodem sunt baptizati, a quo manus ipsis sunt impositæ. 4. denique, quia dicuntur baptizati in nomine Domini Jesu: at non Joannes, sed Apostoli ita baptizabant.

Re-

Respondent 3. baptizatos a Joanne ideo rursus baptizatos esse Baptismo Christi, tum quia ejus urgebat obligatio, tum quia copiosiorem conferebat gratiam.

Refellitur 1. Quia lex Baptismi eos tantum in mente adversariorum obstringebat, qui vero Christi Baptismo tincti non fuerant: at, juxta adversarios, Baptismus a Joanne ministratus, erat Baptismus Christi; quomodo igitur a Joanne baptizatos lex Baptismi Christi rursus obstrinxisset? 2. Quia gratis fingitur Baptismum Joannis contulisse ex se interiorem gratiam & animæ mundationem, atque Christi Baptismum necessarium dumtaxat fuisse ad copiosiorem percipiendam gratiam Spiritus Sancti; ad illam enim assequendam non Baptismus Christi, sed manus impositio necessaria tantum fuisset. 3. Quia explicanda non est Scriptura ad sensum & arbitrium cujuscumque, sed juxta communem SS. Patrum sententiam: at illi communi suffragio docet Baptismum Joannis gratia interiori vacuum fuisse, ut mox ostendemus. Unde S. Augustinus L. 5. de Baptismo c. 9. *Baptizatos*, inquit, *a Paulo eos, qui jam Baptismo Joannis baptizati fuissent, legimus in Actis Apostolorum, non ob aliud nisi quia Baptismus Joannis non fuerit Baptismus Christi.* Et c. 10. *Quæro*, inquit, *si Baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit Baptismus Christi iis, quos Apostolus Paulus post Baptismum Joannis Christi Baptismo voluit baptizari.* *Tom. 9. p. 146. G.* *Ibid. p. 148. A.*

Respondent denique, mirum non esse si jusserit Paulus baptizari Ephesios illos, cum baptizati non fuissent vero ac legitimo Joannis Baptismo, sed a discipulis dumtaxat Joannis violato ritu legitimo ac præscripto, fuerant baptizati. Rem autem ita se habere probant.

Ex S. Ambrosio L. 1. de Spiritu Sancto c. 3. ubi negat vere baptizatos fuisse Baptismo Joannis duodecim illos discipulos, quos Act. 19. jussit Paulus baptizari. *T. 2. p. 608.*

Ex Optato Milevitano L. 5. adversus Parmenianum, ubi distinguit Baptismum Joannis ante & post Resurrectionem Christi, ac docet Joannis Baptismum ante Christi Resurrectionem plenum fuisse & perfectum, nec iteratum, sed post Resurrectionem ac promulgatam Baptismi legem, imperfectum fuisse, & iteratum, atque isto dumtaxat tinctos fuisse Ephesios illos, quos jussit Paulus baptizari in nomine Domini Jesu. *Ed. nov. 1700. p. 84. & 85. n. 5.*

Ex Eulogio Alexandrino Lib. 2. adversus Novatianos apud Photium Bibliothecæ Codice 280. ubi disertis, & expressis verbis docet eos, qui leguntur baptizati Act. 19. non a Joanne, sed ab ejus dumtaxat discipulis baptizatos fuisse, violata traditione, & ritu baptizandi præscripto; alios vero, qui legitimo Joannis Baptismo tincti fuerant, non baptizatos fuisse. *P. 1602.*

Refellitur responsio: Quia Act. 19. de Baptismo ab ipso Joanne ministrato loquitur S. Paulus, non de alio: *Joannes*, inquit v. 4. *baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum*: Ergo Ephesii, quos jussit iterum baptizari, vero Joannis Baptismo tincti fuerant.

Ad S. Ambrosium, dissimulare non possumus Sanctum Doctorem in ea fuisse opinione, ac distinxisse Baptismum Joannis ab eo, quem ejus discipuli ministrabant.

Ad Optatum, contendit ille solum Apostolos rebaptizasse eos, qui Joannis Baptismo tincti fuerant post Christi Resurrectionem, non alios, qui antea fuerant baptizati; quia nempe lex Baptismi Christi obligavit post Re-

surrectionem, non vero antea. In illius igitur Auctoris sententia, Baptismus Joannis ante Resurrectionem Christi collatus, ratus fuit, nec iteratus; hoc enim unum habebat ex hoc exemplo adversus Parmenianum demonstrandum, Baptismum scilicet, qui in usu est, ac probatus, non esse iterandum: inde vero concludi non potest, parem visum fuisse Optato natura, & efficacia Baptismum Christi, & Joannis; imo contrarium plane infertur, cum doceat rebaptizatum esse post Joannem, non vero post Christum, saltem postquam lex Baptismi Christi vigere cœpit.

Ad Eulogium Alexandrinum, non est, quod curemus benigna interpretatione eum ad nos adducere, qui totus reluctatur; sed ut optime observat Photius post adductum ex Libro ipsius secundo fragmentum: *Sic existimavit Eulogius, cum complurimi Patres ostendant Joannis Baptisma fuisse imperfectum.* Cum igitur ille ceteros Patres deseruerit, a nobis deserendus quoque est.

P. 1603. n. 10.

Probatur 2. Conclusio ex constanti SS. Patrum utriusque Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ Traditione. Nonnulla indicasse testimonia nobis sufficiet, cum Veteres sibi contrarios esse hac in parte non dissimulet Calvinus L. 4. Instit. c. 15. n. 7. quos more suo proterve & inverecunde

P. 483. judicat esse non audiendos.

Ex Græcis itaque

Tom. 2. p. 192. H. Origenes in Jo: T. 8. ait: *Qui in Actis baptizati erant in Joannis Baptismo, & neque an Spiritus Sanctus esset, audierant, denuo ab Apostolo baptizantur, quia regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos suos fiebat.*

P. 190. S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 3. probat tantum differre Baptismum Joannis a Baptismo Christi, quantum ipse Joannes Christo fuit inferior.

To. 2. p. 114. B. S. Basilius Magnus Exhortatione ad Baptismum: *Joannes*, inquit, *prædicabat Baptisma pœnitentiæ, ad idque egrediebatur Judæa tota: prædicat Dominus Baptisma adoptionis; ecquis eorum, qui in ipso spem repositere, morem non geret? Baptisma illud vim habebat introducendi: hoc, perficiendi. Illud erat secessus a peccato: hoc conjunctio est cum Deo.*

Tom. 1. p. 634. Ibid. C. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 39. de triplici Baptismo Moysis, Joannis, & Christi loquens, docet primum fuisse tantum per figuram; secundum, verum & non judaico more: *Non enim in aqua solum*, inquit, *sed etiam ad pœnitentiam; nondum tamen prorsus spiritualiter: nec enim additur in Spiritu.* Tertium, *perfectum, numerisque omnibus absolutum.*

S. Chrysostomus Hom. 11. in Matth. ait nihil aliud habuisse Joannis Baptismum, quam ut Judæos ad pœnitentiam adduceret.

S. Cyrillus Alexandrinus Commentario in Joann. ait, Evangelistam, cum prævideret futuros esse, qui nullum statuerent discrimen inter Baptismum Christi, & Joannis, expressis verbis discrimen illud exposuisse.

Ex Latinis

Tertullianus L. de Baptismo c. 10. data opera de Baptismo Joannis disserit, aitque *eum mandatum quidem divinum fuisse, sed humanum conditione & potestate. Nihil cæleste postulabat, sed cælestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus.*

P. 228. A.

S. Hilarius in Matth. c. 2. docet opus Legis inefficax fuisse ad salutem; Baptismum Joannis ad solam pœnitentiam provocasse; Baptismum vero Christi peccatorum remissionem largiri.

P. 616. B.

S. Am-

S. Ambrosius ad caput 3. S. Lucæ: *Non aqua omnis*, inquit, *ablutio est, sed hæc inter se divisa esse non possunt; & ideo aliud fuit Baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est.* Tom. 1. p. 1307. D.

Optatus L. 5. contra Parmenianum, probat alterum fuisse Christi Baptismum, & alterum Joannis, quia rebaptizatum est post Joannem, non vero post Christum. Exemplum istud iterati Baptismatis a Joanne collati, post S. Cyprianum Epistola 73. opponebant Donatistæ, ut ostenderent semel baptizatos posse iterum baptizari; cui argumento non aliter occurrunt SS. Ecclesiæ Patres, Hieronymus, Optatus, Augustinus, quam ostendendo latum fuisse discrimen inter utrumque Christi, ac Joannis Baptismum; atque rebaptizatum quidem fuisse post Joannem, quia imperfectus erat & interiori gratia vacuus ejus Baptismus, seu quia Baptismus, quem ministrabat, non erat Christi; e contra nusquam rebaptizatum esse post Christum, ejusque Baptismum verbis Evangelicis consecratum, quia verus ille est, ac perfectus Baptismus. P. 84. & 85. n. 5.

S. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos: *Joannes*, inquit, *Spiritum Sanctum non dedit quem Cornelius Centurio, antequam baptizaretur, accepit? Responde quæso; cur non dederit? ignoras? Audi quid Scripturæ doceant: Joannis Baptisma non tam peccata dimisit, quam Baptisma pœnitentiæ fuit in peccatorum remissionem, id est, futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.* Tom. 4. part. 2. f. 293.

S. denique Augustinus pluribus in locis idem docet, ut in Enchiridio ad Laurentium c. 49. Tract. 5. in Joan. Lib. 5. contra Donatistas cap. 9. & 10. L. 2. contra Litteras Petiliani cap. 22. 24. 36. & 37.

Hac expensa constanti Ecclesiæ traditione, merito Concil. Trid. Sess. 7. Can. 1. de Baptismo: ita definit: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.* Tom. 14. Conc. p. 777. A.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Scriptura eamdem materiam & formam, eumdem auctorem ac effectum assignat Baptismi Joannis, & Christi. De materia nulla dubitandi ratio esse potest; uterque enim Baptismus in aqua perficiebatur: de forma autem constat ex c. 19. v. 4. Actorum, ubi Joannes dicitur baptizasse *in nomine venturi*, quod idem est, ac in nomine Christi. De auctore patet, quia Matth. 21. v. 25. dicitur esse de Cælo. Denique effectus Baptismi Joannes fuit remissio peccatorum, Marci 1. v. 4. & Lucæ 3. v. 3. *Et venit* (Joannes) *in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; quod certe consonat Baptismo Christi, de quo dicitur Act. 2. v. 38. *baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum*: ergo Baptismus Joannis ejusdem fuit naturæ, & efficaciæ cum Baptismo Christi.

Resp. nego maj. Excepta enim sola materia, quam in utroque Baptismo eamdem fuisse concedimus; fuisse eamdem formam, aut eumdem auctorem vel effectum pernegamus. De forma & auctore jam inter probationes Conclusionis dictum est: remissio vero peccatorum non Baptismo Joannis, sed pœnitentiæ, ad quam excitabat, tribuitur: seu, ut ait S. Augustinus L. 5. contra Donatistas c. 10. Joannes baptizabat in remissionem peccatorum *in*

ſpe, hoc eſt, obtinendam per Chriſtum, ratione pœnitentiæ, ad quam
Tom. 9. p. 148. B. Baptiſmus Joannis promovebat. Hinc eſt, quod Baptiſmus Chriſti nuſquam appelletur ſicut Baptiſmus Joannis pœnitentiæ, ſed regenerationis ſeu renovationis. Quid ita? quia pœnitentia alio modo ſe habuit in Baptiſmo Joannis, & alio in Baptiſmo Chriſti: hunc præcedit tamquam diſpoſitio, illum vero ſequitur tamquam ejus unicus effectus.

Objcies 2. aliqua SS. Patrum teſtimonia.

P. 125. C. Tertullianus Lib. de Baptiſmo cap. 4. *Nec*, inquit, *quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

To. 2. p. 632. E. S. Baſilius L. 1. de Baptiſmo, *Joannis Baptiſma*, inquit, *multimodis excelluit. Nam peccata nullo modo diſcernebat .... Quin etiam ſine ulla prorſus dilatione ſimul atque ad gratiam Dei & Chriſti ejus aliquis acceſſerat, quantacumque & qualiacumque peccata confeſſus fuiſſet, & baptizabatur in Jordane fluvio, & ſtatim veniam conſequebatur peccatorum.*

P. 233. S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi myſtagogica 2. *Per Baptiſmum Joannis*, inquit, *dabatur remiſſio peccatorum, per Baptiſmum Chriſti, adoptio filiorum.*

P. 85. Optatus L. 5. contra Parmenianum, ſcribit baptizatos Baptiſmo Joannis per violentiam: baptizatos vero Baptiſmo Chriſti per Legem intraſſe in Regnum Cælorum.

S. Aug. L. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 10. *Ne quiſquam*, in-
Tom. 9. p. 148. C. quit, *contendat etiam in Baptiſmo Joannis dimiſſa eſſe peccata; ſed aliquam ampliorem ſanctificationem eis, quos juſſit Paulus Apoſtolus denuo baptizari per Baptiſmum Chriſti eſſe collatam, non ago pugnaciter.*

Ed. Bonon. 1643. P. 335. S. Petrus Chryſologus Sermone 137. *Erat*, inquit, *penes Joannem venia, ſed non ſine pœnitentia .... Erat Baptiſma quod culpam tolleret, conſcientiam non deleret.*

P. 125. C. Reſp. ad ſingula teſtimonia.

Ad Tertullianum: Comparat ille Baptiſmum Joannis & Chriſti, ratione materiæ, quæ eadem fuit, non vero ratione effectus. *Nulla diſtinctio eſt*, inquit, *mari quis aut ſtagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur.*

Ad S. Baſilium: extollit ibi S. Doctor Baptiſmum Joannis ſupra Baptiſmum Moſis, non vero æquiparat Baptiſmo Chriſti. In eo vero ſuperabat Baptiſmus Joannis Baptiſmum Moſis, quod hic umbra tantum foret, ſeu typus & imago Baptiſmatis, in quo nullum erat pœnitentiæ ſignum, nulla peccatorum confeſſio, nullum melioris vitæ propoſitum, ſicut in Baptiſmo Joannis, ad quem accedentes ſua confitebantur peccata, quorum remiſſionem ſtatim obtinebant, non virtute ipſius Baptiſmi, ſed pœni-
To. 2. p. 633. A. tentiæ adjunctæ, ad quam excitabat Joannes. Promiſit enim Deus in quacumque die pœnitentiam egerit peccator, ſe illius iniquitatum non recordaturum, Ezechielis 18. v. 21. Baptiſmum autem Joannis tantum a Baptiſmo Chriſti diſtare ait S. Baſilius loco citato: *quantum Sol ſtellis antecellit.*

Ad S. Cyrillum, Optatum, & alios, eadem eſt reſponſio: nempe Baptiſmum Joannis peccatorum remiſſionem dediſſe, non propria virtute & efficacia, ſed ratione pœnitentiæ adjunctæ.

Idem reſpondendum ad S. Auguſtinum.

P. 335. Ad S. Chryſologum, dico eum citato loco noſtræ potius favere, quam adver-

adversari Conclusioni. *Per Baptismum enim Joannis*, inquit, *purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam.*

Objicies 3. Si Baptismus Joannis gratiam & peccatorum remissionem non dedit, quare Apostoli eo solum Baptismo tincti, non fuerunt Christi Baptismo denuo baptizati?

Resp. 1. S. Aug. L. 3. de anima, & ejus origine c. 9. colligere ex istis Christi verbis Joann. 13. v. 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, Apostolos Baptismo Christi fuisse initiatos. T. 10. p. 379.

Resp. 2. quod etsi constaret Apostolos non fuisse Baptismo Christi baptizatos, non inde bene inferretur per Joannis Baptismum eos gratiam Spiritus Sancti assecutos fuisse. Cum enim Christus Sacramenta instituit, suam virtutem illis non ita alligavit, quin absque eorum ministerio gratiam, cum voluerit, conferre possit, adeoque Apostolis suis sine suo Baptismo regenerationis & renovationis gratiam immediate conferre potuit. An reipsa ita fecerit, nihil habemus in Scripturis expressum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De necessitate Baptismi.

SUmmi momenti est præsens controversia, in qua accurate pertractanda paullo diutius immorari nos adigit Socinianorum temeritas & pervicacia.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. duplicem vulgo distingui a Theologis necessitatem, unam medii, alteram præcepti.

I. Illud necessarium dicitur necessitate medii, sine quo vel ejus voto seu desiderio finis obtineri non potest: hoc modo Baptismus & Pœnitentia Sacramenta sunt necessaria necessitate medii ad salutem. Ratio a priori est, quia ejusmodi Sacramenta ex institutione Christi eum continent & conferunt gratiæ spiritualis effectum, qui per se ita necessarius est, ut sine illo nemo possit esse salvus: ita nemo potest salvus esse sine gratia, vel regenerante in Baptismo, vel reparante in Pœnitentia. Unde in rebus hujuscemodi, nec ignorantia, nec impotentia excusat; & quamquam reus non sit violati præcepti, qui Baptismi legem aut invincibiliter ignorat, vel ipsi obsequi non potest; gratiam tamen illi annexam non percipit, (nisi in casu martyrii, ac perfectæ contritionis) & tum negative, ut ajunt, propter gratiæ illius defectum; tum positive, propter peccatum sive originale sive actuale non dimissum, æternæ damnationi ille obnoxius est.

Quæ porro necessaria sunt necessitate medii, ea quoque ex se necessaria sunt necessitate præcepti, quia tenetur unusquisque adhibere omnia necessaria ad salutem assequendam: non tamen suam habent necessitatem ex præcepto, nisi, ut dicitur, præsuppositive; imo potius necessitate quam habent ex propria sua conditione, fit, ut sint quoque ex præcepto necessaria.

II. Illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod sine peccato non potest omitti; atque in ejusmodi rebus excusat vel ignorantia vel impotentia. Revera observatio præcepti necessaria fit necessitate medii respectu illius, qui capax est præcepti, illudque observare tenetur; sed, ut ait Vasquez in 3. par. q. 73. art. 3. c. 1. & 3. talis observatio præceptorum negative tantum

necessaria est ad salutem, ne scilicet propter transgressionem præcepti aliquod ponatur saluti impedimentum: e contra quod est necessarium necessitate medii, positive confert ad salutem, quia nempe continet gratiam per se necessariam ad salutem. Unde necessitas medii & præcepti non tam ex modo loquendi Scripturæ dignosci potest, quam ex subjecta materia, si nempe res proposita talis sit quæ conferat gratiæ effectum per se & absolute necessarium: eodem quippe modo Scriptura exprimit & necessitatem medii, v. g. in pœnitentia his verbis: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; & necessitatem præcepti in Eucharistia: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Luc. 13. 5. Joan. 6. 34.

Observandum 2. inter ea quæ necessaria sunt necessitate medii, alia esse interna salutis media, qualis est gratia sanctificans; alia vero externa, qualis est v.g. ablutio exterior in Baptismo; inter quæ istud discriminis occurrit, quod sine medio interno, actu & re percepto, impossibile sit obtinere vitam æternam: ita sine sanctificante gratia nullus unquam salvus esse potest. At vero sine medio externo, nempe Sacramento, potest quis salvus fieri, nempe per fidem charitate perfecta formatam, quæ justificat ante realem & actualem Sacramenti perceptionem, cum solo ejus voto sive explicito sive implicito saltem, quod in perfecta charitate semper includitur. Ratio est, quia medium externum ex Christi institutione ordinatur ad conferendam internam sanctificantem gratiam: Cum autem divina virtus non sit exterioribus signis necessario alligata, atque possit gratia sanctificans per contritionem perfectam obtineri, hinc est, quod externum illud medium aliquibus in casibus suppleri possit per votum seu desiderium ipsius. Sic suppletur Baptismus per martyrium & contritionem perfectam.

Observandum 3. votum rei alicujus necessariæ nihil aliud esse, quam desiderium illius obtinendæ. Duplex autem distinguitur: unum explicitum & proprium, quod ex rei cognitione nascitur; alterum vero implicitum & generale, quod tendit ad rem, quatenus est a Christo præscripta, quod votum seu desiderium adimplendi omnia Christi præcepta, semper includitur in charitate perfecta a qua sejungi non potest, atque semper necessarium est necessitate medii. Fieri quippe non potest, ut quis salvus fiat, nisi implicite saltem habeat voluntatem servandi quæcumque sunt a Christo præscripta; hoc est, nisi ita sit animo affectus & præparatus, ut illa omnia velit observare, cum ea cognoscet, & adimplendi facultas dabitur. Nonnihil autem discriminis est inter ista duo, nempe votum rei alicujus esse necessarium, & rem ipsam necessariam esse in voto. Prius enim significat, voluntatem observandi rem præceptam esse necessariam, quod verum est; posterius, rem præceptam tantæ necessitatis esse ad salutem, ut si non reipsa, saltem voto debeat haberi; quod non semper verum est; præsertim in rebus, quæ ex præcepto dumtaxat sunt necessariæ.

Observandum 4. necessitatem Baptismi attendi posse vel respectu adultorum, vel respectu infantium: isti autem vel sunt filii Fidelium Christianorum, vel Infidelium.

Observandum denique, inter Hæreticos alios esse, qui impugnant necessitatem medii Baptismi, alios vero necessitatem præcepti, ut mox constabit.

Duo itaque duobus sequentibus Articulis sunt nobis inquirenda.

In primo, utrum Baptismus in re vel in voto sit necessarius adultis necessitate medii & præcepti; infantibus vero necessitate medii.

In secundo, utrum Baptismus suppleri possit per votum illius, per contritionem perfectam & martyrium, & quomodo.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Baptismus necessarius sit in re vel in voto adultis, necessitate medii & præcepti; infantibus vero necessitate medii.

ERRORES.

CUm per Baptismum Religioni Christianæ nomen demus, adoptemur in filios Dei, & æternæ salutis capaces efficiamur, mirum esse non debet, quod antiquus salutis nostræ æmulus dæmon tot adversus illius Sacramenti necessitatem, ac virtutem hostes inter veteres & novos Hæreticos suscitaverit.

Ex veteribus, secundo sæculo Cajani & Quintiliani a Quintilia femina sic dicti, negarunt Baptismi necessitatem, rati fidem sufficere ad salutem. Ita Tertull. L. de Baptismo c. 1. An. 180.

Tertio sæculo, Manichæi, teste S. Augustino hæresi 46. Baptismum in aqua nihil cuipiam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant. Ratio aperta est, quia illi aquam, ut & ceteras res corporeas a diabolo creatas esse contenderent. An. 200.

Quarto sæculo, Ascodrutæ, ut loquitur Theodoretus L. 1. hæretic. fabularum c. 10. dicunt non debere divina mysteria, quæ invisibilium sunt signa, per res visibiles perfici. Propterea nec baptizant eos, qui accedunt, nec apud eos celebratur baptismatis mysterium. An. 350.

Eodem sæculo, Seleuciani & Hermiani, teste S. Augustino hæresi 59. Baptismum in aqua rejecerunt. An. 370.

Eodem sæculo, Massaliani (quod nomen ex lingua Syra ductum esse, & significare orantes, unde græce dicti sunt εὐχῖται, observat S. Aug. hæresi 57.) docebant, nullam ex Baptismo & Eucharistia percipi utilitatem, sed perpetua oratione peccatum tolli radicitus. Ita Theodoretus Lib. 4. hæret. fabul. Epiphanius hæresi 80. Joannes Damascenus L. de hæresibus. An. 380.

Eodem sæculo, Archontici Baptismum damnarunt, inquit S. Epiphanius hæresi 40. tametsi inter eos sint, qui Baptismo initiati antea fuerint. Ita Theodoretus L. 1. hæretic. fabul. c. 11. An. 350.

Quinto sæculo cum Pelagiani negantes originale peccatum ab Augustino premerentur argumento ducto ex necessitate Baptismi, coacti sunt negare Baptismum necessarium esse ad delendum originale peccatum. Urgente vero S. Doctore ista verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Cælorum*, quibus constat, vel infantes non baptizatos a Regno Cælorum arceri non debere, utpote innocentes, quos tamen arcebant Pelagiani; vel eos labe originali infectos esse, ad quam diluendam opus haberent renasci per Baptismum, eo illi adducti fuere, ut distinguerent inter Regnum Cælorum & vitam æternam; ac infantes quidem propter defectum Baptismi a Regno Cælorum excluderent, vita tamen æterna donarent, quia innocentes sunt nulla originis labe maculati.

Initio ejusdem sæculi Vincentius Victor dixit: *aliquos eorum qui sine Ba-*

p tismo

T. 10. p. 382. D. E. *ptiſmo Chriſti ex hac vita migraverint, interim non ire in regnum Cælorum; ſed in Paradiſum; poſtea vero in reſurrectione mortuorum etiam ad regni Cælorum beatitudinem admittendos fore.* Ita S. Auguſtinus Lib. 3. de origine animæ cap. 1.

Ex recentioribus Hæreticis, qui ſæculo decimo quinto Eccleſiam infeſtarunt, Joannes Vviclef, teſte Thoma Valdenſi Tom. 2. de Sacramentis c. 96. docuit Baptiſmum neceſsarium non eſse. Ita conſtat ex Seſs. 15. Conc. Conſtantienſis. Idem aſseruit Zuinglius L. de vera & falſa Religione c. de Baptiſmo, ubi oſtendit Baptiſma merum eſse externum ſymbolum nullius ad ſalutem præſidii.

Martinus Bucerus in c. 3. Matthæi idem quoque aſseruit, ſed alio fundamento nixus, nempe: *quia pueri prædeſtinati etiam ſine Baptiſmo ſalvantur, non prædeſtinati etiam cum Baptiſmo damnantur.*

Calvinus L. 4. Inſtitutionis, neceſsarium quidem eſse ex præcepto non inficiatur Baptiſmum; ſed ad delendum originale peccatum omnibus ſive adultis ſive parvulis eſse neceſsarium, totis viribus repugnat. Cap. 15. n. 10. ſic loquitur: P. 484. *Jam perſpicuum eſt, quam falſum ſit quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii perſiſtunt, per Baptiſmum ſolvi nos & eximi ab originali peccato, & a corruptione quæ ab Adam in univerſam poſteritatem propagata eſt.* Et n. 22. expreſse ait, P. 488. *non arceri a regno Cælorum infantes, quos e præſenti vita migrare continget, antequam aqua mergi datum fuerit. Atqui jam viſum eſt fieri non levem injuriam Dei fœderi, niſi in eo acquieſcimus, ac ſi per ſe infirmum eſſet, cum ejus effectus neque a Baptiſmo, neque ab ullis acceſſionibus pendeat. Accedit poſtea Sacramentum ſigilli inſtar, non quod efficaciam Dei promiſſioni, quaſi per ſe invalidæ, conferat, ſed eam dumtaxat nobis confirmet. Unde ſequitur, non ideo baptizari Fidelium liberos ut filii Dei tunc primum fiant qui ante alieni fuerint ab Eccleſia; ſed ſollemni potius ſigno ideo recipi in Eccleſiam, quia promiſſionis beneficio jam ante ad Chriſti Corpus pertinebant. Proinde ſi in omittendo ſigno nec ſocordia eſt, nec contemptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo ſumus.* Ita Calvinus, quibus ſignificat parvulos ſine Baptiſmo excedentes ex hac vita, ſalvos eſſe propter fœdus quod Chriſtus cum Chriſtianis pepigit; virtute cujus illos ſanctos eſse, nec ipſis labem originalem a Deo imputari contendit; & ita Baptiſmum neceſsarium ipſis non eſse ut ſolvantur a labe originali, ſed tantum ut obſignet divinam promiſſionem. Adultis quoque minime ad ſalutem neceſsarium eſse docet, quos ait fide juſtificari; & per Baptiſmum tantum obſignari, confirmari, & nutriri hanc fidem: P. 485. *Quatenus*, inquit ibid. n. 14. *erigendæ, alendæ, confirmandæque fidei noſtræ datur, ſumendus eſt.*

E ſinu Calviniſtarum orti Sociniani iiſdemque cum ipſis placitis innutriti ac imbuti, multo tamen longius progreſſi ſunt audacia & temeritate in oppugnandis fidei Chriſtianæ myſteriis, ſeu, ut melius dicam, eo uſque prorupit effrenis eorum licentia, quo proclivi, ac facili lapſu ducunt Calviniſtarum documenta: nempe ubi ſemel neglecta Eccleſiæ, ac Traditionis auctoritate, ſuum unicuique permittitur in exponenda Scriptura judicium, nulla amplius certa lege, ac regula contineri poteſt humanum ingenium, ſed pro innata libertate quiſque liberius genio ſuo indulgens, novos Scripturæ ſenſus, nova dogmata, novamque excogitat, & ſequitur Religionem, quod certe triſti & infelici eventu contigiſse videmus in Sociniani-

nis,

nis, cum aliis in mysteriis, tum in eo de quo hic disputamus Baptismi Sacramento. A Calviniſtis hauſere illi quidem, Baptiſmum neceſſitate medii non eſse neceſsarium ad delendum peccatum originale, neque in adultis neque in parvulis; ſed ab iiſdem edocti Eccleſiæ & Traditionis vocem ſpernere, ac ſuum dumtaxat privatum conſulere judicium, nullo retenti fræno auctoritatis, longius proceſserunt, ac negarunt.

I. Chriſtum Apoſtolis dediſse baptizandi præceptum: verba quippe Chriſti Matth. 28. *Euntes docete, baptizantes &c.* interpretantur non de aquæ Baptiſmo, ſed de ſola inſtitutione ſeu doctrina. Ajunt tamen poſt Volkelium L. 6. de vera Religione c. 14. *Apoſtolos etſi non juſſos ritum baptizandi convenienter uſurpaſſe, tum quia populus Judæus cæremoniis valde delectabatur, utpote in illis quaſi enutritus & educatus; tum quia Baptiſmi cæremonia a magni nominis magnæque auctoritatis viro, nempe Joanne, jam antea introducta, magnoque applauſu ab omnibus recepta fuerat: tum denique quia aptiſſima erat ad adumbrandum Chriſtianorum officium, ac ſtatum; unde conveniens fuit viros hujus ætatis per Baptiſmi cæremoniam Chriſtianæ Religioni adſcribi.* Ita Volkelius.

II. Negarunt baptizandi præceptum datum a Chriſto Matth. 28. (ſi tamen præceptum eſt) univerſale fuiſse, ab omnibus in perpetuum obſervandum; ſed certis dumtaxat perſonis pro certo quodam tempore addictum fuiſse, nempe illis qui Eccleſiæ initio a Paganiſmo vel Judaiſmo convertebantur ad Chriſtum; ceteris vero qui vel e Chriſtianis naſcuntur, vel in chriſtiana fide ſunt educati, minime neceſsarium eſse contendunt, cum Baptiſmus ſit res libera & indifferens, quæ ſine ſalutis diſpendio obſervari poſſit vel omitti: unde non negant poſse aliquem baptizari, ſi ita velit; modo fiat, inquiunt, ſine ſcandalo, abſque ulla impoſita neceſſitatis lege, & perſuaſione talem ritum eſse ad ſalutem neceſsarium. Ita Socinus Diſputatione de Baptiſmo Tom. 1. Operum ipſius pag. 710. Oſtorodius Inſtitutionum Germanicarum cap. 9. Volkelius Lib. 6. de vera Religione c. 14. quod integrum eſt de præſenti argumento.

III. Docent Baptiſmum eſse merum ritum externum, ac publicum dumtaxat profeſſionis chriſtianæ ſymbolum, omni interiori gratia vacuum, ac plane deſtitutum: unde in Catecheſi majore Racovienſi, non alia profertur Baptiſmi definitio, quam *quod ſit ritus exterior, quo homines vel e Judaiſmo, vel e Gentiliſmo ad Religionem Chriſtianam accedentes manifeſte profitentur ſe Chriſtum pro ſuo Domino agnoſcere.* E Scriptis Socini Catecheſim illam compegit Smalcius, & typis evulgavit Racoviæ an. 1606.

Ad Socinianos ex parte accedere videtur Epiſcopius Sectæ Arminianorum ſeu Remonſtrantium defenſor præcipuus. Reſpondens enim ad quæſtiones ſexaginta quatuor theologicas ſibi a diſcipulis propoſitas, To. 1. Operum, ad 37. docet 1. apud S. Matth. c. 28. ſermonem eſse de vero aque Baptiſmo. 2. Si Baptiſmus nihil aliud ſit quam teſſera, nota, vel ſigillum chriſtianæ profeſsionis, præceptum ejus ad eos dumtaxat pertinere, qui chriſtianam profitentur Religionem. 3. Si Baptiſmus ſit (ut ipſe putat) ſigillum ſeu obſignatio remiſsionis peccatorum antea commiſſorum, ejus præceptum eos primario adſtringere, qui a Paganiſmo ad Chriſtum convertuntur; ſecundario vero eos, qui in Religione chriſtiana nati, multis tamen ſe peccatis obſtrinxere. 4. Si qui ſint, qui vitam ab omni ſcelere immunem & puram duxerint (quod rarum) eos Baptiſmi

lege

lege non teneri; non est enim opus medico bene habentibus. Ex quō non obscure colligitur, in mente hujus Auctoris Baptismum necessarium non esse *medii*, ut dicitur, necessitate ad salutem.

Lutherani & Calviniſtæ quibus noſtri ſemper exprobravere, quod ſua ab Eccleſia defectione Socinianæ impietati locum & ortum dediſſent, nec peſtem hanc ulla arte (ſi ſuis placitis ſtarent) expugnare poſſent, nihil non tentarunt, ut multis editis ex profeſſo Operibus, fidei noſtræ capita, Trinitatis in primis & Incarnationis, quæ nobiſcum habent communia, contra illos defenderent, ac probarent; ſed eventu, ut plurimum, infelici, uti oſtendimus paſſim, quando ſe dedit occaſio. Nihil enim juris ſibi aſſumere poſſunt Lutherani & Calviniſtæ in Scripturis ad privatum ſuum ſenſum detorquendis, quod idem ſibi non arrogent Sociniani; nec ullus inter eos judex erit, qui litem inter illos dirimat. Quis enim eſſet; Scriptura? at de ejus ſenſu controvertitur, & quiſque eam ad partes ſuas trahere conatur. An ratio? ſed omnes in ſenſu ſuo abundant. An Eccleſia & Traditio? recte quidem: at illi vocem ejus, ac judicium rejiciunt; atque ut a propoſito argumento non diſcedamus, dicant nobis Calviniſtæ quo jure verba iſthæc Chriſti Joannis 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Cælorum*, detorqueant ad ſenſum metaphoricum, neque de vero aquæ Baptiſmo intelligant; Socinianos vero qui hæc pariter Chriſti verba Matth. 28. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, interpretantur non de Baptiſmo aquæ, ſed inſtructionis & doctrinæ, rejiciant ac confutent? Dicant pariter, quo argumento ex una Scriptura adverſus eoſdem evincere poſſunt, inter baptizandum appellandos eſſe ſeu invocandos Patrem Filium & Spiritum Sanctum, atque ſenſum verborum Chriſti Matth. 28. non eſſe iſtum: *Docete, baptizate, in fide Patris & Filii & Spiritus Sancti*? Certe abſque Traditionis auxilio nuſquam id evincere poterunt: adeo verum eſt Calviniſtas excuſo ſemel Eccleſiæ & auctoritatis legitimæ jugo, vel invitos Socinianis arma ſubminiſtrare, nec ab eorum manibus ſeſe expedire poſſe.

Præter illos errores, nonnulli e noſtris Scholaſticis ſingulares aliquas opiniones amplexi ſunt.

Scholaſticorum aliquorum opiniones.

Cajetanus 3. p. ad art. 2. & 11. q. 68. docuit parvulos Fidelium Chriſtianorum, quibus per Baptiſmum ſubveniri non poteſt, non tantum ex privilegio Dei ſingulari, ſed ex lege Dei communi & ordinaria ſalvari poſſe votis & orationibus parentum, maxime ſi exterius aliquod adhibeant ſignum, quo generale votum parvulis applicare ſe teſtentur. Hæc opinio non modo temeraria, ſed etiam fidei tam parum conſona viſa eſt S. Pio V. Summo Pontifici, ut juſſerit in editione Romana altera expungi Commentarium hujuſce ſecundi & undecimi articuli.

AD-

ADDITIO.

(*)

NOn eam tamen primus Cajetanus invexit, sed, ut videtur, Hincmarus Rhemensis sub an. 871. qui illam quoque in libello expostulationis adversus Hincmarum Laudunensem Duziacensi Synodo exhibito expressit; ibi scilicet cap. 28. ex Valentiniani Imperatoris exemplo, quod Ambrosius inducit, & Latronis, quod Augustinus commemorat; arguit ipse parvulos quoque voto ac fide parentum, aut patronorum adipisci salutem.

Referri huc possunt opiniones, quæ Æthiopibus, Ægyptiisque tribuuntur. Damianus Goez communem Æthiopum existimationem fuisse ait, Eucharistiam, quæ matribus uterum gerentibus præbetur, ad sanctificationem fœtum prodesse. Vanslebius, & Thomas a Jesu memorant, ex Ægyptiorum sententia in infantibus morte occupatis Baptismum unctionibus, psalmodiis, sacrificiis suppleri.

(*)

Quidem alii censuere, lege quidem ordinaria, parvulos etiam Fidelium sine Baptismo non salvari; verumtamen Deum pro sua summa clementia vel exaudire parentum vota pro salute infantium, adeoque eos hortandos ut pro illis apud Deum intercedant; vel Deum supplere defectus essentiales Baptismi, si qui sint ex parte materiæ vel formæ, vel intentionis ministri. Ita Gerson Sermone de Nativitate B. Virginis Consideratione 2. Gabriel in 4. dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 2. Altissiodorensis in Summa L. 3. Tract. 3. q. 2. art. 4. S. Bonaventura in 4. dist. 3. 1. p. dist. q. 2. art. 2. ad 2. Durandus in 4. dist. 6. q. 2. n. 12. & alii qui salutem hanc infantium probabiliter ex divina misericordia præsumunt, non tamen velut rem certam & indubitatam admittunt.

Sunt qui infantibus sine Baptismo ex hac vita migrantibus felicitatem quamdam temporalem, & naturalem veluti quemdam paradisum assignent, ut Pighius & Catharinus apud Bellarminum Tom. 4. L. 6. c. 2. & nostra hæc ætate non ita pridem Eminentissimus Cardinalis Sfondratus in Libro cui titulus: *Nodus prædestinationis dissolutus*, p. 1. paragr. 1. n. 13. docet *parvulos qui sine Baptismo decedunt, cælesti quidem Regno, quasi paternæ culpæ reos nec expiatos excludi; non tamen excludi naturalibus bonis, & a peccato præservari, æternoque supplicio, quo si adolescerent, puniendi essent; cum sola*, inquit, *præservatio a peccatis pluris valeat majorisque pretii sit, quam Regnum ipsum cæleste*. Idem repetit ibid. n. 23. Adversus doctrinam hanc graviter expostularunt duo Ecclesiæ nostræ Gallicanæ Archiepiscopi & tres Episcopi, data ad S. Pontificem beatæ memoriæ Innocentium XII. sollemni Epistola 7. Kalendas Martii anni 1697. quibus rescripsit Summus Pontifex die 6. Maji anni ejusdem: *se Librum Cardinalis Sfondrati & res ab ipsis adnotatas, insignium Theologorum discussioni commisisse, ut omnibus maturæ considerationis trutinam perpensis, quod justum esset, subinde decernere valeret*. Interim nullum, quod sciamus, a sancta Sede ad nos pervenit ea de re judicium. Sapienter quidem, ac graviter Bellarminus loco paullo ante notato observat, *misericordiam nostram parvulis jam defunctis nihil prodesse, e contra nihil obesse nostræ sententiæ severi-*

Archiep. Paris. & Rem. Episcop. Meld. Ateb. Amb.

veritatem. Multum autem, inquit, *nobis obest, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus; idcirco non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturæ, Conciliorum & Patrum sententiam consulere, & sequi debemus.*

His ita præmissis, dogma catholicum demonstrandum est, &, a vanis Socinianorum aliorumque Hæreticorum conatibus vindicandum.

CONCLUSIO.

Baptismus in re vel in voto necessarius est adultis necessitate medii & præcepti, parvulis necessitate medii ad salutem.

Duæ sunt partes Conclusionis.

Probatur prima pars de necessitate præcepti, ex Scripturis quæ a contortis Socinianorum expositionibus vindicantur.

Primum argumentum petitur ex c. 28. S. Matth. v. 19. ubi perspicuis verbis Christus Apostolis suis præceptum & formam baptizandi exponit: *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Socinus Disputatione de Baptismo scripta an. 1580. Cracoviæ c. 2. duo excipit adversus apertum istud testimonium: primum est, hic de vero aquæ Baptismo sermonem non esse, sed de doctrina & institutione, quæ sensu metaphorico Baptismus dicitur; alterum, dato & non concesso mandatum in aqua baptizandi a Christo hic dari, perpetuum illud non debere esse, neque ad omnes omnino homines extendendum. Utraque responsio paullo uberius & apertius evolvenda nobis est, ac confutanda, ut intelligat unusquisque, quam vanis & futilibus argumentis innitatur Sociniana temeritas.

Prima responsio Sociniana.

Prima itaque Socini responsio est, in Scripturis Baptismi nomen sæpius usurpari pro doctrina, atque eo ipso sensu sumi Matth. c. 28. v. 19. citato. Utrumque sic probat.

Primum quidem ex c. 18. v. 25. Actuum Apostolorum, ubi legimus Apollo Baptismum Joannis dumtaxat sciviſſe; & c. 19. v. 3. ubi discipuli Ephesii interrogati in quem baptizati essent, respondent se baptizatos esse Baptismo Joannis. At his in locis, ait Socinus, idem est Baptismus, ac doctrina: nihil enim, inquit, ibi ad rem faciebat, quod Apollo sciret aquæ Baptismum, quo utebatur Joannes, cum de doctrina præsertim ageretur. Pariter Baptismus, aut baptizare, significat nonnunquam initiationem, seu initiare. Ita S. Paulus priore ad Corinth. 10. v. 2. ait, *Hebræorum patres baptizatos fuisse in Moyse, in nube, & in mari*: id est, eos initiatos & quasi consecratos fuisse Deo per Moysen. Eadem est significatio Act. 29. v. 13. cum Paulus ait: *In quo ergo baptizati estis*, ideſt, initiati?

Refellitur.

Refellitur Socinus, quia confundit, quæ non sunt confundenda, & separat, quæ non sunt separanda. Confundit doctrinam cum aqua Baptismali; & Baptismum nude & simpliciter sumptum, pro doctrina usurpari perperam ille contendit: duo enim illa distingui debent, non confundi. In Baptismo enim Joannis, de quo mentio fit citatis in locis, duo erant; & doctrina, qua Joannes informabat baptizandos, & ritus ipse baptizandi in vera aqua; unum aliud includebat nempe Baptismus

doctri-

doctrinam; sed doctrina illa præcise non dicebatur Baptismus, seu intinctio vel immersio. Citata igitur ex Actibus Apostolorum loca Socinum jugulant, siquidem duo distincta continent, quæ ille perperam confundit. Unde sic arguere possumus: Eodem sensu verbum *baptizantes* sumi debet apud S. Matth. c. 28. v. 19. ac in Actibus Apostolorum c. 18. v. 25. & c. 19. v. 3. Atqui istis in locis non pro sola doctrina usurpatur, sed pro ipso vero in aqua baptizandi ritu; Joannes enim in vera aqua baptizavit. Ergo pariter apud S Matth. non sumitur pro sola doctrina seu instructione, sed pro ablutione seu immersione in aqua, includente & præsupponente doctrinam; separat igitur Socinus aquam ab instructione seu doctrina, quæ non debet separari. Pariter igitur asserimus Baptismi nomine significari initiationem seu consecrationem: at illam fieri contendimus non per solam doctrinam, sed per aquam, qua intingimur, tamquam per verum & proprie dictum Sacramentum.

Secundum, nempe Matth. 28. v. 19. *baptizantes* idem significare ac instruentes seu docentes, probat Socinus multis, sed miseris profecto argumentis.

I. Quia in græco textu, loco *docete*, habetur μαθητεύσατε, id est, *discipulos facite*; quod certe verbum ad doctrinam & disciplinam, qua informandi sunt discipuli, refertur.

Verum, quis hoc negat? Nemo profecto. An doctrinam a Baptismo aquæ sejungimus; non certe, sed utrumque includimus & distinguimus; sicut reipsa fecit Christus in suo præcepto: *Docete*, inquit, *baptizantes*. En doctrina, & Baptismus. Quod si per *baptizantes* non aliud intellexisset quam doctrinæ Baptismum, certe absurda fuisset & omnino inutilis repetitio in una & eadem brevi periodo; sensus enim esset: *docete docentes*. Esto igitur verbum græcum significet, *discipulos facite*: sane per doctrinam fiunt discipuli, & per Baptismum initiantur & consecrantur; unum enim ab altero divelli non debet. Unde S. Marcus c. 16. v. 16. fidem quæ per doctrinam habetur, Baptismo præmittit.

II. Si Christus eo in loco per verbum *baptizantes*, aquæ terrenæ Baptismum intellexisset, sine dubio, ait Socinus, non minus Baptismum istum externum Apostolis suis commendasset, quam ipsam Evangelii prædicationem, nec minus eos ad baptizandum, quam ad prædicandum misisset: atqui tamen Apostolus 1. Corinth. 1. v. 17. declarat se a Christo missum non esse ad baptizandum, sed ad evangelizandum. Neque est, quod respondeatur, sensum Apostoli esse, se præcipue missum fuisse ad prædicandum, quod munus per se obire tenebatur, non vero ad baptizandum, quod per alios æque poterat adimplere. Namque, ait Volkelius loco antea citato, ratio propter quam testatur Apostolus se non missum esse ad baptizandum, hæc est, ut effugeret suspicionem nonnullorum, qui existimabant Paulum in suo baptizare nomine, unde oborta est illa discipulorum Corinthiorum contentiosa æmulatio: at ratio illa tota subsisteret, si aut per se, aut per alios, aut præcipue, aut minus præcipue destinatus fuisset S. Paulus ad baptizandum.

Verum vana prorsus ac futilis ratio. Falso quippe supponit Socinus, Apostolis injunctum non esse baptizandi, sicut docendi præceptum, quod ex praxi illorum cognosci haud dubie certissime potest. Porro in Historia Actuum Apostolorum c. 2. post eximiam S. Petri prædicationem, baptizatos legi-

legimus Judæorum circiter tria millia; & c. 4. quinque millia; & c. 8. Philippus Samaritanos, Simonem magum, & Eunuchum; c. 9. Ananias Paulum; c. 10. S. Petrus Cornelium cum omni ejus familia; c. 16. S. Paulus Lydiam cum omni ejus pariter familia; c. 18. Crispum & Corinthios; & c. 19. duodecim Ephesios baptizavit: at verisimile non videtur, Apostolos non jussos præceptum Christi datum Matth. 28. executioni demandasse. S. igitur Paulus non negat sibi, sicut & ceteris, impositum baptizandi præceptum, sed comparate loquitur, innuitque se præcipue destinatum esse ad prædicandum, quam ad baptizandum; quia multo plures ad illud, quam ad istud munus exequendum dotes requiruntur, quibus ille divinitus cumulatus fuerat: Baptismus scilicet per quemlibet administrari potest, at non ita verbum Dei. Hanc veterum Cajanorum objectionem ita solvit Tertullianus L. de Baptismo c. 14. Neque urget, quod addit Volkelius: namque hac ratione utitur S. Paulus, ut probet se missum non esse ad baptizandum, sed ut gratias agat quod cum paucos baptizaverit, schismati & contentiosæ Corinthiorum æmulationi locum non dederit. Tanta scilicet insedebat animis primorum Fidelium opinio & admiratio Apostolorum, ut ex humano affectu nonnuli se hujus vel illius discipulos esse gloriaretur, & ita schismati locum dederint, de quo loquitur Apostolus: quod vero id ex Baptismi administratione ortum fuerit, sane per accidens est respectu ipsius Baptismi.

III. Christus, inquit Socinus, Matth. 28. non magis præceptum baptizandi, quam formam expressit his verbis: *Docete, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* At his verbis formam Baptismi non exprimi vel ex eo potissimum constat, quod Apostoli legantur baptizasse in alia forma, nempe in nomine Christi.

Verum ex ante dictis manifestum est, Apostolos non baptizasse in solo Christi nomine. Consule.

IV. Baptismus Christi sæpius in Scripturis opponitur Baptismo Joannis, quod iste in aqua foret, ille in Spiritu; ergo Christi Baptismus in vera aqua non perficiebatur.

Verum non advertit Socinus, totam distinctionem Baptismi Christi & Joannis non fuisse penes aquam, quæ in utroque pro materia erat; sed penes effectum, nempe interiorem animæ purgationem per gratiam, quam conferebat Christi, non vero Joannis Baptisma.

V. Hebræorum 6. rudimenta christianæ disciplinæ enarrat Apostolus; at de Baptismo aquæ omnino silet.

Verum falsum est, quod supponit Socinus: sic enim loquitur Apostolus v. 1. & 2. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.*

Quænam porro est illa doctrina Baptismatum, nisi veri, quod in usu erat ex Christi mandato, Baptismatis? Baptismatum dixit in plurali Apostolus, vel more Hebræorum ad majorem emphasim; vel quia etsi unum specie, numero tamen plura multis administrantur, vel denique quia nostrum Baptisma multis Judæorum baptismatibus opponit.

VI. Denique, quia S. Petrus Epistolæ 1. c. 3. v. 21. docet Baptismum nos salvos facere, non quo carnis sordes abluuntur, sed quo fit, ut bona con-

conſcientia Deum interroget : at non ita locutus fuiſſet S. Petrus , ſi aquæ Baptiſmum omnibus ex præcepto neceſſarium eſſe credidiſſet.

Verum fallitur Socinus. Veriſſima quippe eſt S. Petri ſententia, nempe effectum Baptiſmi poſitum non eſse in ablutione ſordium corporis, ſed in gratia interiori ac conſcientiæ munditie. Opponit enim ibi Baptiſmum Chriſti frequentibus Judæorum lotionibus, quæ mere carnales erant ad juſtitiam & emundationem carnis; Baptiſmus vero Chriſti, etſi perficiatur in aqua, ejus tamen effectus ad animam uſque pertingit, nec hæret in carne.

Secunda Socini reſponſio eſt : Dato & non conceſſo citatis Chriſti verbis Matth. 28. baptizandi præceptum contineri, illud tamen ad certum tempus ac perſonas reſtrictum fuiſſe , non omnibus in perpetuum injunctum. Probat autem his momentis. Secunda reſp. Sociniana.

I. Quia ii ſoli baptizandi ſunt , quos Apoſtoli docuere : utrumque enim conjungitur; ergo alii, qui ab Apoſtolis aut eorum ſucceſſoribus edocti non fuere , illo Baptiſmi mandato non adſtringuntur.

Verum nihil ea ratione miſerum magis ac ſtolidum afferri poteſt. Ubi enim legit Socinus, eos tantum baptizandos eſse, qui ab Apoſtolis fuerant edocti ? certe nullibi. Revera ii tantum ſunt baptizandi, qui ſunt imbuti fide & doctrina Chriſtiana , ſed eos tantum eſse baptizandos , qui ſunt ab Apoſtolis edocti , non alios, certe figmentum eſt cerebri Sociniani.

Et vero multos docuere Apoſtoli, quos propriis manibus non baptizarunt ; unde S. Paulus fatetur ſe ad prædicandum miſsum eſse , non ad baptizandum: nec veriſſimile eſt S. Petrum propriis manibus baptizaſse una die tria, & altera quinque hominum millia, quos ſua prædicatione ad Chriſtum adduxerat . Aliquos pariter baptizarunt , quos ab aliis edoctos noverant: ſit Anania Paulum baptizavit Act. 9. & S. Paulus act. 19. curat eos baptizari, qui ab aliis jam inſtructi & informati fuerant fidei Chriſtianæ documentis.

Quod vero mandatum Baptiſmi ad omnes omnino omnium ætatum homines pertineat, patet. 1. Quia nullam limitationis ac reſtrictionis notam præſefert. 2. Quia continua ſæculorum omnium praxi evidenter demonſtratur præcepti hujus univerſalitas. 3. Quia continet præceptum docendi ſimul & baptizandi: at præceptum docendi univerſale eſt ac perpetuum . 4. Quia Chriſtus eodem loco promittit ſe Eccleſiæ adfuturum uſque ad conſummationem ſæculi: quod igitur ibi præſcribit, ad omnes omnium ætatum homines ſpectat. 5. Quia unio ſpiritus ac mutua charitas, quam ex unitate Baptiſmi commendat Apoſtolus Eph. 4. in perpetuum ab omnibus Fidelibus eſt obſervanda. 6. Quia præceptum Baptiſmi ſimile eſt præcepto Euchariſtiæ: ſicut enim dixit Chriſtus: *Hoc facite*, ita dixit: *Docete baptizate*. Ergo ſicut Euchariſtiæ præceptum omnibus ad futuras omnes ætates injunctum eſse agnoſcit Socinus, ita & præceptum Baptiſmi. 7. denique, quia effectus quos Apoſtoli Baptiſmo tribuunt , ad omnes omnium temporum homines æqualiter pertinent, quales ſunt communio cum Chriſto, Rom. 6. v. 3. & 4. Galat. 3. v. 17. remiſſio peccatorum, Act. 22. v. 16. regeneratio ſpiritus, ad Titum 3. v. 5. vita æterna , Marci 16. v. 16. Joannis 3. v. 5.

II. Ii ſoli ſunt baptizandi , inquit Socinus, qui ejuſdem ſunt conditionis & ſortis cum iis quos Apoſtoli ex Chriſti mandato baptizarunt , illi ſcilicet vel a nulla, vel a falſa Religione, a Paganiſmo, vel Judaiſmo ad Chriſtum con-

convertebantur; ergo alii, qui in Religione Christiana vel nati sunt, vel ab ineunte ætate ei nomen dedere, Baptismi lege non tenentur.

Verum absurda consequutio. Cum enim per Baptismum Christo, ejusque Religioni nomen detur, ii omnes baptizandi sunt, qui Christo nomen dare volunt, sive nullam, sive falsam antea Religionem coluerint vel non coluerint.

Quod vero Apostolorum ætate non alii baptizarentur, quam qui vel a Paganismo, vel a Judaismo ad Christum convertebantur, mirum profecto videri non debet, cum non alii tunc temporis forent homines, quam Religione aut Pagani aut Judæi.

III. Inquit Socinus, mandavit quidem Christus Apostolis ut baptizarent, sed non omnibus injunxit ut baptizarentur.

Verum quid absurdius proferri potest, & ad demonstrandam figmenti Sociniani stoliditatem aptius? Quasi non sit eadem necessitas quæ Apostolos obstringit ut baptizent, & Gentes omnes ut baptizentur: nonne ista correlata sunt? Nonne dicere pariter quis posset, injunctam quidem fuisse Apostolis legem docendi, non vero Gentibus ut doceantur? an ferret Socinus? non puto. Quare? quia doctrina necessaria est ad fidem, sine qua nemo salvus esse potest; at pariter Marci 16. v. 15. salus Baptismo adscribitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic salvus erit*, inquit Christus.

IV. Denique, ait Socinus, multi veri Christiani in Actibus Apostolorum memorantur, quos tamen baptizatos fuisse non legimus; ut Apollo, de quo Act. 18. v. 24 & ipsimet Apostoli ac septuaginta Discipuli; item illi centum & viginti, de quibus act. 1. v. 15. & quingenti illi fratres, quibus simul Dominum Jesu, postquā a mortuis resurrexerat, visum fuisse S. Paulus scribit 1. Co. 15. v. 6.

Verum 1. argumentum istud Socini mere negativum est, ex quo nihil certo concludi potest: neque enim valet ista consequentia. Hi & illi non leguntur baptizati; ergo reipsa baptizati non sunt. Imo potius sic argueret quisquis adhuc sui compos esset: Extat expressum Baptismi percipiendi mandatum Christi; ergo etsi hi & illi Christiani non legantur baptizati, præsumi debet eos reipsa fuisse baptizatos: neque enim necesse est, ut rei communis, certæ ac publicæ omnia exempla proferat Historicus, imo quo res magis trita est, communis & publica, eo sæpius ab Historico prætermittitur. 2. Reipsa baptizatos fuisse Apostolos innuere videtur Christus, cum dixit Jo. 13. v. 10. ad S. Petrum, *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*. Unde merito S. Aug. l. 3. de anima & ejus origine c. 9. sic loquitur: *Si ipsos Apostolos baptizatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quod beato Petro Dominus ait, Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet: quid de aliis, de quibus vel tale nihil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de Philemone, de ipsis Evangelistis, Marco & Luca, de innumerabilibus ceteris, quos absit ut baptizatos esse dubitemus, quamvis non legamus?* Idem docet epistola 44. alias 163. & epist. 265. alias 108.

T. 10. p. 379. F.

T. 2. p. 105. & 896.

Secundum ex Scripturis argumentum.

Secundum argumentum pro confirmatione primæ partis Conclusionis adductæ, petitur ex c. 16. S. Marci v. 14. & 15. ubi Christus ad Discipulos ait: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. Præceptum baptizandi quod eo loci Christus Apostolis suis injungit, perpetuum esse & universale, seu ad omnes cujuslibet temporis homines per-

pertinere, duo invicte demonstrant. 1. quod jubeat Christus Apostolos ire per mundum universum. 2. quod salus Baptismo perinde ac fidei promittitur: at id cui annexa est salutis promissio, non ad certum tempus, nec ad certos homines restringitur, sed perpetuum est, & universale.

Socinus citata jam disputatione de Baptismo c. 3. idem respondet ad hoc S. Marci testimonium, quod ad testimonium S. Matth. nempe, neque de vero aquæ Baptismo intelligi debere: neque si intelligatur, consequens esse, ut præceptum illud in perpetuum & ab omnibus sit observandum: atque nova quædam figmenta excogitat ut istud assequatur. Resp. Sociniana.

Respondet itaque 1. per Baptismum apud S. Marcum intelligi aut pœnitentiam, aut publicam nominis Christi, & ejus Evangelii professionem vel utrumque simul. *Quid enim est*, inquit ille, *quod per Baptismum convenientius possit significari, quam pœnitentia vera, quæ animæ & spiritus ablutio est; aut Evangelii, & nominis Jesu Christi professio publica, cum Baptismus ipse aquæ ab Apostolis usurpatus in eum finem potissimum respiceret, ut quis publice Christo nomen daret.*

Responsionem probat

I. Quia si nomine Baptismi verus aquæ Baptismus intelligatur, sequitur vi hujusmodi loci parem esse fidei & Baptismi necessitatem ad salutem: sed hoc absurdum est; potest enim quis salvus esse sine Baptismo, nemo sine fide.

II. Quia favet Codex Complutensis, in quo articulus ὁ repetitur. Sic quippe verba reddi debent: *Qui crediderit, & qui baptizatus fuerit, salvabitur*. At articulus ille alium, quam aquæ veræ Baptismum significat, iste enim tantæ non est necessitatis.

III. Apostolus Eph. 5. v. 26. & ad Titum 3. v. 5. affirmat Deum lavacro aquæ mundasse suam Ecclesiam, & nos lavacro illo regenerationis salvare: at his in locis per lavacrum aquæ intelligit aquam metaphoricam, scilicet pœnitentiam, quæ animam lavat, sicut aqua corpus: tum quia eo ipso sensu aquam usurpat idem Apostolus ad Hebr. 10. v. 22. cum ait: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, asperſi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda*. Tum quia aqua naturalis nunquam potest mundare animam, cum qua nullam habet proportionem.

IV. Denique, quia publicæ fidei in Christum professioni Christus salutem æternam promisit. Matth. 10. v. 32. Rom. 10. v. 9. Ergo citato S. Marci loco, per hæc verba: *baptizatus fuerit*, intelligi recte potest publica fidei in Christum professio. Adeo rara & exquisita visa est Socino ista solutio, ut gratulabundus eam sibi maxime placere fateatur. Gratuletur ergo sibi ereptum omnem sensum, ac pudorem, qui tam inepte & misere planum & apertum Scripturæ sensum distorqueat.

Refellitur Sociniana responsio. Etsi enim fateamur Baptismi nomen aliquando transferri ad significandam pœnitentiam, non tamen inde bene colligitur, eo sensu usurpari citato cap. S. Marci; imo naturali & obvio sensu verum aquæ Baptismum significari, series ipsa textus sacri, Apostolorum usus & praxis aperte demonstrat. Quod si quis contenderet, citato loco Baptismi nomine significari martyrium, ut revera aliquando significatur, quo jure, quave ratione expugnare illum posset Socinus? Præterea S. Petrus Act. 2. v. 38. expresse distinguit Baptismum & Pœnitentiam: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum* Refellitur Sociniana responsio.

ſtrum in remiſſionem peccatorum , & accipietis donum Spiritus ſancti. Etſi ergo daremus, per Baptiſmum pœnitentiam deſignari , quam nempe tamquam præviam diſpoſitionem ſupponit, non tamen excludi debet verus aquæ Baptiſmus.

Ad primam reſponſionis Socinianæ probationem, dico parem eſſe neceſſitatem fidei, & Baptiſmi ſaltem in voto ſeu deſiderio, licet par non ſit ejus neceſsitas in re ſuſcepti. Neque diſtinctionem hanc gratis fictam eſſe, infra, Deo dante, oſtendemus: qui enim Baptiſmi, ejuſque neceſsitatis legem tulit, idem perfectæ contritioni, ac martyrio vitam æternam promiſit; ergo qui Baptiſmum in re percipere non poſſunt, eumdem plane effectum conſequuntur per votum ipſius, per contritionem perfectam, ac martyrium.

Ad ſecundam: Otioſa eſt & vana Socini obſervatio, cum & ipſe fateatur articulum ὁ in multis Scripturæ locis redundare, nec ad probationem vim habere majorem. Quod ſi juxta Codicem Complutenſem geminatum articulum legamus, & Socini regulam ſequamur, repetitio articuli citato in loco probationem noſtram confirmat, nedum infringit: emphaſim enim quamdam habet, & indicat non ſatis eſſe ad ſalutem, quod quis fidem habeat, niſi & baptizetur, quod unum hic contendimus.

Ad tertiam: Nihil potuit Socinus aptius proferre ad ſuammet convellendam ſententiam, quam loca S. Pauli ad Eph. 5. v. 26. & ad Titum 3. v. 5. in quibus lavacro aquæ, id eſt Baptiſmo, vim ſanctificandi, ac mundandi animam tribuit, non quidem ex propria ſeu naturali aquæ virtute, ut falſo ſupponit Socinus, ſed ex virtute Spiritus ſancti aqua utentis tamquam inſtrumento; unde gratis & inepte omnino more ſuo exiſtimat ille, aquæ nomen figurate & metaphorice uſurpandum, contra mentem & naturalem verborum S. Pauli ſenſum. Nec quidquam poteſt aſſequi ex citato c. 10. v. 22. Epiſtolæ ad Hebræos: per illa enim verba: *abluti corpus aqua munda*, alludit Apoſtolus ad Baptiſmum, hortaturque Fideles, ut cum ea mentis & corporis munditie vivant, quam exigit Baptiſmus. Quod ſi per illam ablutionem Apoſtolum ad varias Judæorum lotiones reſpexiſſe contendas, nihil inde inferri poterit adverſus veritatem quam propugnamus. Lege Eſtium in hunc locum.

Ad quartam: Non negamus profeſſioni fidei in Chriſtum annexam eſſe ſalutem: non negamus quoque per Baptiſmum eam ſignificari, ſed contendimus ſollemnem hanc fidei profeſſionem fieri in uno Baptiſmo aquæ, quem includit & præſupponit.

Reſpondet 2. ad citatum S. Marci teſtimonium Socinus, præceptum illud Baptiſmi nec perpetuum eſſe ac univerſale; duaſque de novo addit probationes c. 3. & 5. ſuæ diſputationis de Baptiſmo.

Prima eſt, Quia, inquit c. 3. poſt citata verba apud S. Marcum, hæc ſequuntur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis &c.* At cum illa conſpicua Spiritus ſancti dona jam ceſſaverint, dicendum eſt, & ceſſaſſe præceptum Baptiſmi, quod cum illis conjunctum erat.

Secunda eſt, quia, inquit c. 5. præceptum Baptiſmi ſimile eſt præcepto abſtinendi a ſanguine & ſuffocatis, quod ſane perpetuum non fuit, ſed datum ad tempus, licet conjunctum cum præcepto fugiendi fornicationem, quod in perpetuum debet obſervari: ergo pariter, licet S. Petrus

Act. 2. v. 38. utramque simul præscripserit, pœnitentiam scilicet & Baptismum, dici tamen merito potest, Baptismi ritum temporaneum esse, licet pœnitentia semper sit necessaria.

Verum nullo negotio evertitur utraque Sociniana responsio.

Prima quidem: Si enim inferri merito possit, jam abrogatam esse Baptismi legem, quia cessarunt conspicua illa dona, quibus initio Ecclesiæ ornabantur recens baptizati; concludi etiam poterit nullam quoque jam esse fidei necessitatem, propter eamdem causam: dicitur enim de primis fidelibus, *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur*; at istud consequens non admittit Socinus. Distinguere igitur ille debuisset inter manifesta illa Spiritus sancti dona, quibus ad confirmandam nascentem Ecclesiam ornari debuere primi Fideles, & quæ proinde adulta jam Ecclesia cessare debuere; & inter ritus stabiles atque permansuros, qui omni tempore necessarii sunt, qualis v. g. Baptismus, Eucharistia &c.

Secunda quoque responsio plane nulla est. Ubi enim unquam legit Socinus, Apostolos utrumque præceptum baptizandi & abstinendi a sanguine & suffocatis inter se contulisse, & ejusdem plane conditionis fecisse? Quam latum enim est inter utrumque discrimen! Namque 1. Christus est auctor præcepti Baptismi; Apostoli vero abstinentiæ a sanguine & suffocatis. 2. Ratio hujus abstinentiæ temporalis fuit, & ad œconomicam Ecclesiæ disciplinam spectans, nempe ne infirmi quidam Judæi scandalum paterentur, si promiscue licitum foret uti sanguine & suffocatis. Baptismi vero lex perpetua fuit, non tantum ad distinctionem ab Infideli, sed ad regenerationem & sanctificationem Fidelium cujuscumque sexus, ætatis, conditionum, & temporum. 3. Ipsi Apostoli decretum de suffocato & sanguine interpretati sunt in suis Epistolis, & plane confirmata libertate Christiana tamquam inutile abrogaverunt 1. Corinth. 10. & Colos. 2. aliam tamen ejusdem decreti partem, quæ spectat fornicationem, confirmarunt, & in perpetuum observandam esse monuerunt: quia nempe fornicatio non ideo tantum mala est, quia prohibita, sed idcirco prohibita, quia per se mala, contra falsam nonnullorum Gentilium opinionem; ergo toto Cælo aberrat, qui existimat Apostolos idem de præcepto Baptismi statuisse, quod de præcepto abstinendi a sanguine & suffocato.

Hactenus manus nobis dedere Lutherani & Calvinistæ, ut adversus Socinianos demonstretur, Baptismi præceptum perpetuum esse, ac universale, quo obstringuntur omnes adulti: nunc se illis contra nos adjungunt, ut impugnent ejusdem Baptismi absolutam seu medii necessitatem; sed hac variatione satis ostendunt nihil apud se fixum esse: quo enim jure Scripturæ testimonia, quæ nos adducimus pro necessitate medii Baptismatis, illi detorquent & de sola necesitate præcepti exponunt; ita Sociniani testimonia Scripturæ, quæ Lutherani & Calvinistæ proferunt pro universali & perpetua lege Baptismi, detorquent pariter, ac de lege ad tempus lata interpretantur; atque, ut jam observavimus, nullus inter eos judex esse potest, qui litem illam dirimat, quandoquidem nec Ecclesiæ, nec Traditionis auctoritas ab illis agnoscatur.

Probatur secunda pars de necessitate medii, ex Scripturis, quæ a contortis Socinianorum & aliorum expositionibus vindicantur.

Primum argumentum petitur ex c. 3. S. Jo. v. 5. ubi Christus alloquitur Nicodemum, & ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Decretoria plane sententia, & tam claris verbis expressa, ut Pelagiani illius evidentia superati, ausi non fuerint negare necessarium esse absolute Baptismum, sed novo figmento distinguere maluerint inter Regnum Cælorum & vitam æternam, ut jam observavimus q. 1. a. 2. in solutione ad primam objectionem: ut nempe infantes sine Baptismo morientes excluderent quidem a Regno Cælorum, propter verba Christi mox relata, vita tamen æterna donarent propter innocentiam.

Novatoribus nostris Lutheranis & Calvinistis tam clara etiam visa est hæc Christi sententia ad exprimendam absolutam seu medii necessitatem, ut coacti fuerint verba Christi ad metaphoricum sensum detorquere, nec de vero aquæ Baptismo interpretari, adversus quos editus est ex professo Canon secundus Sessionis 7. Conc. Tridentini.

Sociniani, qui ex Calvinistis hauserunt hujusce loci metaphoricam & figuratam explicationem, eadem quoque licentia usi sunt, ut ista verba Christi Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti*, ad metaphoricum pariter sensum detorquerent: neque licentiam hanc ipsis vitio vertere merito possunt Calvinistæ, cui ipsimet locum & ortum dedere.

Verum ipsa anxietas & inconstantia Calvinistarum in hoc Christi testimonio Jo. 3. versando, satis ostendit difficile esse a primo, naturali, obvio, & communi verborum sensu discedere. Namque ista erronea opinione occupati, nempe filios Christianorum per fidem parentum & pactum Christi salvos fieri, consequens est ut negent, Baptismum esse ipsis absolute ad salutem necessarium, & verba Christi relata Jo. 3. quæ necessitatem illam manifeste exprimunt, a naturali & obvio sensu deflectat ad figuratum & metaphoricum. Aliunde vero cum iidem adversus Anabaptistas probant infantes esse baptizandos, non alio firmiori argumento utuntur, quam eo quod petitur ex citatis Christi verbis Jo. 3. quasi illi obliti essent, se verba illa non intelligere de vero aquæ Baptismo: adeo verum est parum sibi constare & cohærere errorem, ac spreto Ecclesiæ Judicio mentem nostram perpetuo fluctuare, ac circumferri omni vento doctrinæ: sed hæc sufficiant pro isto primo argumento. Lege, quæ diximus supra q. 1. art. 2. in solutione ad primam objectionem, de illo Christi testimonio apud S. Jo. c. 3. v. 5.

Secundum argumentum petitur ex iis locis, in quibus salus æterna, regeneratio & renovatio hominis, peccatorum remissio, Baptismo annexa legitur. Jo. 3. v. 5. mox citato. Ephes. 5. v. 25. & 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* Somniat haud dubie Socinus, cum respondet his in locis sermonem esse dumtaxat de interiori animæ lavacro seu mundatio-

datione per gratiam, non de vero aquæ Baptismo: utrumque enim Apostolus exprimit sanctificationem, per aquæ lavacrum.

Actor. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, ait S. Petrus. Et c. 22. v. 16. *Quid moraris?* inquit Ananias ad Paulum, *exurge & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius*. Neque vero scopum attingit Socinus c. 7. suæ disputationis, cum ait verba hæc: *ablue peccata tua*, connectenda non esse cum verbo præcedente, *baptizare*; sed cum sequentibus, *invocato nomine ipsius*; ita ut remissio peccatorum detur invocationi nominis Christi, non aquæ Baptismo. Namque 1. gratis omnino, & absque ullo prorsus fundamento talis fingitur verborum connexio & constructio: quod si cuilibet ad arbitrium verba sacra connectere cum aliis, transferre, exponere liceat, nihil tam firmum erit, quod perditus aliquis convellere non tentet. 2. Quia etsi talis supponeretur qualis a Socino fingitur, & peccatorum remissio fidei seu invocationi nominis Christi tribuatur, an propterea excludi deberet Baptismus aquæ, cujus toties expressam mentionem facit sacer Contextus? non profecto. Neque plus urget, quod addit, verbum, *mundandi, purgandi, remittendi peccata &c.* cum Baptismo accommodatur, non rem ipsam, sed rei declarationem significare, id est, Baptismum nudum signum esse quo declaratur jam dimissa esse per fidem peccata. Quod ut probet, remittit lectorem ad c. 13. & 14. Levitici, ubi cum de mundatione leprosi agitur, verbum, *mundare, sanare*, usurpatur pro mera declaratione mundationis jam factæ.

Namque Baptismus signum quidem est remissionis peccatorum, non vacuum & iners, sed practicum, & efficax, tamquam instrumentum Christi, hoc enim importat particula causalis, *per*, qua utitur S. Paulus cit. c. 3. v. 5. Epist. ad Titum. Neque si aliquando in Scripturis verbum, *mundare &c.* usurpatur pro rei declaratione, sequitur nusquam significare rem ipsam effective productam: alias dicere quis posset, Christum, qui peccata remisit Magdalenæ, vere ea non remisisse, sed declarasse dumtaxat esse remissa. Sacerdos legalis vere a lepra non mundabat, sed mundatum declarabat: ejus tamen declaratio mere otiosa non erat ac sterilis, siquidem jus conferebat ad civilem cum aliis societatem, & legalem quamdam seu carnis munditiem efficiebat: Sacramenta vero Christi non exteriorem, sed interiorem animæ purgationem operantur.

S. Petrus Epist. 1. c. 3. v. 21. comparans Baptismum cum Arca Noe, seu rem figuratam cum figura, docet homines per Baptismum salvos fieri, sicut salvi facti sunt ab aquis diluvii, qui in Arca inclusi fuere, *in qua*, inquit, *pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam; quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma*.

Socinus citata toties disp. de Baptismo c. 12. ad solitum effugium se recipit, nempe S. Petrum sensu metaphorico Baptismi vocem hic usurpasse, pro interna mundatione animæ, quæ tam necessaria est, ut salvi simus, quam necessaria fuit Arca, ut ab aquis diluvii emergerent qui in ea includebantur. Fundamentum responsionis petit ex verbis sequentibus S. Petri, *non carnis*, inquit, *depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi*.

Verum natura comparationis quam S. Petrus instituit inter Arcam, & aquas diluvii, & Baptismi aquas salutares, huic solito Socini effugio locum

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

non relinquit, ac eum verum aquæ Baptismum intellexisse manifeste demonstrat. Nec ullius momenti est probatio adducta: merito enim declarat Apostolorum Princeps, Baptismi effectum positum non esse in emundatione seu depositione sordium corporis, sed in purgatione animæ interiori; idque apposite omnino adversus falsam Judæorum persuasionem, qui se justos, & puros arbitrabantur, si pluries in die corpus lavassent frequentibus illis lotionibus, de quibus loquitur S. Marcus c. 7. v. 3. & 4.

Ex his porro Scripturæ testimoniis secundo nostro argumento adductis, & aliis ejusmodi sic arguimus: Illud est absolute necessarium, seu medii, ut dicitur, necessitate ad salutem, cui annexa est salus, animæ mundatio, interior regeneratio, & renovatio, peccatorum remissio: atqui talis est baptismus: ergo &c.

Neque ulla fit exceptio eorum, qui sunt a Fidelibus parentibus progeniti; sed omnibus distincte dicitur: *Qui baptizatus non fuerit, condemnabitur. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.* Et vero filii Fidelium nascuntur obnoxii peccato originali, sunt filii iræ, & indignationis, sicut alii omnes; atque parentum fides prodesse iis non potest, nisi quatenus impellit eos ad remedium baptismatis a Christo institutum ipsis conferendum. Jacob & Esau filii erant optimi parentis Isaac: Deus tamen Jacob dilexit, Esau autem odio habuit: David pariter erat filius hominis fidelis, & tamen Psal. 50. v. 7. dicit: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hinc trita S. Patrum sententia, homines *Christianos non nasci, sed fieri*, nempe per baptismum.

P. 17. c. T. 4. p. 2. p. 590. Ita Tertull. Apolog. c. 18. S. Hieronym. Epist. 57. ad Lætam. Divino ergo Judicio relinquere debemus eos infantes, qui sine Baptismo ex hac vita discedunt, nihil de illis definire ac sentire, nisi quod Scriptura, & traditio docet, a quibus regulis nulli Christiano licet discedere. Ut enim observat antea citatus Bellarminus, nostra nec severitas nec clementia infantibus illis aut nocet, aut prodest; verissimumque est, quod ait Catechismus Romanus p. 2. de baptismo n. 30. *Nihil magis necessarium videri, quam ut doceamur omnibus hominibus Baptismi legem a Domino præscriptam esse, ita ut, nisi per gratiam Baptismi Deo renascantur, in sempiternam miseriam, & interitum, a parentibus, sive illi fideles, sive infideles sint, procreentur.* Ex quibus satis intelligitur, quale sit ferendum judicium de sententia Cajetani, & aliorum nonnullorum prius memorata.

Tertium argumentum petimus ex iis testimoniis, quibus constat nos per Baptismum induere Christum, ejusdem spiritus, & corporis fieri membra, ejusdem fidei, unionis, ac charitatis esse participes, unius Dei esse cultores; quæ quidem totidem sunt necessitatis absolutæ argumenta.

I. Per Baptismum Christus induitur, sine quo nulla speranda salus. Galat. 3. v. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Induere autem Christum, in phrasi Scripturæ, est Christo conformem fieri imitatione virtutum, & bonorum operum. Rom. 6. v. 3. & 4. & c. 13. v. 14. Coloss. 2. v. 12.

Socinus c. 10. suæ disputationis fatetur eo loci loqui Apostolum de vero aquæ Baptismo, sed negat per ista, *Christum induistis*, significari, reipsa Galatas Christum in Baptismo induisse; sed tantum eos promisisse, &

pro-

profeſſos fuiſſe quod vellent Chriſtum induere : ſolus quippe Deus, ait Socinus, poteſt ſcire, an reipſa quis in Baptiſmo Chriſtum induat; ſolus enim intuetur cor, ac diſpoſitiones, cum quibus ad Baptiſmum quis accedit . Probabile autem eſſe Galatas non induiſſe Chriſtum , innuit ipſe Apoſtolus, cum cap. 3. miratur eos tam cito transferri ab eo, qui ipſos vocaverat in Chriſti gratia, ad aliud Evangelium; unde dementes eos, & faſcinatos appellat . Addit Vvolkelius , iſtam particulam : *quicumque*, vel: *quotquot baptizati eſtis*, innuere aliquos tantum inter Galatas, non vero omnes baptizatos fuiſſe; hincque colligit baptiſmum ad omnes non pertinere.

Verum cum Apoſtolus abſolute affirmat Galatas Chriſtum induiſſe , quando baptizati ſunt , reſpicit tantum ad virtutem , & efficaciam Baptiſmi, cujus participes eſſe debuerant Galatæ, qui per Baptiſmum Chriſto nomen dederant , & ſe legem ipſius ſequi velle profeſſi fuerant ; quamquam fieri potuit eorum nonnullos baptiſmi gratiam non percipere, propter pravam aliquam conſcientiæ diſpoſitionem . Ut autem ita abſolute pronunciet Apoſtolus, ſatis eſt, quod ad hoc inſtitutus ſit Baptiſmus, ut Chriſtus induatur , non interius tantum per gratiam , ſed etiam exterius per publicam, & externam fidei Chriſtianæ profeſſionem, quæ Baptiſmo ſemper præmittebatur. Quod addit Socinus, plane vanum eſt, quaſi non potuerint Galatæ a gratia baptiſmali brevi excidere præ humana inconſtantia, & infirmitate. Obſervatio Vvolkelii ejus oſcitantiam, & imperitiam prodit: nemo enim ignorat, particulam hanc: *quotquot*, *quicumque* , apud Auctores tum profanos tum ſacros , non ſemper vim habere exceptivam; ut cum S. Paulus 1. ad Tim. 6. v. 1. ait : *Quicumque ſunt ſub jugo ſervi*, non innuere vult ex ſervis alios eſſe ſub jugo, alios non eſſe; ſed omnes haud dubie ſub jugo eſſe intelligit.

II. Per Baptiſmum nos ejuſdem, & unius Spiritus participes, ejuſdemque corporis membra fieri, docet Apoſtolus 1. Cor. 12. v. 13. *In uno Spiritus*, inquit, *omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi; & omnes in uno Spiritu potati ſumus*. Ergo ſicut nemo poteſt ſalvus fieri, niſi unus ſit cum Chriſto ſpiritus, ac Eccleſiæ membrum fiat; ita quoque niſi baptizetur, cum per Baptiſmum, & unus cum Chriſto ſpiritus , & Eccleſiæ membrum evadat.

Socinus cap. 8. Suæ diſputationis contendit eo loci Apoſtolum loqui dumtaxat de interiori per gratiam Baptiſmo , ſicut de interiori potu ; non vero de externo per aquam veram Baptiſmo, aut potu.

Verum , etſi non diffiteamur , nonnullis ex Catholicis explicationem hanc probari, altera tamen rejici non debet; imo potius accomodata videtur ad ſcopum, & inſtitutum Apoſtoli, quo hortatur Fideles ad mutuam unionem, & charitatem, quia ſunt ejuſdem ſpiritus participes, & ejuſdem corporis membra : illius autem communitatis ſeu ſpiritus, & fidei participationis debet eſſe aliquod exterius ſymbolum, quo nempe omnes Fideles inter ſe colligentur, & in unum Religionis nomen adunentur; ſymbolum autem illud exterius, eſt Baptiſmus, & Euchariſtia, quia omnes Chriſtiani ejuſdem Baptiſmi, ejuſdemque menſæ participes ſunt. Igitur per Baptiſmum, & potum intelligit Apoſtolus verum aquæ Baptiſmum, & verum Euchariſtiæ Sacramentum. Neque eſt, quod dicat Socinus, eos omnes qui

bapti-

baptizantur, non fieri participes interioris spiritus, nec vera Christi membra: namque satis est quod id postulet, & efficiat Baptismus quantum est ex se; licet per accidens, & ratione subjecti obicem gratiæ ponentis, suo interdum frustretur effectu.

III. Denique unitatem Dei, fidei, spei, & charitatis probat, & commendat Apostolus ex unitate Baptismi. Ephes. 4. v. 3. *Solliciti*, inquit, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus, & pater omnium.* Sicut igitur necesse est ad salutem, ut unum agnoscamus, & colamus Deum, ut unam fidem, spem, ac charitatem habeamus; ita quoque unum Christi Baptismum; in quo fidei in unum Deum professio publica emittitur.

Socinus c. 9. more suo Baptismatis nomen hic metaphorice usurpandum esse pro sola interiori gratia Spiritus sancti contendit, non aliis nixus rationibus, quam iis, quam antea refutavimus. Verum si Baptismi vocem ibi metaphorice sumendam pugnaciter ille contendat, quidni alter Socino non minus perditus cavillator, per fidem, militare Sacramentum; per Dominum, Regem; per spiritum, aerem interpretabitur? Adde quod Baptismus spiritualis, prout contra Baptismum aquæ distinguitur, non sit aliquid a fide, spe, charitate, aliisque donis Spiritus S. distinctum; & tamen Apostolus ea distinguit, ac variis exprimit terminis.

Probatur 2. Conclusio, ex constanti, & perpetua Traditione Ecclesiæ.

Dissentiunt a se invicem Sociniani, & Novatores Calvinistæ.

Socinus ratus Baptismum ritum esse liberum, & indifferentem, docet c. 15. disp. de Baptismo, non semper ab Ecclesia usurpatum fuisse, quod probat duplici momento: primo, ex l. 7. Hist. Eusebii c. 8. ubi, referente Dionysio Alexandrino, Novatus dicitur Baptismum abrogasse: secundo, ex can. 9. Concilii generalis Nicæni I. in quo Cathari seu Novatiani reperiuntur ad Ecclesiam redeuntes, per pœnitentiam, nulla facta Baptismi mentione.

Verum non potuit Socinus vel malitiam, vel crassiorem imperitiam suam apertius prodere. Quantum enim spectat ad primum, certum est Novatum non penitus abrogasse Baptismum: ille siquidem non tantum suos baptizabat, sed etiam baptizatos a Catholicis iterum tingebat, & quidem eadem observata forma, quæ a Catholicis ex præscripto Christi observabatur, sicut colligimus ex S. Cypriano Epist. 69. ad Magnum, & Epist. 73. ad Jubajanum. Hoc igitur dumtaxat sensu dicitur Baptismum abrogasse, quod repetendo Baptismum a Catholicis collatum, illum quasi nullum haberet & abrogaret. Ad secundum: mirum non est Catharos a Concilio Nicæno per solam pœnitentiam admitti, utpote qui legitime baptizati fuissent, nec iterari debeat Baptismus legitima forma a quocumque collatus. At non idem de Paulianistis Can. 19. decernit Concilium, quos jubet baptizari ubi ad Ecclesiam redeunt. Quid ita? quia illi legitima, & a Christo præscripta forma baptizati non fuerant; atque vel ex hoc ipso Canone intelligere debuerat Socinus, quam constans, & perpetuus fuerit semper in Ecclesia Christi Baptismatis usus, quam certa necessitatis illius apud omnes Fideles persuasio.

Novatores nostri, etsi contra Socinum contendant Baptismi legem, & usum perpetuum, & constantem semper fuisse in Ecclesia, omnesque ejus

præ-

præcepto teneri vel pro se, vel pro aliis, quorum curam gerunt, negant tamen veteres, ante Ambrosium, & Augustinum, Patres tantam illius agnovisse necessitatem, ut infantes sine illo morientes æternum pereant. Scilicet volunt illi, Augustinum in primis æstu disputationis adversus Pelagianos abreptum longius, quam par esset, processisse, atque necessitatem hanc contra Veterum sententiam excogitasse ac defendisse.

Satis igitur nobis erit, si ex testimoniis Veterum Ambrosio, & Augustino ætate superiorum, ostendamus eamdem semper viguisse fidem pro necessitate absoluta Baptismi; nihil ab Augustino, & sequentibus eam in rem assertum, quod a suis prædecessoribus certa traditionis serie non acceperint. Duplici autem via id demonstrabimus. 1. recensendo testimonia Veterum ex tribus primis Ecclesiæ sæculis; subsequentes enim nostros esse concedere videntur Novatores. 2. generalibus quibusdam momentis ex usu, & praxi Ecclesiæ perpetua depromptis.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex testimoniis Veterum.

S. Justinus Apolog. 2. pro Christianis, postquam recensuit dispositiones; quibus instructi esse debent, qui baptizari cupiunt, sic pergit: *Deinde eo adducuntur a nobis ubi aqua est; atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum parentis & Domini Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti in aqua tum lavantur. Christus enim ipse dixit: Nisi regenerati fueritis, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Rationem necessariæ illius per Baptismum regenerationis ibid. repetit S. Doctor ex peccato, quod nascendo contrahimus. *Rationem autem illius rei*, inquit, *ab Apostolis illam accepimus. Quandoquidem priorem nativitatem nostram ignorantes, necessitate quadam, liquido genitali satu, mutua parentum mixtione intercedente, progenerati sumus, & in malis moribus pravaque consuetudine educti, ut ne necessitatis, & ignorantiæ liberi permaneamus, sed delectus, & scientiæ filii fiamus, ac remissionem ante commissorum peccatorum consequamur in aqua.* P. 93. D. P. 94. G.

Igitur ex S. Justino, aquæ Baptismus a Deo institutus, & ordinatus est, ut homo spiritaliter renascatur, ac peccatorum remissionem obtineat. Sicut igitur sine illa regeneratione servari nemo potest, ita etiam nec sine Baptismo, aut ejus voto.

S. Irenæus l. 3. c. 17. alias 19. *Sicut*, inquit, *de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quæ de cælo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic & nos, lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per spiritum. Unde & utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro.* P. 208. n. 2.

Lib. 2. c. 22. alias 39. docuerat infantes necessario esse baptizandos. At necessitas ejusmodi non tantum præcepti, cujus illi sunt incapaces, sed medii seu absoluta supponi debet a S. Irenæo. Et vero comparationes quibus utitur in priori testimonio, eo tendunt ut attendenti patebit. P. 147. n. 4.

Tertullianus Lib. de Baptismo ex professo Baptismi necessitatem probat adver- P. 229. C. D.

adversus Quintilianos, & Cajanos. *Sic ergo*, inquit cap. 13. *sceleſtiſſimi illi provocant quæſtiones. Adeo dicunt, Baptiſmus non eſt neceſſarius, quibus fides ſatis eſt; nam & Abraham nullius aquæ, niſi fidei Sacramento Deo placuit.* En Hæreticorum illorum objectio, cui ſic Tertullianus: *Fuerit ſalus retro per fidem nudam ante Domini paſſionem, & reſurrectionem: at ubi fides aucta eſt credendi in nativitatem, paſſionem, reſurrectionemque ejus, addita eſt ampliatio Sacramento, obſignatio Baptiſmi, veſtimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec poteſt jam ſine ſua lege. Lex enim tingendi impoſita eſt, & formæ præſcripta: Ite, inquit, docete omnes nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Huic Legi collata definitio illa: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non intrabit in Regnum Cælorum: obſtrinxit fidem ad Baptiſmi neceſſitatem. Itaque omnes exinde credentes tingebantur: tunc & Paulus ubi credidit, tinctus eſt.* Nihil potuit Tertullianus diſertius proferre adverſus Socinianos, & Novatores Calviniſtas, ut Baptiſmi neceſſitatem tum præcepti, tum medii demonſtraret.

S. Cypr. in famoſa, quam cum Stephano S. Pontifice habuit, controverſia de Baptiſmo ab Hæreticis dato, ſupponit abſolute neceſſarium eſſe ad ſalutem Baptiſmum; atque hac erronea occupatus ſententia, apud Hæreticos verum non eſſe Baptiſma Chriſti, ab illis baptizatos iterum baptiza-
P. 121. bat, ut vitam æternam aſſequi poſſent: *Quia*, inquit Ep. 72. ad Stephanum, *parum eſt eis manum imponere, niſi accipiant & Eccleſiæ Baptiſmum. Tunc enim demum plene ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur, cum ſcriptum ſit: Niſi quis renatus fuerit &c.* Idem repetit Ep. 73. ad Jubajanum, ſimulque occupat, & ſolvit iſtam objectionem (quam Novato-
P. 127. res noſtri adoptarunt) nempe: *Si quis antequam in Eccleſia baptizetur, in confeſſione nominis apprehenſus fuerit, & occiſus, an ſpem ſalutis, & præmium confeſſionis amittit, eo quod ex aqua non fuerit prius renatus?* cui objectioni reſpondet S. Martyr, ejuſmodi *non privari Sacramento Baptiſmi, utpote qui baptizentur glorioſiſſimo, & maximo ſanguinis Baptiſmo*: quod idem eſt, ac ſi diceret, Baptiſmum aquæ ſuppleri per contritionem perfectam, & martyrium.

In Conc. Carth. an. 256. cui præfuit S. Cypr. & adfuere Epiſcopi 87. Nemeſianus a Tubunis probans baptizatos ab Hæreticis debere vero Eccleſiæ Baptiſmo iterum tingi, adducit iſtud Chriſti Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.*
T. 1. Con. 1. 787. E. *Hic eſt*, inquit, *Spiritus qui ab initio ferebatur ſuper aquam. Neque enim Spiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine Spiritu.* Et poſtea: *Niſi ergo acce-*
Ib. pag. 788, B. *perint Baptiſma ſalutare in Eccleſia Catholica, quæ una eſt, ſalvi eſſe non poſſunt, ſed cum carnalibus in judicio Domini damnabuntur.* Cum ait Epiſcopus ille, Spiritum non poſſe agere ſine aqua, intelligi debet de potentia, & lege Dei ordinaria; abſolute enim poteſt, cum virtus ipſius non ſit Sacramento alligata.

Denique idem S. Doctor conſultus a Fido in Africa Epiſcopo, an infantes baptizari debeant ante octavum a nativitate diem, reſpondet Ep. 59. in ſuo Provinciali Concilio ſexaginta ſex Epiſcoporum ſtatutum fuiſſe, eos ante illum diem baptizari poſſe, & debere, ut a noxa originali liberentur.
P. 96. *Quanto magis*, inquit, *prohiberi non debet infans qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata?* Porro infantes; ut jam obſervatum fuit, non tenentur lege Baptiſmi vi ſolius præcepti, cujus ſunt

inca-

incapaces: ergo quia est medium a Deo institutum ad eluendam originalis peccati labem. Decretum hoc S. Cypriani & Coepiscoporum ejus expendens S. Aug. Ep. 166. alias 28. ad Hieronymum, ait novam non esse definitionem, sed firmissimam Ecclesiæ fidem. T. 2. p. 593. A.

S. Clemens Alexandr. l. 1. Pædagogi c. 6. *Tincti*, inquit, *illuminamur, in filios adoptamur .... vocatur lavacrum, per quod peccata abstergimus; gratia qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur.* Ed. Bas. 1616. p. 69. A.

Origenes Hom. 8. in Leviticum. *Quid causa sit*, inquit, *cum Baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundum Ecclesiæ observantiam etiam parvulis Baptismum dari; cum utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem, & indulgentiam pertineret, gratia Baptismi superflua videretur.* Et Hom. 14. in Lucam: *Quia per Baptismi*, inquit, *Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non potest introire in Regnum Cælorum.* Et l. 5. in c. 6. ad Romanos: *Pro hoc*, inquit, (nempe peccato originis) *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare. Sciebant enim ... quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam, & Spiritum sanctum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.* T. 1. p. 90. H. T. 2. p. 142. L. Ib. p. 353 A. B.

S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 3. ait: *Qui in aquam descensurus es, non aquæ simplici mentem adhibe, sed Spiritus sancti virtute salutem suscipe: nam sine utrisque ad perfectionem deduci non poteris ... Et si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres, qui sine aqua Regno cælesti potiuntur.* P. 16. C. D.

Mitto innumera Baptismi, ejusque virtutis magnifica apud Veteres encomia, de quibus, ubi de variis nominibus Baptismi, initio hujus Tractatus differebamus. Mitto etiam ea Veterum testimonia, quæ pro fide peccati originalis laudavit S. Aug. adversus Pelagianos, a quibus accusabatur quod omnium primus opinionem hujus peccati invexisset; nempe Rheticii Augustodunensis, Olympii in Hispania Episcopi, S. Hilarii, S. Basilii, S. Greg. Nazianz. S. Chrysost. S. Ambrosii, qui omnes dum adstruunt fidem peccati originalis, necessitatem remedii, nempe Baptismi, eadem via demonstrant. P. 19. D.

His veterum suorum prædecessorum præsidiis muniti, ac immotis fidei antiquæ terminis inhærentes, non vero ultra metas abrepti, sicut calumniantur Novatores, Ambrosius, & Aug. tantam agnovere necessitatem Baptismi, ut excepto martyrii ac perfectæ contritionis casu, nullus sine eo possit æternam salutem assequi. Unde merito

S. Ambr. lib. de Mysteriis c. 4. ait: *Credit Cathecumenus ... sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris &c. remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.* Et l. 2. de Abraham c. 11. n. 79. *Nemo*, inquit, *ascendit in Regnum Cælorum, nisi per Sacramentum Baptismatis.* Et n. 84. exponens ista Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit &c. Utique*, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* T. 2. p. 330. B. T. 1. p. 348. F. Ib. pag. 351. A.

S. quoque Aug. l. 3. de origine animæ c. 9. *Noli*, inquit, *credere, nec dicere, nec docere, infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et Epist. 166. alias 28. ad Hieronymum: *Quisquis dixerit, quod in Christi vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto, & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat* T. 10. p. 379. C. T. 2. p. 591. B.

Eccle-

Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur, quia fine dubio creditur aliter eos in Christo omnino vivificari non posse.

Magistro suo subscribunt fidelissimi discipuli, Fulgentius, & Prosper.

S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 27. *Firmissime tene*, inquit, *& nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine Sacramento sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris &c. de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.*

Ed. Par. 1684. p. 527.

S. Prosper l. 2. de Vocatione Gentium c. 20. agens de multitudine infantium qui non recipiunt Baptismum, quamvis Deus velit omnes salvos fieri, affirmat nihilominus eos æterna vita privari: *Quid hoc profundius*, inquit, *quid mirabilius esse potest? Neque enim credi fas est, eos qui regenerationis non adepti sunt Sacramentum, ad ullum Beatorum pertinere consortium.*

Ed. post. p. 908. E.

Denique perpetuam hanc Ecclesiæ fidem suo suffragio confirmarunt quatuordecim Episcopi Græci in Concilio Diospolitano, teste Augustino Epist. 186. ad Paulinum, alias 106. c. 9. Latini in Concilio Carthaginensi, qui scribunt Innocentio S. Pontifici de Actis adversus Pelagium Epistolam, quæ inter Augustinianas est n. 175. alias 90.

T. 2. p. 674. Ib. p. 619.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex usu, & praxi Ecclesiæ perpetua, ac generalibus quibusdam momentis.

I. Ex perpetuo, & constanti Baptismatis usu in Ecclesia semper observato, firmissimum ejus necessitatis absolutæ argumentum deducitur. Fides quippe nostra non modo ex Scriptis Veterum quæ supersunt, sed etiam ex praxi, usu, & factis ipsis, in quibus viva quædam ac spirans traditio continetur, validissime comprobatur. Sic probabat olim S. Aug. gratiæ necessitatem adversus Pelagianos, ex precibus quæ toto terrarum Orbe ad Deum semper fusæ sunt, usu & praxi nunquam interrupta; quod unum momentum, etsi cetera deessent, satis esset fidei nostræ veritati demonstrandæ. *Ipsa ratio*, inquiebat Ep. 177. ad Innocentium S. Pontificem, alias 95. *clarissima est gratiæ testificatio.* Non alia igitur ratione duci potuit Ecclesia in constanti & perpetua Baptismi administratione, quam quod illum ex Christi instituto ac præcepto omnibus & singulis ad salutem omnino necessarium esse intellexit.

T. 2. p. 623. G.

II. Constantis & ubique receptæ fidei certius non est argumentum, quam erroris oppositi, ubi primum caput extollit, publica proscriptio & damnatio; at statim proscripti sunt & pro Hæreticis ab Ecclesia habiti, qui necessitatem Baptismi variis temporibus impugnavere: secundo sæculo Cajani & Quintiliani; Manichæi tertio; Ascodrutæ, Archontici, Seleuciani & Hermiani quarto; Pelagiani quinto; & alii, qui deinceps veteres ac jam sopitos errores excitarunt.

III. Constans semper fuit Ecclesiæ doctrina & praxis, infantes baptizari posse & debere, ut a labe originali purgati Regni cælestis & vitæ æternæ participes fieri possent. Constat ex S. Cypriano Epist. ad Fidum, ex Concilio Carthaginensi & Milevitano apud S. Aug. Epist. 175. & 179. alias 90. & 92. ubi Patres Pelagianorum errores exponentes, ajunt: *Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos*

dos negant, ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant. Censent igitur Patres illi, idcirco baptizandos esse parvulos, quia salutem alia via non possunt assequi; seu, ut loquitur S. Aug. citata ad Hieronymum Epistola: *quia creditur aliter eos in Christo vivificari non posse.* *T. 2. p. 619. F.* *Ib. p. 552 B.*

IV. Etsi statuta quædam forent tempora ad sollemnem Baptismi administrationem, semper tamen provisum est ab Ecclesia, ut in periculo mortis & urgente necessitate, quæ legem nescit, sive infantibus, sive adultis in lecto ægrotantibus, quolibet tempore per Sacramentum Baptismi subveniretur. Ita colligimus ex Conciliis antea citatis, Romano sub Cornelio Neocæsarienſi can. 12. Antissiodorensi can. 18. Matisconensi II. can. 3. Parisiensi VI. can. 7. Ex S. Cypriano Epist. ad Magnum, ex Siricio Epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum, ex S. Leone Epist. 4. ad universos Episcopos per Siciliam constitutos: unde gravissimi peccati rei habebantur Sacerdotes, qui sine Baptismi subsidio aliquem ex hac vita migrare permittebant. Rationem affert Siricius mox laudatus. *Ne*, inquit, *ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo, & regnum perdat, & vitam.* *T. 2. Con. p. 1018. D.*

Atque inde est, quod S. Aug. Ep. 228. alias 180. ad Honoratum, & alii Veteres cum ipso ignavos illos Pastores tam graviter exagitent, qui persecutionis tempore fugientes, ut vitæ suæ consulant, miseras oves curæ suæ commissas derelinquunt, & omni ope spirituali ac Sacramentorum subsidio destitutas periculo damnationis æternæ exponunt. Inde quoque Episcopi ad martyrium rapti tantum sui desiderium suis populis relinquebant, nimirum propter spiritualem, quam ab ipsis per Sacramenta expectabant opem. Sic audire est Fideles Africanos, suos Pastores dum ad martyrium ducerentur, alloquentes apud Victorem Vitensem lib. 2. de persecutione Vandalica? *Quibus nos*, inquiunt, *miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi?* *T. 2. p. 381. & seq.* *Bibl. PP. T. 8. p. 682. A. B*

V. Veteres eorum semper negligentiam damnarunt, qui ad finem usque vitæ Baptismum suum differebant; atque ejuscemodi in lecto baptizatos, in pœnam dilationis & negligentiæ, irregulares habuerunt ad sacros Ordines percipiendos, ut constat ex testimoniis supra relatis, ubi de antiquitate & necessitate trinæ immersionis agebamus Conclusione prima, & in solutione ad primam Objectionem. At, quæso, quo fundamento nixæ istæ querimoniæ, nisi quod per hanc dilationem exponerent sese periculo carendi Baptismo ad salutem plane necessario?

VI. Denique, non alia de causa ipsis laicis, etiam mulieribus, permisit Ecclesia in mortis periculo Baptismum administrare, quam quod eum absolute ad salutem necessarium esse semper judicavit.

Igitur hac inspecta & bene explorata Ecclesiæ totius fide, & nunquam interrupta Traditione, Concilium Trid. Sess. 7. can. 5. sic definit: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.* Et can. 2. de ista Christi apud S. Joann. cap. 3. sententia: *Nisi quis renatus fuerit &c. Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque adeo verba illa Domini: Nisi quis renatus fue-* *Tom. 14. Conc. p. 778. C. Ibid. A.*

fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c. ad metaphoram detorſerit, anathema ſit.

Jam in Concilio Lugdunenſi ann. 1274. & in Florentino ann. 1439. definierat Eccleſia, *illorum animas, qui cum ſolo originali peccato decedunt* (adeoque ſine Baptiſmo) *mox in infernum deſcendere*. Igitur Eccleſia ſemper credidit Baptiſmum omnibus & ſingulis hominibus abſolute neceſſarium eſſe ad ſalutem.

Tom. 13. Conc. p. 515. D.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Ex citatis toties Chriſti verbis Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* inferri dumtaxat poteſt, neceſſarium eſſe Baptiſmum neceſſitate præcepti, non medii. Neceſſitas autem præcepti eos tantum obſtringit, qui præcepti ſunt capaces, adultos ſcilicet, non vero infantes.

Antec. probatur: Quia illud neceſſarium eſt ſola dumtaxat præcepti neceſſitate, cujus neceſſitas tota pendet ab inſtitutione & mandato Chriſti, non vero ab interna rei ipſius natura & conditione; in hoc enim ſtat totum diſcrimen neceſſitatis medii & præcepti. Sic v. g. neceſſitas fidei & gratiæ ſanctificantis ad obtinendam ſalutem æternam, abſoluta eſt, ac ſimplex, ſeu medii, quia ex ipſamet natura & conditione fidei & gratiæ ſanctificantis naſcitur: atqui neceſſitas Baptiſmi & aliorum Sacramentorum tota pendet ex libera Dei voluntate: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ex ſola quippe Dei voluntate, ac inſtitutione fit, quod aliqua Sacramenta abſolute ſeu neceſſitate medii; alia vero ex præcepto dumtaxat ſint neceſſaria.

Inſt. 1. Neceſſitas præcepti tam pendet ab una Dei voluntate, ac inſtitutione, quam neceſſitas medii, & tam reus eſt peccati & a vita æterna excluditur, qui præceptum violat, quam qui medium ſalutis omnino neceſſarium omittit; & ita ſi ad unam Dei inſtituentis voluntatem recurratur, confunditur neceſſitas medii cum neceſſitate præcepti.

Reſp. nego conſeq. Res quippe neceſſaria neceſſitate medii ex ipſa etiam Dei voluntate includit eum gratiæ interioris effectum, ſine quo ſalus obtineri non poteſt, ut diximus inter Prænotata; talia ſunt Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ. Non ita porro eſt de rebus ex præcepto dumtaxat neceſſariis: quapropter non confunditur neceſſitas medii cum neceſſitate præcepti, etiam ex ipſamet Dei inſtituentis voluntate. Deinde in eo etiam diſtat neceſſitas medii a neceſſitate præcepti, quod præceptum Dei poſitivum pro quolibet inſtanti non obligat, ſed certo dumtaxat tempore: quare violati præcepti ille reus tantum habetur, quando præceptum non obſervat, quo tempore tenetur illud obſervare. Econtra quod neceſſarium eſt neceſſitate abſoluta & medii, ſemper obligat.

Inſt. 2. Quod neceſſarium eſt neceſſitate medii, nuſquam ſuppleri poteſt: in eo non excuſat aut ignorantia, aut impotentia; ſine eo re aut voto ſaltem percepto ſalus haberi non poteſt: atqui talis non eſt Baptiſmus; ſuppleri etenim poteſt per martyrium & perfectam contritionem; in eo excuſat ignorantia, aut impotentia: qui enim aut invincibiliter ignoraret mandatum & inſtitutionem Baptiſmi, aut in iis eſſet anguſtiis, in quibus eum non poſſet percipere, illi profecto defectus Baptiſmi ad culpam non imputaretur. Igitur ſine eo re percepto, imo & ſine

sine ipsius voto, ac desiderio potest quis salvus esse: qui enim nihil unquam de lege Baptismi audivisset, ac laboraret ea in re invincibili ignorantia, ille certe Baptismi votum seu desiderium elicere non posset: si tamen Deum super omnia charitate perfecta diligat, salutis æternæ particeps erit. Infantes pariter hujus voti sunt incapaces.

Major argumenti manifesta videtur in exemplo fidei & gratiæ sanctificantis, quæ suppleri nullatenus possunt, & sine quibus re perceptis salus obtineri non potest; quia scilicet necessariæ sunt necessitate medii, seu absoluta.

Resp. ad primum, dist. Quod necessarium est necessitate medii, suppleri non potest per aliud, si sit medium internum salutis, qualis est fides & gratia sanctificans, concedo: si sit medium dumtaxat externum, qualia sunt Sacramenta, nego. Ista quippe media pendent a libera Christi instituentis voluntate, qui ea ordinavit ad obtinenda media interna salutis: cum igitur media illa interna salutis alia via possunt obtineri, media externa tunc suppleri possunt; virtus enim Christi non est necesario illis exterioribus signis alligata: ita suppleri potest Baptismus per martyrium & perfectam contritionem. Vide quæ diximus inter Prænotata.

Ad secundum: Ab eo, quod est necesarium necessitate medii, non excusat aut ignorantia aut impotentia; a lege autem Baptismi excusat aut ignorantia aut impotentia, distinguo: a lege Baptismi sub ea ratione qua mandatum includit, excusat aut ignorantia aut impotentia; ideſt, qui invincibiliter ignorat Baptismum, aut non potest ex vera impotentia, secluso contemptu & negligentia eum percipere, ille reus non est violati mandati, neque præcise damnabitur propter transgressionem illius, verum est: at æternæ damnationis reus est ille tum negative, propter defectum gratiæ regenerantis; tum positive, propter peccatum originale, vel etiam actuale non dimissum.

Ad tertium: Potest quidem sine Baptismo in re percepto per martyrium aut perfectam contritionem quis salvus esse, sed non sine voto seu desiderio Baptismi saltem implicito, quod in charitate perfecta semper includitur. In eo quidem qui invincibiliter ignoraret Baptismi legem, explicitum esse non posset Baptismi votum: sed implicitum eo in casu sufficeret, quod a charitate perfecta sejungi non potest: in eo vero, qui legem Baptismi cognosceret, explicitum votum requireretur.

Inst. 3. In casu mox propositio Baptismi votum non magis necesarium videtur, nec magis includitur in contritione perfecta, quam cujuscumque alterius mandati Christi; certum enim est eum qui Deum super omnia charitate perfecta diligit, ita debere animo affectum esse, ut omnia Christi mandata, ubi ea noverit, & adimplendi facultas dabitur, velit adimplere.

Resp. revera in casu propositio Baptismi votum, quod supponitur tantum implicitum, non magis includi in illa contritione perfecta, quam cujuscumque alterius Christi mandati, adeoque non magis videri necesarium; verum id per accidens est respectu Baptismi in eo casu singulari. Cum enim docent Theologi, votum seu desiderium Baptismi saltem necesarium esse, loquuntur ex hypothesi quod promulgata sit & cognita lex Baptismi; quo casu docent, premente impotentia, saltem Baptismi desiderium seu votum explicitum habendum esse, quia Christus pro sua benignitate & clementia voluit, ut iis in angustiis sincerum Baptismi votum

junctum cum perfecta contritione, Baptiſmi ipſius vices & locum ſuppleret. Aliorum quidem mandatorum Chriſti votum generale & implicitum ſemper neceſsarium eſt, quod ut diximus, a perfecta contritione non ſejungitur; neque idcirco dicendum, mandata illa omnia, aut res, quæ in mandatis habemus, eſse in voto abſolute neceſsarias. Inter Prænotata enim obſervavimus, diſcrimen eſse inter iſta duo, nempe votum rei alicujus eſse neceſsarium, & rem neceſsariam eſse in voto: prius ſignificat voluntatem obſervandi rem præceptam eſse neceſsariam, quod verum eſt; poſterius, rem præceptam tantæ neceſsitatis eſse ad ſalutem, ut ſi non reipſa, ſaltem voto & deſiderio haberi debeat, quod non ſemper verum eſt, in illis præſertim rebus, quæ ex ſolo præcepto ſunt neceſsariæ, nec continent medium ad ſalutem abſolute neceſsarium: non tantum autem neceſsarium eſt votum Baptiſmi, ſicut & aliorum rerum quæ ſub præceptum cadunt, ſed neceſsarius etiam eſt Baptiſmus ipſe in voto ſeu deſiderio.

Inſtabis 3. Si vi iſtorum Chriſti verborum: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* inferatur Baptiſmum neceſsarium eſse neceſsitate medii, inferri quoque poterit, eum æqualis neceſsitatis eſse, ac gratiam ipſam Spiritus ſancti, ac conſequenter ſine eo re percepto nuſquam poſse obtineri ſalutem; ſicut non poteſt obtineri ſine gratia ſanctificante actu recepta. Antecedens probatur, quia Scriptura utrumque per copulativam *&*, conjungit, *ex aqua & Spiritu.*

Reſp. nego ant. ejuſque probationem: particula enim copulativa *&*, non ſemper demonſtrat parem eſse rerum, quas conjungit, neceſsitatem. Sic v. gr. Act. 15. v. 20. de Gentibus S. Jacobus ait, neceſse eſse, *ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine.* An dicet quis parem omnino eſse neceſsitatem abſtinendi ab idololatria, fornicatione, & a ſanguine & ſuffocatis? abſit: idololatria enim & fornicatio intrinſece ex ſe malæ ſunt, nec ullo unquam honeſto fine poſsunt cohoneſtari; unde jure ipſo naturali prohibentur: at abſtinentia a ſanguine & ſuffocatis per ſe nec bona eſt, nec mala, ſed plane indifferens, & ex iis rebus, quæ pro variis temporum circumſtantiis, aut licitæ ſunt aut prohibitæ; & reipſa lex illa ab Apoſtolis lata perpetua non fuit, ſed ad tempus: igitur ex ſubjecta materia judicari debet, an particula *&*, conjungat res æqualiter neceſsarias. Porro in adducto teſtimonio Joan. 3. particula *&*, res diverſas omnino conjungit, nempe interiorem Spiritus ſancti gratiam, quæ ex propria natura abſolute eſt neceſsaria; & exteriorem Baptiſmi ritum, qui aliquando poteſt ſuppleri. Merito tamen particulam *&*, adhibuit ſacer Contextus, quia lege ordinaria neceſsarius eſt Baptiſmus ad aſsequendam Spiritus ſancti gratiam; & ſi loco particulæ *&*, disjunctivam *vel*, poſuiſset, ſuſpicari quis forte potuiſset alterutrum e duobus eſse tantum neceſsarium, aut Spiritum, aut aquam, cum tamen utrumque exigatur, unum tamquam medium internum, alterum vero externum.

Inſtabis 4. Non magis ex iſtis verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* colligi poteſt abſoluta Baptiſmi neceſsitas, quam ex iſtis: *Niſi manducaveritis Carnem, & biberitis Sanguinem &c.* colligatur abſoluta neceſsitas Euchariſtiæ.

Reſp.

Resp. nego maj. & parit. Disparitas non aliunde repeti debet, quam ex sola Christi voluntate nobis in Scripturis & Traditione Ecclesiæ declarata, qua constat Baptismum semper judicatum fuisse necessarium absolute ad salutem, non vero Eucharistiam: quare? quia sic voluit & instituit Christus. Aliunde vero discrimen utriusque indicare videtur diversa loquendi ratio Scripturæ: de Baptismo enim absolute & indefinite: *Nisi quis renatus fuerit*, qua significat Baptismi legem ad omnes & singulos pertinere; de Eucharistia vero: *Nisi manducaveritis*, qua solos adultos præcepti capaces Eucharistiæ lege teneri non obscure innuit.

Instabis 5. Auctores etiam catholici verba citata: *Nisi quis renatus fuerit &c.* ad solos adultos restringunt, qui sunt præcepti capaces, & quos reos facit non ipsa præcise Baptismi privatio, sed contemptus præcepti Christi. Ita Magister Sententiarum lib. 4. dist. 4. lit. E. ait verba Christi citata ad eos pertinere, qui possunt, & contemnunt baptizari. Ita pariter Hugo a S. Victore lib. 1. de Sacramentis cap. 13. relatis istis S. Augustini verbis ex lib. 4. contra Donat. c. 22. *Tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit*; addit verba citata: *Nisi quis renatus fuerit &c.* sic restringenda esse: *Si quis renasci contempserit*. Idem fere docet S. Bonav. in 4. dist. 4. par. 2. art. 1. qu. 1. *T. 9. p. 139. D.*

Sunt præterea non pauci, qui de divina misericordia tam bene sperant, ac confidunt, ut infantes sine Baptismo ex hac vita rapti, in gratiam pietatis parentum, aut a damnatione liberent, aut etiam felicitate quadam naturali donandos contendant, ut Cajetanus, Gabriel, Gerso, Durandus, Pighius, Catharinus, Cardin. Sfondratus, quos initio hujus Disputationis appellavimus.

Resp. ad primum: Nego, citatos Auctores verba ista Christi: *Nisi quis renatus fuerit &c.* ad solos adultos restringere; nec satis mirari possumus qua fronte audeant adversarii nobis Magistrum Sententiarum opponere. Ille quippe loco in Objectione citato sic loquitur: *Non tantum valet fides aliena parvulo, quantum propria adulto. Parvulis enim non sufficit fides Ecclesiæ sine Sacramento; quia si absque Baptismo fuerint defuncti, damnabuntur, sicut multis Sanctorum auctoritatibus comprobatur*. Antea dixerat, verba citata: *Nisi quis &c.* esse intelligenda, vel de iis qui possunt & contemnunt baptizari; vel de regeneratione, quæ fit per aquam & Spiritum sanctum, quæ regeneratio fit non tantum per Baptismum, sed etiam *per pœnitentiam, & sanguinem*; quibus verbis non obscure declarat, Baptismum aquæ, etsi necessarium, suppleri tamen posse per martyrium, & pœnitentiam. Idem plane docent Hugo Victorinus, & S. Bonaventura.

Ad secundum: Eorum Auctorum sententia, quæ plane singularis est, rejicienda est; quæ nec in Scripturis, nec Traditione Ecclesiæ fundamentum habet, a quibus immotis regulis nulli Catholico fas est unquam recedere. Vide supra, initio hujus Quæstionis, judicium Bellarmini de hac illorum Scholasticorum opinione.

Instabis 7. Non desunt apud veteres Ecclesiæ Patres argumenta quibus ostenditur non tantam ipsis visam esse Baptismi necessitatem, quantam hic defendimus.

I. Veteres illi Orientales, & Africani, qui tanto studio adversus Ste-

phanum S. Pontificem contendebant Baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse, rati quæstionem hanc non ad fidem, sed ad disciplinam pertinere, unicuique permittebat sentiendi quid vellet licentiam; atque œconomia, & dispensatione interdum utebantur, ut non rebaptizarent, qui ab aliquibus Hæreticis baptizati fuerant, quamquam nullum illi judicarent talem Baptismum. Ita colligimus ex S. Basilio Can. 1. Epistolæ ad Amphilochium. Ipse quoque Cypr. Epist. 73. ad Jubajanum
P. 128. solvens istam objectionem: *Sed dicet aliquis: Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt?* Respondet: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos, qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Porro si Veteribus illi persuasum fuisset, Baptismum absolute necessarium esse ad salutem, an quæstiones validitatis Baptismi Hæreticis dati, non fidei esse, sed disciplinæ dixissent? An non iterassent semper eum Baptismum, quem nullum judicabant? An non declarassent a Regno Cælorum extorres, qui sine vero Baptismo ex hac vita migrassent?

II. Constat ex Historia Ecclesiastica, plurimos viros, quorum memoriam veneratur Ecclesia, pluribus annis in Catechumenatu vixisse, aut etiam extremo tantum vitæ tempore Baptismum percepisse.

Ita de Constantino Imperatore narrat Eusebius in ejus vita cap. 62. quem sequuntur S. Hier. in Chronico, Socrates lib. 1. cap. 39. & alii: S. quoque Ambrosius cum adhuc esset Catechumenus, ad Episcopatum assumptus est. S. etiam Martinus dicitur octo annis vixisse in Catechumenatu: at si viris illis persuasum fuisset Baptismum tantæ necessitatis esse, an per tot annos eum distulissent viri aliunde suæ æternæ salutis adeo solliciti?

III. Constat Ecclesiam pro Catechumenis sine Baptismo defunctis olim preces, & Sacrificia Deo obtulisse, ut colligimus ex S. Ambrosio Oratione funebri pro Valentiniano Imperatore, ex Conc. II. Arelatensi an. 452. can. 12. ex Conc. Carthaginensi IV. ann. 398. can. 79. ex Innocentio III. Extra, *De sententia excommunicationis* cap. 28.

Resp. nego ant. His quippe argumentis hoc unum efficitur, quod ultro fatemur, existimasse Veteres votum Baptismi aliquibus in casibus ad salutem sufficere.

Ad primum: Non idcirco Veteres excitatam de Baptismo Hæreticorum controversiam ad disciplinam pertinere, & in ea dispensationis, & œconomiæ locum esse censuerunt, quod ignorarent absolutam esse Baptismatis necessitatem, sed quod cum illa quæstio nondum esset eliquata & totius Ecclesiæ judicio definita, posset unusquisque, salva unitate & pace, sentire & facere quod vellet. Unde S. Basilius, aliique, qui S. Cypriano adhærebant, etsi recte nossent, Baptismum absolute necessarium esse, & apud Hæreticos nullum esse, tamen ex prudenti œconomia, aliquando baptizatos ab Hæreticis non rebaptizarunt, rati in ejusmodi circumstantiis divinam non deesse misericordiam; atque ejusmodi Hæretici ad Ecclesiæ unitatem sincero corde redeuntibus sufficere ad salutem Baptismi desiderium, unitatem Ecclesiæ, ac perfectam cordis conversionem.

Non raro Veteres in casu necessitatis, aut in dubio de validitate Baptismi, ad misericordiam Dei confugiunt, ut sine accepto in re Sacramento,

de

de salute alicujus bene sperent atque confidant. Sic S. Dionysius Alexandr. annuere recusavit votis alicujus senis, qui jam a longo tempore in Ecclesia receptus & Sacramentorum particeps factus, confessus tamen fuerat, se vero Ecclesiæ Baptismo tinctum non fuisse, quique enixe postulabat, ut iterum baptizaretur ; non annuit, inquam, ejus postulationi S. Dionysius. Quare? quia nempe existimavit in his circumstantiis diuturnam cum Fidelibus communionem, & participationem Sacramentorum sufficere ad salutem illius hominis. Ita pariter Innoc. III. consultus ab Episcopo Cremonensi de quodam Presbytero defuncto, qui baptizatus non fuerat, respondet: *Presbyterum, qui sine unda Baptismatis extremum diem clausit, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fidei & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum & cælesti patriæ gaudium adeptum esse.* Ita etiam, qui olim post actam semel publicam pœnitentiam, iterum se iisdem implicabant gravioribus delictis, divino relinquebantur Judicio, nulla ipsis imposita publica, vel etiam privata pœnitentia, non ex desperatione veniæ, sed ad rigorem disciplinæ. *Apud Euseb. Hist. Li. 7. c. 9.*

Ad secundum: Ex factis quibusdam particularibus efficax non colligitur argumentum; quia occurrere potuere quædam rationes, ac circumstantiæ, propter quas viri illi sancti absque peccato Baptismum in plures annos differre potuerunt, nempe ut diutius ac maturius sese ad illius gratiam percipiendam præpararent per opera pietatis, & pœnitentiæ: quamquam non desunt inter Veteres, in primis S. Greg. Nazianz. qui acriori stilo insurgunt adversus eos, qui Baptismum suum ad extremam usque senectutem protrahebant.

Ad tertium: Non una fuit Ecclesiæ disciplina circa preces, & Sacrificia, quæ in gratiam Catechumenorum sine Baptismo defunctorum offerebantur: in aliquibus enim Ecclesiis in pœnam dilati Baptismatis ejusmodi suffragia denegabantur, ut ex dicendis ad Articulum sequentem constabit; in aliis vero concedebantur, quia persuasum erat ejusmodi Catechumenos casu inopinato ex hac vita raptos, per votum Baptismi salvari, & Fidelium precibus juvari posse.

Instabis 6. Nonnulli ex SS. Patribus aperte affirmant, neminem, exceptis solis Martyribus, sine Baptismo reipsa percepto, salvum fieri posse, quacumque tandem necessitate teneatur.

Sanctus Ambrosius Libr. 2. de Abraham cap. 11. post relata verba Christi Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c. Nullum excipit*, ait, *non aliqua præventum necessitate*. Et Libr. de Mysteriis capit. 4. *Credit* inquit, *Catechumenus in Crucem Domini Jesu, qua & ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.* *T. 1. p. 351. A.* *T. 2. p. 330. B.*

S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 3. iisdem Christi verbis Joan. 3. adductis addit: *Absque Sacramento Baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia Catholica sine Baptismate pro Christo Sanguinem fundunt, nec Regnum Cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam.* P. 519. n. 41.

Gennadius lib. de Eccles. dogmat. c. 41. alias 74. *Baptizatis tantum*, ait, *iter esse salutis credimus. Nullum Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credamus, excepto martyrio, ubi tota Baptismi Sacramenta complentur.* *T. 8. Op. S. Aug. in append. p. 79. D.*

Resp. 1. Objectionem hanc inferius solvendam esse, ubi quæstio erit, an perfecta contritio votum Baptismatis includens, vices ejus ac locum supplere possit.

Resp. 2. Non sine consilio, nonnullos e Veteribus frequenter non insinuasse, votum Baptismi ex contritione perfecta ad salutem in necessitate sufficere, ne scilicet favere viderentur eorum pravæ consuetudini, qui ex negligentia, vel alio quocumque motivo, Baptismum ad extremum usque vitæ tempus differebant.

Resp. 3. Ad S. Ambrosium, eum in adversa prorsus sententia fuisse, qui Valentinianum Imperatorem solo Baptismi voto salutem animæ assecutum fuisse confidit. Verba postea proferemus. Quod autem ex Libro de Mysteriis hic opponitur, de iis intelligenda sunt, qui vel ex negligentia, vel quod pejus esset, ex contemptu Baptismum non perciperent.

Non aliter exponendus S. Fulgentius, aut deferendus; quemadmodum & ipse Gennadius.

Objic. 2. Pueri Fidelium salvi fiunt per solam fidem parentum: ergo Baptismus non est absolute necessarius.

Antec. probatur: Quia non minorem vim & efficaciam habet fides in Lege gratiæ, quam in Lege naturæ & Mosis; eadem enim est quoad substantiam, easdemque habet sibi in Scripturis annexas promissiones: atqui in Lege naturæ, & Mosis fides parentum & Ecclesiæ salvos faciebat infantes, qui sine Circumcisione, vel alio remedio exteriori applicato ex hac vita migrabant. Ita expresse docent SS. Greg. Magnus l. 4. Moral. c. 2. Bernardus Ep. 77. ad Hugonem de S. Victore, & alii quorum sententiæ subscripsimus in Tractatu de Sacramentis in genere qu. 2. art. 2. concl. 2. ergo &c.

Major videtur certa: alias fides in nova Lege, & infantes Fidelium Christianorum deterioris longe forent conditionis, quam fuerint in Lege naturæ aut Mosis.

Resp. 1. nego min. Sicut enim in Lege naturæ & Mosis necesse fuit (in sententia multorum) fidem aliquo signo exteriori tamquam conditione manifestari; ita nunc, Deo sic volente, necesse est aquam, tamquam causam instrumentalem gratiæ usurpari.

Resp. 2. Esto antiquitus seu retro suffecerit *fides nuda*, ut loquitur Tertullianus solvens eamdem objectionem a Cajanis, & Quintillianis olim propositam, Lib. de Baptismo cap. 13. at postquam *lex tingendi* P. 229, D. *data est, & forma præscripta*, obstricta est fides ad Baptismi necessitatem. Non itaque minoris est virtutis & efficaciæ fides nostra, quam Veterum; sed fidei additum est Baptismi mandatum: & quemadmodum lex moralis, licet non sit minoris efficaciæ in viro religioso quam in sæculari, illi tamen non sufficit ad salutem, nisi & consilia, ad quæ se obstrinxit, observet; ita pariter etsi fides nostra tam efficax sit ex se, quam fides Veterum, quia tamen annexum jam habet Baptismi mandatum, sine illo ad salutem non sufficit.

Neque inde sequitur deteriorem esse conditionem fidei & infantium in nova Lege: imo multis titulis melior est. 1. quia fides jam longe facilior & communior, longe abundantior gratia, quam fuerit in Lege naturæ vel Mosis. 2. salus infantis non jam a fide parentum, sed ab ipsa Sacra-

cramenti applicatione pendet, secluſa miniſtrantis fide & probitate. 3. quia Baptiſmus ſtatim ab ipſa nativitate poteſt infantibus miniſtrari; in Lege autem Moſis circumcidi ante octavum a nativitate diem infans non poterat. 4. multis & infinitis pene legalibus præceptis, ac cæremoniis gravati erant & obruti Judæi, quibus nos per Chriſtum liberi facti ſumus. 5. denique, Veteribus nondum patebat cælum; nobis vero, poſtquam Chriſtus aſcendens in altum ſecum captivam duxit captivitatem, jam apertum eſt: longe igitur potior eſt noſtra conditio, quam Veterum.

Inſtabis 1. Quod antea ſufficiebat & poſtea vero non ſufficit, videtur deterioris eſſe conditionis, atqui in veteri Lege ſufficiebat fides, jam vero non ſufficit: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Quod antea ſufficiebat & poſtea non ſufficit propter imminutionem virtutis, deterioris eſt conditionis, concedo: propter additionem Sacramenti, nego. Porro fidei virtus non eſt imminuta, ſed fidei additum eſt Baptiſmi mandatum.

Inſtabis 2. Ex S. Auguſtino parentum fides prodeſt infantibus ad ſalutem obtinendam: *Ut poſſit*, inquit Ep. 98. alias 23. ad Bonifacium, *regenerari* (parvulus) *per officium voluntatis alienæ, cum offertur conſecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus*. Ita pariter S. Bern. Epiſt. 77. ſeu Tract. de Baptiſmo: *Dignum*, inquit, *& ad Dei ſpectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodeſſe concedat alienam. Nec enim Omnipotentis juſtitiam propriam putat ab iis exigendam fidem, quos novit propriam nullam habere culpam. Porro aliena opus eſt fide, cum ſine ſorde non naſcantur aliena... Nec dubium, quod macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat vel debeat emundari.* T. 2. p. 264. B. T. 1. p. 630. E.

Reſp. diſt. ant. Parentum fides prodeſt infantibus, cum Sacramento Baptiſmi: *Cum offertur conſecrandus*, ait S. Aug. concedo: ſine Sacramento, nego. Nihil aliud volunt Aug. & Bernardus locis citatis, quam in parvulis neceſſariam non eſſe fidem actualem, cujus ſunt incapaces; ſed illam ſuppleri ex Dei benignitate per fidem Eccleſiæ & parentum, qua illi moventur, ut infantes baptizandos miniſtris Eccleſiæ offerant. Unde ſuſceptores pro iis ad ſingula interrogata, reſpondent: *Credo, abrenuntio &c.*

Inſtabis 3. Tam poteſt infantibus Fidelium prodeſſe ad ſalutem aliena parentum fides, quam iis nocere ad damnationem alienum Adami peccatum.

Reſp. nego maj. 1. Quia in rebus, quæ a ſola Dei voluntate pendent, non alia inquiri debet ratio, quam ejus voluntas. Porro noluit Chriſtus infantes per ſolam parentum fidem ſine Baptiſmo ſalvos fieri. 2. Diſparitas eſt, quia peccatum primi parentis non eſt plane extrinſecum & alienum reſpectu illorum infantium, ſed illis proprium & internum; quia etſi ſolus Adamus proprio & perſonali voluntatis motu peccaverit; omnes tamen ejus poſteri in eo jam tum incluſi, in eo quoque peccaverunt, ut ait Apoſtolus Rom. 5. v. 12. Adeoque peccatum Adami proprium eſt naturæ totius humanæ, ſeu omnium filiorum ejus.

At vero fides parentum omni ſenſu externa eſt, & aliena reſpectu infantium: & ſicut infantibus non noceret parentum malitia & impietas, qua eos dæmoniacis ſacrilegiis obligarent, ita ſola ſine Sacramento iis ad ſalutem non prodeſt fides parentum: quia, ut ait S. Aug. Epiſtola

T. 2. p. 264. A. mox citata 98. *Cum homo*, non jam in lumbis peccantis, *sed in seipso est, ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius* ... sed *anima quæ peccaverit ipsa morietur.*

Instabis 4. Potest adultus per fidem propriam, & actualem sine Sacramento re percepto salvus fieri : quidni ergo infans per fidem alienam parentum ?

Resp. 1. ut supra, solam hic consulendam esse Dei voluntatem . 2. Adultus non salvus fit per solam fidem, sed per charitatem perfectam, qua formaliter homo justus redditur; charitas autem illa seu gratia sanctificans non obtinetur, nisi vel per Sacramenta, vel per proprios actus voluntatis ex divino & supernaturali auxilio elicitos; at infantes incapaces sunt illorum actuum personalium.

Instabis 5. Sequitur ex hac doctrina, innumeros sine sua culpa perire parvulos, qui sine Baptismo moriuntur, quod certe parum videtur consentaneum divinæ misericordiæ, ac voluntati, qua vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Resp. cum S. Augustino l. de Dono persev. c. 12. & S. Prospero l. 2. de Vocatione Gentium cap. 8. Dei judicia occulta esse, sed justa in damnatione tot infantium, qui sine Baptismo moriuntur. Non enim damnantur illi præcise propter defectum Baptismi, sed propter culpam originalem, quam nascendo contraxerunt, & quæ non deleta per Baptismum, eos æternæ damnationis reos efficit: misericordiæ autem divinæ mensura non alia debet æstimari, quam quæ in Scripturis, & Traditione expressa nobis est . Stat quoque Dei antecedens voluntas de salute omnium, cum damnatione illorum infantium sine Baptismo morientium; siquidem ex voluntate illa antecedenti, & sincera præparavit omnibus media necessaria ad salutem : sed illius voluntatis virtute non tenetur Deus invertere cursum causarum secundarum, ut procuret omnibus infantibus, antequam moriantur, applicari remedium Baptismatis; istud enim pertinet ad voluntatem, ut vocant, consequentem, ex qua alios vult perire propter labem originalem, alios vero vult salvos esse per Baptismum: cur autem illos potius, quam alios eligat: *O altitudo!*

Instabis 6. Gen. 17. ver. 7. Deus inito cum Abrahamo fœdere, promisit se futurum ipsius Deum, & seminis ejus ; quæ quidem promissio ad nos etiam Fideles spectat, ut testatur Apostolus Rom. 4. & 11. & Galat. 3. Sicut igitur Judæorum filii incircumcisi morientes, per fidem parentum salvi esse poterant, quia stante illo fœdere nati erant ; ita quoque & filii Christianorum, qui ex hac vita rapiuntur ante perceptum Baptismum.

Confirmatur ex Apostolo 1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus est*, inquit, *vir infidelis per mulierum fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Docet igitur Apostolus, filium ex uno tantum parente fideli progenitum idcirco sanctum esse, quia in illo fœdere gratiæ, ac fidei Christianæ nascitur.

Resp. nego cons. 1. quia certum non est filios Judæorum incircumcisos salvari potuisse per solam fidem parentum, sine ullo Sacramento seu signo exteriori . 2. quia etsi Deus ita decrevisset in veteri Lege, non consequens est, eum idem quoque in nova statuisse ; imo certum est

legem

legem Baptismi positam ab eo fuisse: in his autem rebus non alia inquiri ratio debet, quam voluntas Dei: *O homo tu, quis es, qui respondeas Deo?* inquit Apostolus, Rom. 9. v. 20. Pactum autem illud quod Deus cum Abrahamo pepigit, ad omnes quidem ejus posteros pertinet: *Non qui filii carnis*, inquit Apostolus Rom. 9. v. 8. *sed qui filii sunt promissionis*; idest, qui parentis Abrahæ fidem imitantes, participes sunt promissionum, quæ ipsi factæ sunt: seu, ut loquitur c. 4. v. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex Lege est solum, sed & ei, qui ex fide est Abrahæ*. Porro infantes fideles non evadunt in nova Lege, nisi per Baptismum, qui Sacramentum est fidei.

Et vero si fœdus illud gratiæ, in quo nascuntur infantes Fidelium, eos sanctificaret, nullum posset assignari instans, in quo peccatum originale contraherent; generantur enim in illo fœdere, sicut nascuntur.

Ad confirmationem: non loquitur Apostolus de formali, & immediata sanctificatione, quasi eo ipso formaliter infidelis sanctus sit, quod cum fideli cohabitet, sed de sanctificatione quasi præparatoria, & educationis, quia nimirum sanctius, & castius educandi sunt pueri, si parentum alteruter fidelis sit: & mulier fidelis potest exemplo, adhortatione, & instructione virum infidelem Christo lucrari. Ita exponit S. Hieronymus respondens ad quæsita Paulini. Congruit hæc expositio scopo Apostoli: vult enim ostendere, conjugem infidelem, si commorari non detrectet, non esse dimittendum; idque duobus argumentis: uno petito a sanctificatione conjugis, altero a sanctificatione filiorum. Pelagianis ex eodem Apostoli testimonio probantibus nullum esse peccatum originale, respondet S. Aug. l. 2. de Baptismo c. 25. & 26. l. 3. c. 12. & Serm. 14. de verbis Apostoli c. 19. multiplicem in Scripturis sanctificationem designari, non modo rerum, sed etiam hominum, quæ non semper conjuncta est cum remissione peccatorum. Sic v. g. Catechumenus, priusquam baptizetur, secundum aliquem modum sanctificatur per signum Christi, & orationem manus impositionis.

Objicies denique: Adulti non obligantur lege Baptismi. Namque ii vel sunt infideles Pagani, qui nihil unquam de Christo audiverunt, vel qui de Christo aliquid audiverunt: sed neutri possunt ea lege teneri. Non primi, quia Lex non obligat nisi promulgata: at apud ejusmodi Paganos non supponitur promulgata Baptismi lex: non alii, dici enim non potest qua ætate, & quo tempore eos illa lex obstringat; an in juventute, an in senectute: illud enim nullo præcepto aut divino aut Ecclesiastico determinatum habemus.

Resp. 1. eos adultos, qui invincibili laborant ignorantia fidei christianæ, non teneri lege Baptismi, quatenus cadit sub præceptum; adeoque eos non damnari propter violatum Baptismi mandatum, sicut nec propter infidelitatem pure negativam: sed eos teneri lege Baptismi, quatenus medium est institutum a Christo ad delendum peccatum originale; adeoque æternum peribunt illi, non præcise, ut jam diximus, propter defectum Baptismi, sed propter peccata, sive originale, sive actualia.

Resp. 2. alios adultos teneri lege positiva Baptismi: cum vero ea sit legis positivæ natura, ut non obliget semper, & pro semper, hinc

hinc physice nullum tempus est præfixum pro Baptismo percipiendo. Cum tamen iste sit absolute necessarius, tenetur quilibet, cum ad discretionis annos pervenerit, salutis suæ curam gerere, ac consequenter sibi procurare Baptismum; ad id autem tenetur jure ipso naturali divino & Ecclesiastico: jure quidem naturali, & quo tenetur quilibet assumere media ad salutem necessaria: jure divino positivo; eodem quippe præcepto quo Christus præcepit Apostolis docere gentes, & baptizare, præcepit etiam gentibus, ut audirent Apostolos, & ab illis baptizarentur: jure etiam Ecclesiastico, quod est juris divini interpretatio. Constat autem jus illud Ecclesiasticum ex SS. Patribus, aliisque momentis ex Traditione Ecclesiæ depromptis, de quibus inter probationes Conclusionis.

ARTICULUS II.

An, & quomodo Baptismus aquæ suppleri possit per martyrium; & perfectam contritionem Baptismi votum includentem.

TRiplex apud SS. Patres distinguitur Baptismus: nempe fluminis per aquam; sanguinis per passionem; & flaminis seu spiritus, per lacrymas, & cordis perfectam contritionem. Ita S. Ambrosius in Psal. 118. Enarratione in octonarium tertium; S. Greg. Nazianz. Orat. 39. in sancta lumina circa finem; S. Augustin. l. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 21. & sequentibus; S. Isidorus Hispal. L. de Institutione Clericali c. 4. S. Bernardus Epist. 77.

S. Thom. 3. p. q. 66. art. 11. hujus divisionis rationem affert, quę fundamentum habet in Scripturis, in quibus Baptismi nomen, & martyrio, & pœnitentiæ seu perfectæ contritioni accommodatur, ficut ostendimus, initio hujus Tractatus, cum varias nominis Baptismi significationes exponebamus.

Quæritur hic utrum martyrium, & contritio perfecta includens votum Baptismi, ejus vices supplere possint, eamdemque vim habeant ad expungenda peccata sive originale, sive actualia. De utroque sigillatim hic dicendum.

An, & quomodo Martyrium suppleat vices Baptismi aquæ.

Martyrium generatim est omnis pœna in odium Christi inflicta, & pro ejus amore constanter tolerata: proprie, ac stricte est ipsa mors pro Christo tolerata. Duas igitur requirit conditiones, & pœnam, & caussam. Duobus vero modis considerari potest martyrium, nempe quatenus est actus voluntarius alicujus virtutis, fortitudinis nimirum vel charitatis; aut quatenus est simpliciter pœna in odium Christi inflicta. Priori respectu dici potest opus operantis: posteriori vero, opus operatum. Soli adulti capaces sunt martyrii, quatenus est opus operantis; infantes vero, quatenus est opus operatum. Hinc sanctus Bernardus Sermone de Innocentibus, inter Martyres alios esse voluntate simul, & opere; alios sola voluntate; alios denique solo opere: *Habemus*, inquit, *in Beato Stephano martyrii simul & opus, & voluntatem; habemus solam voluntatem in beato Joanne; solum in beatis Innocentibus opus.*

T. 1. p. 787. C.

De utroque martyrio tam in adultis, quam in parvulis duo quæruntur.

1. An

1. An vices Baptismi aquæ suppleat, eamdemque vim habeat ad expungenda peccata, qualis propria est Baptismi aquæ.

2. An illos effectus eodem modo producat ac Baptismus: idest, ex opere operato vi ipsius pœnæ in odium Christi inflictæ: ita tamen ut in adultis perinde ac Baptismus ipse aquæ, prærequirat aliquas prævias conditiones seu dispositiones; an vero eos effectus producat tantum ex opere operantis, idest ratione solius charitatis, ex cujus perfectissimo motivo martyrium toleratur.

Errores, & opiniones.

Inter veteres Hæreticos, Gnostici, & Valentiniani contenderunt nullum esse martyrii meritum, nullam ejus virtutem, ac laudem, nullum, cum necessitas postulat, illius tolerandi mandatum: *Nec simplicitas ista*, *sed vanitas, imo dementia est pro Deo mori*, inquiunt illi apud Tertull. Lib. Scorpiace c. 1. Ad hunc errorem odio, & invidia compulsus legitur Valentinus, impatienti animo ferens aliquem Martyrem sibi in Episcopatu, quem ambiebat, antepositum fuisse. Ita refert Tertullianus L. adversus Valentinianos c. 4. *Speraverat*, inquit, *Episcopatum Valentinus*, *quia & ingenio poterat, & eloquio, sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, ut solent animi pro prioratu excitati, præsumptione ultionis accendi.* P. 488. A. P. 251. D.

Valentino adhæsit Tatianus Justini Martyris discipulus: *Tatianus totus secundum Valentinum sapit*, inquit Tertull. L. de Præscriptionibus c. 52. Adversus Valentinum stilum exacuere S. Justinus Martyr, & Philosophus, S. Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator, Miltiades Ecclesiarum Sophista, & Proculus. Ita Tertull. Lib. adversus Valentin. c. 5. P. 223. B.

Inter Novatores posteriorum temporum, Kemnitius in secunda parte Concilii Tridentini; & Illyricus Centuria 5. c. 4. docent, per martyrium peccata dimitti, non tamquam per Baptismum, sed propter solam fidem, quæ tempore martyrii Christum apprehendit; in quo certe parum sibi constare videntur; cum enim, juxta illos, etiam in Baptismo sola fides justificet, sequitur martyrium eodem prorsus modo justificare, quo Baptismus. P. 252. B.

Ex Orthodoxis nullus martyrio adultorum vim, & efficaciam detrahit; sed disputant dumtaxat tum de martyrio infantium; tum de dispositionibus in adultis ad effectum martyrii obtinendum necessariis, & de modo, quo martyrium in ipsis operatur.

Richardus Armacanus in Irlandia Archiepiscopus l. 8. de quæstionibus Armenorum c. 37. in fine judicat probabile ex infantibus ab Herode propter Christum occisis, eos qui circumsi non erant, salvos non fuisse, sed eos tantum, qui Sacramentum Circumcisionis acceperant: addit, & secundum communem Dei Legem, tam veterem quam novam, parvulos circumcisos nullum incrementum gratiæ ex more pro Christo accepisse; & ita neque majorem gloriam virtute illius fuisse consequutos, quam virtute solius Circumcisionis consequerentur. Utrum autem Deus peculiari privilegio cum circumcisis usus fuerit, ut majorem illis gratiam & gloriam rependeret, non audet affirmare. Obiit versus a. 1359.

Adrianus in 4. q. ultima de Baptismo, cum Armacano idem sentit, nem-

nempe ex sola Scriptura constare eos infantes, qui ab Herode occisi sunt non accepta prius Circumcisione, salutem obtinuisse.

Jacobus de Vitriaco Cardinalis L. Historiæ Occidentalis c. 36. docet parvulos Christianorum non baptizatos, etiamsi a Paganis pro Christo occiderentur, non salvari, nec ad eos extendi privilegium speciale SS. Innocentium, qui ab Herode pro Christo occisi sunt.

Circa martyrium adultorum, sunt qui nullas in ipsis prævias exigere videntur dispositiones, qui etsi putent præceptum dilectionis per se quidem obligare, præsertim in articulo mortis, ab ea tamen obligatione per accidens liberos existimant eos, qui pro Christo moriuntur. Sunt, qui ex opere operantis dumtaxat, & ratione charitatis, quam includit, velint martyrium efficax esse, saltem respectu adultorum, alia enim ipsis videtur esse infantium conditio. Ita Vasquez & alii, quos appellat ad tertiam partem q. 68. disp. 153. c. 1. Vult tamen ipse Vasq. aliquem peculiarem effectum ex opere operato martyrio competere, nempe remissionem omnis pœnæ temporalis. Alii dispositiones prævias exigunt in adultis, & tam eorum, quam parvulorum respectu, martyrium operari ex opere operato contendunt. Juxta istos sit

CONCLUSIO.

Baptismus sanguinis, seu martyrium, virtutem Baptismi aquæ perfecte supplet ex opere operato, tum in infantibus, tum in adultis; in istis tamen præviæ quædam conditiones requiruntur.

Probatur prima pars de infantibus. 1. Quia ad eos extenditur generalis ista Christi sententia Matth. 10. v. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

2. Quia Ecclesia universa infantes ab Herode in odium Christi crudeliter occisos, tamquam veros Martyres semper agnovit & coluit. *Deus*, inquit in Oratione festivitatis SS. Innocentium, *cujus præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*. Unde S. Aug. T. 1. p. 638. C. l. 3. de lib. arb. c. 23. *Etiam*, inquit, *infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia*. Nullam Ecclesia, nullam S. Augustinus, & alii distinctionem faciunt eorum, qui circumcisi vel non circumcisi fuerant: sed omnes indiscriminatim eos infantes martyres appellant, & ut tales colunt, & honorant: quamquam verisimile sit, aliquos ex illis incircumcisos fuisse, cum jusserit Herodes a bimatu & infra omnes trucidari infantes, qui erant in Betheleem, & in omnibus finibus ejus.

3. Communis hæc est SS. Patrum sententia.

S. Augustinus, aut quisquis est Auctor Sermonis ad Catechumenos, qui extat inter Opera S. Augustini post ejus Tractatum de Symbolo in T. 6. p. 571. D. ultima editione c. 4. *Præstitit eis Christus*, inquit, *ut pro Christo morerentur; præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuo eos mors reddidit vitæ.*

T. 2. p. 591. A. Et in Epistola ad Hieronymum 166. alias 28. interpretans id, quod docuerat lib. 3. de lib. arb. c. 23. de pœnis parvulorum. *Quis novit*, in-

inquiebat ibi, *quod ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus? Quoniam, quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt.* Hæc, inquam, sua verba exponens, ait: *Hoc non immerito dici video de his, qui vel pro Christi nomine ac vera Religione tale aliquid nescientes patiuntur, vel Sacramento Christi jam imbuti sunt.* *Ibid. D.*

Et l. 13. de Civitate Dei c. 7. nulla facta distinctione adultorum & infantium, generatim sic loquitur: *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit: Si quis non renatus fuerit ex aqua &c. alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit. Qui me confessus fuerit &c. & alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* *T. 7. p. 329. B.*

S. Chrysost. Hom. 3. in varios S. Matthæi locos, loquens de infantibus ab Herode trucidati, *Mercantur*, inquit, *pœna martyrium, gloriam sanguine comparant, vitam æternam temporali morte commutant.*

S. Leo Serm. 1. de Epiphania Domini *c. 3. Necari omnes Bethleem parvulos jubet... sed quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit Cælo, & quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem.* *Edit. Quenel. T. 1. p. 181.*

Denique S. Bernardus Sermone de Innocentibus hæc habet: *Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptivos filios numerari. Alioquin quomodo coævos sibi pueros puer ille, qui natus est nobis, non contra nos, pateretur occidi, quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret? ut quemadmodum ceteris infantibus tunc quidem Circumcisio, nunc vero Baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptum martyrium illis proficeret ad sanctitatem.* Quo in loco illud observandum, nempe martyrium loco circumcisionis fuisse ille infantibus; non ergo salvi facti sunt propter ipsam Circumcisionem, ut placet Armacano. *T. 1. p. 787. E.*

Secunda pars de adultis

Probatur 1. ex Scriptura Matth. 10. v. 32. & seq. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est.* Marci 8. v. 35. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam*, quibus verbis lex generalis exprimitur aqua nullus excipitur, nequidem ipsi non baptizati. Ut enim recte arguit S. Aug. l. 13. de Civitate Dei c. 7. jam citato, *Qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. idem & generaliter dixit: Qui me confessus fuerit &c.* Confirmatur ex isto Christi apud S. Jo. c. 15. v. 13. *Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* At perfecta charitas peccata omnia delet & omnino expungit. *T. 7. p. 329. B.*

Probatur 2. ex sententia & praxi totius Ecclesiæ.

1. Ecclesia pro Martyribus non preces nec sacrificia offert Deo, quibus eos non indigere intelligit: sed suas eis coronas ac triumphos dumtaxat gratulatur, eorumque apud Deum opem & gratiam implorat: *Injuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre*, inquit Innocentius III. Cap. *Cum Marthæ. De celebratione Missarum*; quod ex Augustino depromptum est. Tractatu enim 84. in Joannem, ait: *Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos* (Martyres) *T. 3 p. 3. p. 709. C. D.*

com-

commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam prō eis oremus, ſed magis ut ipſi pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus.

2. Ad preces & commendationem Martyrum Eccleſia lapſis pœnitentibus pœnas aliquas canonicas & temporales relaxabat teſte S. Cypriano.

3. Pro menſura charitatis, dilectionis, & contritionis, eaſdem pœnas iiſdem pœnitentibus eadem Eccleſia mitigabat & relaxabat; adeo ipſi ſemper fuit perſuaſum, per charitatem hominem Deo gratum fieri eique reconciliari.

Probatur 3. ex SS. Patribus.

P. 40. B. Tertullianus in Apologetico in fine. *Quis*, inquit, *non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, & omnem veniam ab eo compenſatione ſui ſanguinis expediat? omnia enim huic operi delicta donantur.*

P. 230. B. Et L. de Baptiſmo c. 16. *Eſt*, inquit, *nobis etiam ſecundum lavacrum, ſanguinis ſcilicet, de quo Dominus: Habeo, inquit, Baptiſmo tingi... Hic eſt Baptiſmus qui lavacrum* (nempe aquæ) *& non acceptum repræſentat, & perditum reddit.*

P. 234. S. Cyprianus Præfatione in L. de exhortatione martyrii: *Nos*, inquit, *qui Domino permittente, primum Baptiſma* (aquæ ſeu fluminis) *credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparemus, inſinuantes & docentes hoc eſſe Baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore præſtantius: Baptiſma, in quo baptizant Angeli, in quo Deus & Chriſtus ejus exultant; Baptiſma, poſt quod nemo jam peccat, Baptiſma quod fidei noſtræ incrementa conſummat; Baptiſma, quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat. In aquæ Baptiſmo accipitur peccatorum remiſſio; in ſanguinis corona virtutum.*

P. 242. Et c. 11. ejuſdem Tract. *Quis*, inquit, *non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Chriſto ſtatim gaudeat?...*

P. 243. *Quanta eſt dignitas & quanta ſecuritas, exire hinc lætum, exire inter preſſuras & anguſtias glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eoſdem ſtatim ut Deus videatur, & Chriſtus?*

P. 127. Et Ep. 73. ad Jubajanum paullo poſt medium. *Numquid poteſt*, inquit, *vis Baptiſmi eſſe major aut potior quam paſſio, ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur?* Et poſtea: *Sciant Catechumenos* (pro fide occiſos) *nec privari Baptiſmi Sacramento, utpote qui baptizentur glorioſiſſimo & maximo ſanguinis Baptiſmo, de quo & Dominus dicebat ſe habere aliud Baptiſma baptizari; ſanguine autem ſuo baptizato, & paſſione ſanctificatos conſummari, & divinæ pollicitationis gratiam conſequi declarat in Evangelio idem Dominus.*

Ibid.

P. 19. D. S. Cyrillus Jeroſolimit. Catecheſi 3. *Si quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos Martyres, qui vel ſine aqua Regno cæleſti potiuntur.*

P. 206. D. Euſebius l. 6. Hiſt. c. 14. ait mulierem quamdam, nomine Herais, adhuc Catechumenam, per ignem Baptiſmum eſſe adeptam.

T. 10. p. 342. D. Denique S. Aug. L. 1. de anima & ejus origine c. 9. *Nemo*, inquit, *fit membrum Chriſti, niſi aut Baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto.*

Probatur denique ratione, quam ſuggerit S. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto c. 15. quia nempe Baptiſmus aquæ vim habet delendi peccata, quia eſt in ſimilitudinem mortis Chriſti, ad Rom. 6. At Martyres non per figuram, ſed per veritatem mortem pro Chriſto ſuſtinent.

Ed. vet. T. 2. p. 178. D. *Jam vero*, ait ſanctus Doctor, *ſunt nonnulli, qui in certaminibus pro pie-*

pietate, revera non imitatione Christi (ut fit in Baptismo aquæ) *mortem perpessi, nihil hujusmodi Sacramentis quæ sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio sanguine baptizati.*

Tertia pars, nempe martyrium ex opere ipso operato efficax esse, probatur.

I. Quia ex citatis modo testimoniis, martyrium Baptismo aquæ comparatur, imo & illo excellentius esse dicitur: sicut ergo Baptismus aquæ agit ex opere operato, ita & Baptismus sanguinis.

II. In infantibus propriæ dispositionis incapacibus, non alia ratione agere potest martyrium, quam vi propria seu ex opere operato: ergo & in adultis.

III. Si tota martyrii vis & efficacia esset a charitate, inutilis foret divisio Baptismatis in Baptismum flaminis & sanguinis, siquidem unum cum alio confunditur: namque tota Baptismi flaminis vis est a Spiritu sancto per charitatem diffusam in cordibus; at non alia foret efficacia martyrii, si ageret tantum ex opere operantis, seu ex charitate, ex cujus motivo elicitur.

IV. Potest esse intensior charitas in Confessoribus, quam in aliquibus Martyribus, neque tamen illi martyrii palmam reportant, & inter Martyres computantur & honorantur.

V. Denique, quia videtur hæc esse S. Thomæ sententia, tum in Summa 3. p. q. 87. art. 1. ad 2. ubi docet, *dormienti dimitti peccata mortalia & venialia ratione mortis illatæ pro Christo, modo non invenerit voluntatem peccato actu adhærentem*: Ergo censet effectum martyrii produci virtute ipsius operis, non dispositionis, quæ sit in Martyre.

Tum 2.2.q. 124. art. 1. ad 1. *Effusio sanguinis propter Christum*, inquit, *vicem gerit Baptismatis. Unde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occisis propter Christum, meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam.* Sicut ergo Baptismus agit ex opere operato, ita & martyrium.

Tum in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. ad 1. *Non habet hoc*, inquit, (nempe liberationem a culpa & pœna) *tantum ex opere operante, neque quantum ad pœnam, qua aliquis peccatum per martyrium expiet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato: neque quantum ad devotionem justæ voluntatis, quia contingit, quod voluntate majori charitate informata, aliquis sine martyrio non potest ab omni pœna liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi.* *T. 10. p. 74. col. 1. A. B.*

Ultima denique pars, nempe requiri in adultis prævias aliquas dispositiones, ut martyrii plenum consequantur effectum.

Probatur 1. ex Apostolo 1. Cor. 13. v. 3. *Si tradidero*, inquit, *corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ergo requiritur prævia charitas saltem inchoata & initialis.

Favet Tertullianus Lib. adversus Praxeam c. 1. ubi de illo ait: *Homo fuit inquietus; insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum & simplex & breve carceris tædium; quando etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profeciisset, dilectionem Dei non habens.* P. 500. A.

Favet S. Th. 3. p. q. 66. art. 12. ad 2. *Effusio sanguinis*, inquit, *non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate.*

Favet Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. ubi ait contritionem quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum. *Tom. 14. Conc. p. 817. B.*

II. Mors

II. Mors pro Christo inflicta & tolerata in Schismatico vel Hæretico, peccatum hæresis aut schismatis prius non remittit, quam homo Ecclesiæ Catholicæ fuerit aggregatus; neque valet ejusmodi martyrium charitate destitutum ad Regnum Cælorum obtinendum, sed tantum ad mitius in inferno supplicium subeundum, sicut expresse docet S. August. Lib. de patientia c. 26. Ergo pariter in Catholico peccatore peccata non dimittit martyrium, sine virtuali saltem pœnitentia ac peccatorum detestatione, seu aversione voluntatis a malo.

II. Id probat praxis & disciplina Ecclesiæ, quæ instante vel sæviente persecutione, curabat Martyres nondum baptizatos baptizari, aut nondum per pœnitentiam reconciliatos, reconciliari, ac Eucharistiæ participatione muniri, ut nimirum his præsidiis confirmati & roborati, paratiores essent & alacriores ad supplicia pro Christo constanti animo toleranda. Ita colligimus ex S. Cypr. Ep. 54. ad Cornelium. Hinc est, quod Martyres in carceribus detenti postulabant a sociis baptizari: ita sanctus Romanus statim pro Christo trucidandus, sanctum Laurentium sollicitabat, *Festina*, inquiebat, *me baptizare*. Nonnulli quoque ad tempus sese occultabant, non quidem ut martyrium declinaret, sed ut baptizari possent, quemadmodum de quodam Antonio refert Usuardi Martyrologium, ad diem undecimam Kalendarum Septembris: omnes denique prævis jejuniis, orationibus ac bonis operibus præparabant se, ut digni haberentur, qui pro Christi nomine contumeliam paterentur, ut dicitur Act. 5. v. 41.

P. 76.

IV. Martyrium verus est Baptismus, & quidem aquæ Baptismo præstantior; ergo tam requirit in adultis prævias dispositiones, quam Baptismus aquæ.

V. Denique, ut valeat in adultis martyrium, debet esse voluntaria & supernaturalis Christi confessio, est enim actus fortitudinis & charitatis: atqui non potest illa confessio esse voluntaria & supernaturalis sine virtuali saltem peccatorum detestatione.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam partem Conclusionis: Martyrium est actus fortitudinis & charitatis: atqui infantes sunt incapaces ejusmodi actuum: ergo & martyrii.

Resp. dist. maj. Martyrium est actus fortitudinis & charitatis in adultis, concedo: in infantibus, subdistinguo: ex parte operis operati, seu pœnæ in odium Christi inflictæ, concedo; ex parte operis operantis, nego. Satis enim est in infantibus ad laudem & præmium martyrii reportandum, quod in odium Christi occisi sint.

Jo. 3. v. 5. Matt. 10. &c. v. 31. Instabis. Generalis est hæc Christi sententia: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Ergo sine Baptismo nemo salvus esse potest.

Resp. Non minus generalem esse hanc Christi sententiam; *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Sanguinis ergo Baptismus supplet vices Baptismi aquæ.

Objicies 2. contra secundam partem Tertull. L. de pudicitia c. ultimo, negat martyrium verum esse Baptisma. Cum enim nonnulli in vinculis pro fide Christi detenti mœchis pœnitentiæ tempus relaxari postularent, negat id fieri debere: *Quod si est*, inquit, *jam & martyrium aliud erit Baptisma.*

P. 575. C.

Resp. 1.

Resp. 1. Tertullianum in citato Libro de pudicitia audiendum non esse, qui ad Montani partes deserta Ecclesia jam tum defecerat.

Resp. 2. cit. loco hoc unum dumtaxat velle, nempe non esse propter Martyrum merita & preces, omnino relaxandam lapsis pœnitentiam. *Sufficiat*, inquit, *Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus.* Quamquam & in hoc aberrat Tertullianus, quod nolit in gratiam Martyrum lapsis quamdam concedi indulgentiam seu pœnas relaxari: Montanista enim factus existimabat non posse ab Ecclesia peccata dimitti. De eadem intempestiva indulgentia nonnunquam conquestus est S. Cyprian. ex amore disciplinæ; non ex desperatione indulgentiæ: non negabat enim posse & debere aliquando Ecclesiam in gratiam Martyrum lapsis aliquam pœnarum Canonicarum partem relaxare, sed ægre admodum ferebat totam relaxari, ita ut sine ulla pœnitentia statim ad participationem mysteriorum admitterentur; unde Ecclesiasticam disciplinam enervari ac pessumdari conquerebatur. *Ibid. B.*

Objicies 3. contra tertiam partem: Martyrium est actus perfectissimæ charitatis: *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, inquit Christus Jo. 15. v. 13. Ergo martyrium agit ex opere operantis, non ex opere operato.

Resp. dist. ant. Est actus perfectissimæ charitatis, objective, aut effective, quæ ex martyrio sequatur, concedo: elicitive, aut quæ antecedat, nego. Mors quippe subeunda pro Christo objectum est arduum ac difficillimum, unde maximam vi sua charitatem producit; at non semper profluit ex maxima charitate elicitive. Revera eam aliquando supponere potest, ac etiam supponit, sed non necessario; namque ex corrupto nonnunquam principio, puta ex superbia, ostentatione ac vana gloria &c. potest quis mortem sustinere; unde vulgare effatum: *Martyrem non facit pœna, sed causa.* Supponit igitur martyrium charitatem saltem inchoatam & imperfectam, tamquam dispositionem necessariam: quod si contingeret eam perfectam esse, adhuc virtute pœnæ martyrium ad delendam omnem pœnam efficaciter influeret. *Ad actum martyrii*, ait S. Th. 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2. *inclinat quidem charitas, sicut primum & principale motivum per modum virtutis imperantis, fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est, quod martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis: inde etiam est, quod utramque virtutem manifestat. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus; & ideo sine charitate non valet.*

Instabis 1. S. Cyprian. Ep. 54. ad Cornelium jam laudata, asserit lapsos reconciliandos prius esse, quam ad martyrium subeundum accedant; refellitque eos, qui contendebant martyrium sufficere. *Nec quisquam dicat*, inquit, *qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur.* Ergo existimat Sanctus ille Martyr, martyrium ex se, seu ex opere operato efficax non esse, sed ex opere operantis dumtaxat, ratione charitatis. *p. 77.*

Et sanctus Bernardus Epistola 77. ad Hugonem de S. Victore: *Pro certo*, inquit, *cum non aliunde martyrium nisi ex fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut singulariter vice Baptismi secure suscipiatur; non video, cur non ipsa*, (nempe fides) *æque & sine martyrio apud Deum tantumdem possit.* *T. 1. p. 129. D.*

Resp. Ex his hoc unum colligi posse, quod probavimus, nempe prævias in adultis conditiones exigi ad effectum martyrii obtinendum. Neque vero martyrium dispensat a perceptione Sacramenti Baptismi & Pœnitentiæ, cum adest ea percipiendi facultas; imo Martyres ad fidem constanter confitendam ac pro Christo mortem obeundam inde magis idonei fiunt, quo majori ex Sacramentis gratia roborantur, ac veluti ad victoriam præformantur.

Instabis 2. Martyrium consistit in mortem pro Christo, inflicta & tolerata: sed mors pro Christo supponit charitatem, charitas autem primam gratiam; igitur martyrium vi propria primam gratiam non confert, nec consequenter delet peccata ex opere operato.

Confirmatur; Quia vel martyrium consistit in morte, vel in voluntate supernaturali subeundæ mortis præsentis pro Christo: atqui non potest consistere in ista voluntate; alias posset quis ab accepta semel per tale propositum martyrii gratia excidere, ut contingit uni ex quadraginta Martyribus, quorum martyrium celebrat Ecclesia die 9. Martii: attamen istud consequens negatur a S. Cypriano Præfatione in Librum de exhortatione martyrii, & a S. Gregorio Nazianzeno Orat. 39. quæ
P. 234. est in sancta lumina, ubi ait martyrium esse Baptismi genus *ceteris eo præstantius, quod nullis postea sordibus contaminatur.*

Quod si in morte consistat, vix potest explicari quandonam gratiam
T. 1. p. 634. D. producat ex opere operato. Quod enim agit ex opere operato, debet esse perfectum, & in facto esse, ut ajunt: atqui mors, quando perfecta est ac completa, nihil producere potest, cum homo tunc sit extra statum viæ.

Resp. 1. nego maj. Pro Martyribus enim olim habebantur, qui quodlibet pro Christi fide supplicium, etsi ad mortem non esset, toleraßent. Sic Praxeas a Tertulliano Lib. adversus eum jam citato c. 1. dicitur *de*
P. 500. *jactatione martyrii inflatus, ob solum & simplex & breve carceris tædium.* Sic apud Eusebium l. 5. c. 19. inter subscriptiones Concilii, quod habitum est adversus Cataphrygas seu Montanistas, legitur subscripsisse Aurelius Cyrenius martyr. Sic Marcellus Papa die 16. Januarii, Sylverius die
P. 187. A. 16. Junii, Martinus II. die 12. Novembris tamquam Martyres ab Ecclesia coluntur, qui tamen a Tyrannis occisi non sunt.

Merito igitur dici potest, martyrium consistere in voluntate supernaturali subeundæ mortis præsentis pro Christo; neque contrarium evincit prima instantiæ confirmatio: namque ut voluntas illa palmam martyrii reportet, debet esse constans, & non mutari; SS. autem Cyprianus & Gregorius Nazianz. loquuntur de voluntate firma & perseverante, seu de martyrio per mortem consummato.

Resp. 2. dist. maj. Martyrium consistit in ipsa morte inchoata, seu in illis lethalibus vulneribus ex quibus mors naturaliter sequitur, concedo; in ipsa morte perfecta & physice consummata, subdistinguo: quantum ad omnem effectum martyrii, gloriam scilicet & consummatam gratiam, concedo; quantum ad ipsam gratiam & remissionem peccatorum, tam ratione culpæ quam pœnæ, iterum distinguo: consistit in ipsa morte, id est in ipso instanti separationis animæ a corpore, concedo: post separationem animæ a corpore, nego. Distinguo min. atqui

qui mors ſupponit gratiam, mors conſummata & in facto eſse, concedo: inchoata, iterum diſtinguo: aliquando ſupponit gratiam & charitatem perfectam, concedo; ſemper & neceſſario, nego. Conſiſtit igitur martyrium, ipſiuſque gratia in eo agonis Chriſtiani inſtanti confertur, in quo licet actu non ſit mors, curſus tamen vitæ, & martyrii certamen conſummatur, ob inevitabilem mortis jamjam impendentis neceſſitatem: quod ſi contingat Martyrem accepto lethali vulnere aliquamdiu in vivis ſuperſtitem permanere, tunc plenam martyrii gratiam aſſequetur, quando ex inflicto vulnere vitam cum morte commutabit; & ita SS. Pontifices mox enumerati ut martyres veri coluntur, qua etſi ſtatim a Tyrannis occiſi non ſint, iis tamen ærumnis ac laboribus ſunt afflicti propter Chriſtum, ex quibus tandem mors ſequuta eſt.

Hinc patet ſolutio ad ſecundam confirmationem; plenitudo enim martyrii conferri ſolet in inſtanti ſeparationis animæ a corpore. Neque hic ſubtilius ac moroſius inquiri debet, quale ſit illud ultimum inſtans martyrii; an ſit primum hominis non eſſe, vel ultimum eſſe illius: ſatis eſt quod inſtans diſſolutionis ſeu ſeparationis animæ a corpore Deo ſit perſpectum.

Inſtabis 3. Si martyrium agit ex opere operato: ergo eſt verum Sacramentum.

Reſp. nego conſeq. Tum quia martyrium non eſt ordinarium remedium a Chriſto inſtitutum ad remiſſionem peccatorum: tum quia certam non habet verborum formam, ſicut cetera Sacramenta: tum quia per miniſtros Chriſti non confertur, ſed potius per miniſtros diaboli.

Objicies 4. contra quartam Concluſionis partem. Tam efficax eſt martyrium in adultis, quam in parvulis: ſed in iſtis operatur ſine ullis prævíis diſpoſitionibus: ergo & in adultis.

Reſp. Idem argumentum de Baptiſmo aquæ retorqueri poſſe, qui in adultis prævias exigit diſpoſitiones, non vero in parvulis, nec alia quærenda eſt hic ratio, quam ipſamet adultorum & infantium conditio diverſa, qua fit, ut adulti ſui compotes debeant Sacramenta volentes percipere, adeoque cum iis animi præparationibus quas illorum ſanctitas exigit: econtra infantes propriæ voluntatis nondum capaces, ſine ullo proprio motu ea percipere cum fructu poſſunt.

ADDITIO.

(*)

QUæres num quod de Martyribus hactenus dictum eſt, valeat etiam pro illis qui charitate prorſus heroica, tabeſcentium ex peſte obſequiis arduis ſe mancipant, atque tracta inde lue, victimæ charitatis occumbunt.

Reſp. Hos in cenſum verorum Martyrum inferre elaboravit magnis ſtudiis Raynaudus *noſter emiſſo in lucem opuſculo* de Martyrio per peſtem. *Ego tametſi piiſſimum hoc mortis genus, ad gloriam Martyrii proxime accedere putem; malim tamen ſenſum Eccleſiæ ſequi, & Benedicti XIV. doctiſſimi Pontificis ſententiæ ſubſcribere, atque nobiliſſimis iſtis athletis potius ſpeciem, ac imaginem quamdam martyrii, quam martyrium ipſum, atque ejus aureolam deferre. Moveor autem primum conſuetudine Eccleſiæ, quæ perinde pro iſtis,*

atque quibuslibet aliis extra arenam, & certamen vita functis preces fundit, & Sacrificia Deo offert. Deinde quod Heroibus ejusmodi neque acta Canonizationis, nec Auditores Rotæ Martyrii plenum honorem vindicent, neque ritu Martyrum eos Ecclesia colendos proponat. Instar omnium exemplo sit Aloysius Angelicus Juvenis, qui Romæ late grassante lue venenum ex obsequio hausit, & in hac charitatis palæstra cecidit. Denique sic decedentibus deest persecutor, nec illos proprie necant infecti immanitate sua, animique proposito in fidei, aut veritatis odium: sed pestifero halitu morte afficiunt, quam caussa naturalis infligit. Quid quod, quæcumque ad gloriam plenam Martyrii asserendam excogitavit Raynaudus, tanti non sunt, ut rem conficiant. Nam Dionysius Alexandrinus, & Martyrologium Romanum ad diem 28. Februarii, quæ pro se allegat ille, nobis potius patrocinantur; etenim Dionysii verba sunt: Istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur, nihil a Martyrii splendore abesse videtur. *De iis, qui commemorantur ad diem 28. Februarii, dicitur, quod fides Religiosa piorum eos* veluti Martyres *veneretur, quis vero nescit verbo* videretur *improprietatem quandam denotari; & particulam* veluti *diminuentem esse, ac similitudinem potius, quam veritatem notare?*

Ad extremum revocandum est ad animum, quod narrat Benedictus XIV. l. 3. cap. 11. de servorum Dei beatificatione, scilicet opusculum illud Raynaudi de Martyrio per pestem *an. 1646. a Sacra Congregatione inter ceteros libros proscriptos relatum esse; & in correctione a Sacra Congregatione Indicis demandata, hæc opusculo memorato Raynaudi T. 20. p. 256. adjungenda fuisse, atque adjuncta esse.* Hæc sunt, quæ pro commendanda charitate eorum, qui inter ministrandum peste contactis vitam amittunt, dicenda occurrunt. Cui charitati, qua major adversus proximum nulla est, cum propter Deum impenditur, eximiæ fortitudinis, & Martyrii nomen convenit; non tamen in ea acceptione, qua Patres, Doctores, & Ecclesia vocant illos, qui in pugna & certamine cum Tyranno propter Deum vitam non resistentes ponunt, suntque magis explicite, & formaliter testes, & ideo per excellentiam, sive antonomastice Martyres appellantur, qui soli cultum Martyrum in Ecclesia obtinuerunt, & Martyrum nomine in acceptione apud Ecclesiam hactenus usitata censentur. Illi privilegio hoc gaudent, ut gratiam ex opere operato consequantur, & ab omnis pœnæ reatu absolvantur; quod privilegium ad istos non ea probabilitate extendi potest, quoad illos, quos neque certum est, aut extra controversiam, sed probabile tantum hoc privilegio gaudere.

(*)

An, & quomodo perfecta charitas includens votum Baptismi, vices ejus suppleat.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. Baptismum flaminis seu spiritus eum appellari, qui in perfecta contritione seu charitate consistit, quæ quidem perfecta esse potest extensive vel intensive. Perfecta dicitur charitas seu amor Dei extensive, quod Deus super omnia diligitur, & rebus omnibus anteponitur; perfecta vero intensive, quando summa intensione ac maximo conatu &

tu & affectu voluntas in Dei amorem rapitur: tamquam enim rem certam & apud omnes exploratam hic supponimus, contritionem imperfectam, quæ attritio nuncupatur, & nullam includit charitatem proprie ac stricte sumptam, non posse vices Baptismi aquæ supplere.

Observandum 2. perfectam illam charitatem & cordis contritionem spectari posse, vel in casu necessitatis, cum impossibile est reipsa suscipere Baptismum; vel extra talem necessitatem.

Observandum 3. Baptismi votum seu desiderium duplex distingui posse: unum explicitum seu expressum, quo quis sciens quid sit Baptismus, actu expresso & elicito cupit baptizari; alterum implicitum & generale, quo quis nihil de Baptismo sciens, sed efficaciter desiderans Deo in omnibus placere, sic animo est comparatus, ut omnia ejus mandata, cum ad suam pervenerit cognitionem, adimplere velit: in isto quippe affectu includitur voluntas Baptismi, sicut & aliorum Dei mandatorum adimplendorum.

Observandum 4. Duplicem esse in primis aquæ baptismalis effectum, nempe remissionem omnis culpæ, & pœnæ.

Observandum 5. sensum præsentis quæstionis non esse, an perfecta contritio Baptismi vices suppleat ex opere operato, & per modum Sacramenti; nihil quippe hic occurrit, quod non sit ex parte ipsius operantis: quod ergo voluntas Baptismi suscipiendi pro Baptismo habeatur, non provenit ex natura rei ipsius: *sed ex misericordia Dei, qui propter fidem & desiderium quærentis salutem, complet in necessitate, quod est ex parte Sacramenti*, ut recte hic observat Estius in 4. dist. 4. §. 17. T. 2. p. 59. c. 1. F.

Sensus igitur quæstionis est, utrum perfecta contritio, sive extensive sive intensive talis sit, sive in necessitate, sive extra, suppleat vices Baptismi aquæ, quoad remissionem omnis pœnæ & culpæ: & quale requiratur Baptismi desiderium seu votum; an expressum & explicitum; an implicitum in ipsa contritione perfecta inclusum sufficiat: circa quam controversiam non una est & Veterum & Recentiorum opinio.

OPINIONES.

Fuere inter Veteres tam rigidi & severi defensores necessitatis Baptismi, ut existimaverint, nequidem id necessitate sufficere ad salutem, Baptismi desiderium ex charitate profectum.

Quarto sæculo S. Greg. Nazianz. Orat. 40. in sanctum Baptisma, non longe a medio, ostendit iis, qui vi aliqua & inopinato casu a Baptismo excidunt, nihil prodesse votum seu desiderium Baptismi. Triplicem scilicet ibi distinguit ordinem eorum, qui non sunt baptizati.

Primus est eorum, qui ferarum more viventes, omnibus vitiis inquinantur, nec multum curant de Baptismo; *ita ut*, inquit, *si ipsis detur, non gravatim accipiant; si non detur, susque deque ferant*. T. 1. p. 652. D. Ibid.

Secundus eorum, qui Baptismum quidem & honorant & desiderant, sed præ ignavia, & ut vitiis liberius indulgeant, diu protrahunt illum ac differunt.

Tertius eorum, qui recte quidem vivunt, sed vel propter ignorantiam vel propter tyrannidem a Baptismo exciderunt: *Tyrannis autem*, inquit, *nihil aliud est, quam rei alicujus consequendæ inopinato erepta facultas*. Ibid. p. 653. B.

Primi & secundi ordinis homines non baptizatos graviter puniendos fore asserit S. Doctor, utpote qui Baptismum neglexerint, quamquam levius aliis, qui contempserunt: tertii vero ordinis, suppliciis quidem æternis non torquendos, quia nihil supplicii meruerunt, sed tamen æternam gloriam
Ibid. non consecuturos. *Postremi*, inquit, *nec cælesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficientur, utpote qui licet* (Baptismo) *signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint.* Quod illustrat ibidem exemplo hominis, qui voluit quidem alium occidere, quem tamen de facto non occidit: voluntas illius apud Judices pro facto non habetur; neque tamquam reus homicidii plectitur.

In hoc postremo ordine supponit S. Doctor hominem recte viventem, carentem improbitate, qui non ex contemptu, neque ex negligentia, sed ex inopinato tantum casu Baptismum non percipit, qui tamen nec suppliciis est afficiendus, cum careat improbitate; (qua nihilominus non careret, si supponeret eum ex negligentia saltem a Baptismo excidisse) nec gloria donandus, quia caret Baptismo. Medium igitur aliquem locum putat esse pro ejuscemodi hominibus, sicut & pro infantibus morte immatura ante præceptum Baptisma raptis; adeoque putat votum seu desiderium Baptismi junctum cum vitæ probitate non sufficere ad æternam gloriam.

Nonnulli ex nostris conantur in benigniorem sensum inflectere sanctum Doctorem, quasi supponeret eos, de quibus tertio loco loquitur, non habere desiderium seu voluntatem percipiendi Baptismatis ex charitate seu contritione perfecta; sed aliquam ex eorum parte causam subesse, propter quam baptismali gratia privati fuerint. Laudamus quidem eorum conatum & optaremus posse S. Doctoris verba in hunc sensum adduci; sed reclamat ipse contextus, reclamat ipse Nicætas hujus Orationis Commentator.

T. 8. Append. p. 79. D. Quinto sæculo Gennadius Massilienſis, qui verus est Auctor Libri de Dogmatibus Ecclesiasticis, apud S. August. T. 8. in Appendice c. 41. alias 74. docet Catechumenum non salvari, etiamsi in bonis operibus vixerit, nisi Baptismo aquæ aut sanguinis fuerit purgatus.

Sexto sæculo S. Fulgentius Ep. 12. ad Ferrandum Diaconum de Baptismo Æthiopis, eo etiam inclinare videtur, nempe votum Baptismi non sufficere ad salutem, etiam premente necessitate. Rogatus enim a Ferrando Diacono, quid sentiendum foret de Baptismo cujusdam Æthiopis, qui in catechumenatu diu tentatus, ac probatus subito morbo, sensu, ac voce destitutus, in extremis baptizatus fuerat, respondet 1. recte illum fuisse baptizatum, ac præcedentem fidei promissionem ac pietatem, quam revocasse non censebatur, ei cum Baptismo sufficere ad sa-
P. 223. lutem. Respondet 2. c. 8. *illum sine Baptismi Sacramento sola confessione non potuisse salvari. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Illum utique adolescentem, quia credidisse & confessum fuisse novimus, ideo per Sacramentum Baptismatis salvum fuisse firmamus; qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens, nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in Baptismate. Nam in illa ætate, non solum ei confessio sine Baptismate nihil prodesset, sed nec ipsum Baptisma non credenti, neque confitenti nullatenus proficeret ad salutem.*

P. 519. Ex L. de fide ad Petrum c. 3. sic loquitur: *Ex illo tempore quo Salvator noster dixit: Si quis renatus non fuerit &c. absque Sacramento Baptisma-*

tis;

tis ; præter eos, qui in Ecclesia Catholica fine Baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec Regnum Cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Clariora hæc sunt, quam ut alium in sensum possint detorqueri.

Sæculo decimo tertio, tempore S. Bernardi, fuere qui contenderunt ex quo primum a Christo dictum est: *Nisi quis renatus fuerit* &c. neminem absque percepto re Baptismo, vel, ejus vice, martyrio, ullatenus salvari potuisse, etsi forte quis cum vera fide & contritione cordis illum expeteret. Ita testatur S. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem Victorinum, a quo de ista quæstione interrogatus fuerat. *T. 1. f. 625.*

Videtur tunc temporis excitata hæc quæstio; de qua consultus est Innocentius III. & de qua scripsere ex professo S. Bernardus jam dicta Epistola, Hugo Victorinus l. 2. de Sacramentis p. 6. c. 7. & Magister Sententiarum l. 4. dist. 4. litt. D.

Inter recentiores, Michael Bajus, aut quisquis auctor est propositionum, quæ a S. Pio V. & Gregorio XIII. damnatæ sunt, existimat Catechumenos ante perceptum Baptismum habere quidem posse perfectam charitatem & contritionem, sed peccatorum remissionem non obtinere nisi per Baptismum. Talis enim est propositio 31. *Charitas perfecta, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, in Catechumenis & pœnitentibus potest esse fine remissione peccatorum.* *Op. Baii p. 2. p. 53. T. 2. p. 219. c. 2.*

Estius in 4. dist. 17. § 2. docet peccata non remitti ordinarie ante actualem Baptismi, vel Pœnitentiæ perceptionem, etsi perfecta sit tum intensive, tum extensive charitas, sed raro tantum & in necessitate.

Pamelius in Scholiis ad Epist. 54. S. Cypriani fatetur quidem contritionem solam sufficere ad remissionem peccatorum in casu necessitatis, non vero extra necessitatem.

Sunt inter Scholasticos, qui putant implicitum Baptismi desiderium sufficere ad justificationem; sed ad vitam æternam obtinendam necessarium esse explicitum. Eo videtur inclinare Melchior Canus Relectione de Sacramentis in genere art. 2. conclusione 3. Sunt qui implicitum solummodo sufficere volunt, sive ad justificationem, sive ad vitam æternam obtinendam. Ita Vega l. 5. super Conc. Trid. c. 14. Vasq. & alii. Sunt qui, facta distinctione eorum quibus promulgata est lex Baptismi, & eorum qui penitus illam ignorant, dicunt istis sufficere votum implicitum, aliis vero necessarium esse explicitum. Ita sentire videtur Dominicus Soto in 4. dist. 5. q. un. art. 2. Sunt denique, qui per votum Baptismi censent omnem culpam & pœnam remitti; alii vero fatentur quidem culpam, negant vero pœnam omnem condonari. His ita expositis, sit

CONCLUSIO.

Baptismus flaminis, seu perfecta charitas & cordis contritio includens votum Baptismi aquæ, illius vices supplet in adultis.

Prob. 1. ex Scripturis quæ charitatis vim sæpius commendant. Joan. 14. v. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum.* Ezechielis 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis ... vita vivet & non morietur.* Et v. 30. *Convertimini & agite pœnitentiam ab*

omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Rom. 10. v. 11. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Et v. 13. *Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.*

Prob. 2. ex Conc. Tridentino tribus in locis.

Tom. 14. Conc. p. 758. C. Sessione 6. c. 4. ubi docet: *post Evangelium promulgatum, nunquam fieri translationem a statu veteris Adæ ad statum gratiæ, sine lavacro regenerationis aut ejus voto.*

Ibid. p. 776. E. Sess. 7. can. 4. de Sacramentis in genere, damnantur, qui dicunt *sine Sacramentis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci.*

Ibid. p. 817. D. Denique Sess. 14. c. 4. sic loquuntur Patres: *Docet præterea* (sancta Synodus) *etsi contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Ibid. p. 816. E. Atqui eadem est ratio contritionis ex charitate perfecta ante Baptismum. Nam c. 2. de Pœnitentia dicitur: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Sicut igitur contritio ex charitate perfecta non tollit peccatum mortale post Baptismum, sine voto Pœnitentiæ; ita neque ante Baptismum, sine ipsius voto.

Ex his patet falsam esse, ac merito a SS. Pontificibus S. Pio V. & Gregorio XIII. proscriptam fuisse memoratam Baii propositionem.

Quin Innocentius III. qui sedere cœpit an. 1190. Conclusionem nostram duobus Decretis evidenter confirmat: primum est ad Metensem Episcopum, & extat l. 3. Decretal. tit. 42. c. 4. Interrogatus scilicet, quid sentiendum esset de quodam Judæo qui morti proximus seipsum baptizaverat, respondet 1. *quod cum inter baptizantem & baptizatum debeat esse discretio, iste Judæus denuo sit baptizandus ab alio*; tum addit: *Quamvis si talis continuo decessisset, ad cœlestem patriam protinus evolasset propter Sacramenti fidem, & non propter fidei Sacramentum.*

Alterum Decretum extat eodem Libro tit. 43. cap. *Apostolicam. De Presbytero non baptizato*, ubi sic respondet Episcopo Cremonensi: *Si in sanctæ matris Ecclesiæ & Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter.*

Tum laudat auctoritate SS. Augustini & Ambrosii: monetque prædictum Episcopum, *ut sopitis quæstionibus Doctorum SS. Patrum sententia teneat, & in Ecclesia sua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeat pro Presbytero memorato.*

Ex quibus, sicut & ex Hugone Victorino & sancto Bernardo, videmus tunc temporis inter Doctores quæstionem nostram excitatam & agitatam fuisse.

Probatur 3. ex SS. Patribus.

S. Cyprianus Ep. 73. ad Jubajanum, supponit manifeste votum, ac desiderium Baptismi vices ejus supplere. Cum enim in ea versaretur opinione, Baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse, hanc sibi proponit quæstionem: *Quid nempe fiet de his, qui ab hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt?* (& ita diem extremum obierunt) Respondet

P. 118. Deum

Deum ex sua indulgentia & misericordia eorum voluntatem supplere posse. Eadem plane mens fuit S. Dionysii Alexandr. in Epist. ad Sixtum S. P. apud Euseb. L. 7. c. 9.

S. Ambr. Oratione funebri de obitu Valentiniani Imperatoris sic loquitur: *Audio vos dolere, quod non acceperit Sacramenta Baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? At qui etiam dudum hoc voti habuit, ut antequam in Italiam veniisset, initiaretur, & proxime baptizari se a me velle significavit; & ideo præ ceteris caussis me accersendum putavit... Non habet ergo gratiam, quam desideravit? Non habet quam poposcit? certe quia poposcit, accepit. Et ubi est illud? Justus quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit?* Sapientiæ 4. Et paullo post: *Quod si Martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas:* Denique post multa, conversо ad eum sermone: ait: *Non quicumque te, sed Christus illaminavit gratia spiritali: ille te baptizavit, quia humana tibi officia defuerant. Plus adeptus es, qui minora te amisisse credebas.* T. 2. p. 1188. A. B. Ibid. D. Ibid. p. 1193. F.

S. Aug. lib. 4. de Baptismo cap. 22. *Invenio*, inquit, *non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat posse supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Et postea adducto latronis exemplo, sic pergit: *Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; in illo latrone declaratum est: sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Adducit quoque exemplum Cornelii, qui antequam baptizaretur, justificatus erat. T. 9. p. 139. C. Ibid. D. Ibid. p. 140. D

Denique S. Bern. ex professo Epist. 77. Conclusionem nostram demonstrat variis momentis præsertim SS. Ambrosii, & Augustini auctoritate: *Ab his*, inquit, *columnis, Augustinum loquor & Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor credens & ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi Sacramenti: si tamen pro adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviarit.* T. 2. p. 629. A.

Inde est, quod sacra Facultas Parisiensis an. 1560. consulta circa propositionem istam: *Per contritionem perfectam, non adhibito realiter Sacramento Baptismi vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen, extra casum martyrii, & necessitatis*, declarat Judicio suo doctrinali, propositionem esse hæreticam.

Quæres 1. quale requiratur Baptismi votum seu desiderium: an explicitum seu expressum; an implicitum, & generale sufficiat. Quale voti Baptismi necessarium sit an explicitum, vel implicitum.

Resp. cum distinctione. Vel enim cognoscitur præceptum Baptismi, vel ignoratur invincibiliter: si posterius, sufficit votum implicitum, quod semper includitur in contritione perfecta. Sic v. g. qui audita Evangelii prædicatione, de Baptismo tamen nihil audivisset, & fidem in Christum ex charitate perfecta formatam haberet, ac statim migraret ex hac vita, haud dubie non haberet expressum Baptismi desiderium, cujus necessitatem supponitur ignorare invincibiliter; haberet igitur implicitum dumtaxat, & generale, cum quo salvus ille foret. Si vero cognoscatur Baptismi præceptum, ejusque necessitas; votum illius expressum seu explicitum requiritur. Tum quia id innuere videntur citata Concilii Trid.

& SS. PP. testimonia, quibus asserunt contritionem perfectam justificare cum voto Baptismi: atqui si de voto solum implicito, & generali loquerentur, inutile fuisset addere: *cum voto Baptismi*; statim enim, ac quis supponitur habere perfectam contritionem, habet quoque generale desiderium adimplendi quidquid est a Christo præscriptum; ejusmodi quippe desiderium semper includitur in contritione perfecta. Tum quia votum medii, quod ex ordinatione divina necessarium est ad salutem, debet esse diversum a voto rei ex solo præcepto necessariæ: atqui votum rei ex solo præcepto necessariæ debet esse saltem implicitum. Sic morti proximus debet saltem implicitum habere desiderium Eucharistiæ, & Unctionis extremæ, quia utriusque Sacramenti usum infirmis in vitæ periculo constitutis Christus imperavit: ergo votum rei, quæ necessaria est absolute seu necessitate medii, debet esse explicitum.

Verum, inquies, numquid etiam requiritur explicitum desiderium mandata Dei observandi, quando cognoscuntur, & reipsa possunt adimpleri? haud dubie. At hoc posito, quid discriminis erit inter votum Baptismi, aut Pœnitentiæ, & aliorum mandatorum Christi?

Resp. 1. ceterorum Christi mandatorum desiderium non debere necessario esse explicitum, sed implicitum sufficere. Resp. 2. quod etsi necesse aliquando foret votum illud aliorum Christi mandatorum esse explicitum, adhuc id discriminis esset inter votum Baptismi, Pœnitentiæ, & aliorum mandatorum, quod ex ordinatione divina Baptismi aut Pœnitentiæ votum suppleat vices illorum Sacramentorum; unde merito Conc. Trid. dixit: *Contritionem non justificare sine voto Baptismi aut Pœnitentiæ*. At votum aliorum mandatorum vices eorum nec supplet, nec effectus producit.

Quæres 2. an per votum Baptismi extinguatur omne debitum pœnæ temporalis subeundæ.

Resp. ex citatis SS. PP. testimoniis id non constare. 1. Quia Scripturæ testimonia, quibus pœnitentibus, credentibus, & nomen Domini invocantibus salus promittitur, cohærent cum onere persolvendi pœnam temporalem. 2. Quia Deus id tantum supplere præsumitur, quod simpliciter & absolute necessarium est: ac totius pœnæ relaxatio non est ejusmodi. 3. Quia Ecclesia pro Catechumenis non baptizatis, defunctis orabat, Sacrificia offerebat, quod pro Valentiniano fecit Ambrosius, & Innoc. III. pro Presbytero non baptizato fieri jussit. Contingere tamen potest, ut tantus sit fervor charitatis, tanta vis, & intensio, ut omnis pœnæ remissionem impetret.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Communis fuit per quinque priora sæcula Ecclesiæ Romanæ, & Hispaniæ mos, ut nec cum Catechumenis, qui sine Baptismo, nec cum pœnitentibus, qui sine reconciliatione mortui fuerant, communicaret, nec pro iis & preces funderet, & offerret Sacrificium: sed aliunde oriri non potuit hæc disciplina, quam ex persuasione votum Baptismi aut Pœnitentiæ supplere non posse vices utriusque Sacramenti.

Major videtur certa.

De Ecclesia Romana testis est S. Leo Epist. 82. alias 91. ad Theodo-

rum

rum Forojulienſem Epiſcopum, ubi ſic loquitur: *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, a munere indulgentiæ præſentis exciderit; & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit.* T. 1. p. 605.

Teſtis Gelaſius I. S. Pontifex: in Concilio enim Romano celebrato pro abſolutione Cumani Epiſcopi hæc habet: *Nec nos jam mortuis veniam præſtare depoſcant, quod nobis poſſibile non eſſe manifeſtum eſt. Alia eſt cauſſa ſuperſtitum, alia defunctorum.* T. 4. Con. p. 1274. D.

Teſtis Vigilius I. qui obiit an. 559. & Leoni, ac Gelaſio ſubſcribit, quorum Decreta ad calcem latæ a ſe Conſtitutionis de tribus Capitulis, laudat & approbat.

De Eccleſia Hiſpanica conſtat ex II. Conc. Bracarenſi an. 563. c. 17. ubi ſic legimus: *Placuit, ut Catechumenis ſine redemptione Baptiſmi defunctis, ſimili modo neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium; & hoc per ignorantiam uſurpatum eſt.* T. 5. Con. p. 841. E.

Reſp. 1. ad maj. Eccleſiarum diſciplinam hac in parte variam fuiſſe, illæſa ſemper, & integra remanente fide.

Eccleſia Mediolanenſis quarto ſæculo, pro Valentiniano ſine Baptiſmo defuncto, jubente & hortante Sanctiſſimo Epiſcopo Ambroſio, preces publicas ac ſollemne Sacrificium obtulit.

Eccleſia Carthaginenſis idem teſtatur in ſuo IV. Conc. Carth. an. 398. can. 79. ubi de pœnitentibus ita ſtatuit: *Pœnitentes, qui attente lege pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur.* T. 2. Con. p. 1206. B.

Eccleſia Arelatenſis idem quoque ſignificat in ſuo II. Concil. Arelatenſi an. 452. can. 12. *De his*, inquiunt Patres, *qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt, placuit nullum vacuum Communione debere dimitti; ſed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius ſuſcipiatur.* T. 4. Con. p. 1012. D.

Eccleſia Hiſpanica idem obſervavit in Conc. XI. Toletano an. 675. can. 12. his verbis: *De his autem, qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita receſſerint, quamquam diverſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nos ſententias placuit ſequi, qui multiplices numero de hujuſmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in Eccleſiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata ſpiritibus accipiatur.* T. 6. Con. p. 551. B.

Eccleſia denique Romana ſexto ſæculo mutavit diſciplinam a Leone, & Gelaſio prius inductam. Tunc enim communicare cœperunt SS. Pontifices cum pœnitentibus, qui ante acceptam abſolutionem obierant: tunc perſonas in hæreſi, aut ſaltem in ſuſpicione hæreſeos mortuas ex albo Fidelium deleverunt, idque poſt Conc. V. generale an. 553. cujus veſtigiis adhærens Concilium ſextum, multos Epiſcopos, dum viverent, nequaquam damnatos, poſt mortem excommunicationis ſententia punivit, prohibuitque, ne pro iis publicæ preces funderentur, aut offerretur Sacrificium. Hujus diſciplinæ meminit Innoc. III. Extra: *De ſententia excommunicationis* c. 28. ubi ſic reſpondet: *Poteſt tamen & debet ei Eccleſiæ beneficio ſubveniri*, (loquitur de homine, qui dum viveret, excommunicatione percuſsus fuerat) *ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur.* Idem Innocentius argu-

argumentum solvit, quo Leonis, & Gelasii disciplina nitebatur: *Nec obstat*, inquit, *quod Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi atque solvendi homines super terram, tamquam non possit solvere & ligare sub terra sepultos; & quod legitur: Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo: cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus Religionis, sed necessitatis articulus impedivit, & in ceteris casibus Canonibus denotatis, ligasse legatur Ecclesia mortuos, & solvisse.*

Resp. 2. ad min. Nego causam denegatæ Communionis iis, qui vel sine reconciliatione, vel sine Baptismo ex hac vita migrassent, hanc fuisse, quod existimaverint Veteres in necessitate votum Pœnitentiæ, aut Baptismi non sufficere: (neque enim ex desperatione indulgentiæ, ut ait S. Aug. ex rigore disciplinæ sic egerunt;) sed ut Fideles majori studio, ardore, ac vigilantia pœnitentiæ, & catechumenatus laboribus incumbentes, ad gratiam reconciliationis, aut regenerationis cito percipiendam timore illius pœnæ adducerentur. Unde S. Leo de illis non desperat, sed eorum causam uni Judicio Dei vult committi. *Nec ne-*
T. 1. p. 605. *cesse est*, inquit, *nos eorum, qui sic obierunt, merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit.*

Objic. 2. auctoritatem S. Ambrosii l. de Mysteriis c. 4. ubi sic loquitur:
T. 2. p. 330. B. *Credit Catechumenus in Crucem Domini Jesu, quia & ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.*

Et Lib. 2. de Abrahamo cap. 11. adducto loco S. Joann. *Nisi quis renatus fuerit &c. Utique*, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliqua*
T. 1. p. 351. A. *præventum necessitate.*

Resp. ad primum, loqui S. Doctorem de illis adultis, qui cum possint, & debeant baptizari, negligunt tamen, vel etiam contemnunt Baptismum; quos merito ait sine Baptismo salvos esse non posse.

Ad secundum: loquitur tantum de infantibus, qui non possunt salvi fieri sine Baptismo actu percepto, (excepto casu martyrii) non vero de adultis, quod patet ex verbis istis immediate sequentibus: *Habeant*
Ibid. *tamen*, inquit, *illam opertam pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem.*

Quamquam postrema verba, quibus dubitare videtur, an infantes sine Baptismo defuncti habeant regni honorem, cum sapiant errorem Pelagianum, suspicari merito possumus ab aliquo hæretico intrusa esse, ut scite observant doctissimi Benedictini, quorum cura & studio recognita sunt, & prælo mandata S. Ambrosii Opera; præsertim cum ipse S. Doctor eodem cit. c. 11. l. 2. de Abraham n. 76. affirmate dixerit, *neminem*
Ibid. p. 348. F. *ascendere in Regnum Cælorum, nisi per Sacramentum Baptismatis.*

Objic. 3. auctoritatem S. Augustini multis in locis.

Tract. 18. in Joann. *Quantumcumque*, inquit, *Catechumenus proficiat, ad-*
T. 3. par. 2. p. 394. C. *huc tamen sarcinam suæ iniquitatis portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.*

Et Tract. 4. de iisdem Catechumenis loquens: *Omnia peccata*, inquit,
Ibid. p. 318. B. *super illos sunt; & nisi venerint ad salutarem Baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni sua excellentia non possunt intrare in Regnum Cælorum.*

Lib.

Lib. 1. de origine animæ cap. 9. *Nemo fit*, inquit, *membrum Christi nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.* T. 10. p. 342. D.

Lib. 2. de peccatorum mer. & remiss. c. 26. *Sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in Regnum Cælorum.* Ibid. p. 63. A.

Lib. de Unitate Ecclesiæ c. 22. *Utrumque*, inquit, *necessarium est ad Regnum Dei adipiscendum, & Baptismus, & justitia.* T. 9. p. 379. G.

Denique Lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 21. *Sicut*, inquit, *bono Catechumeno Baptismus deest ad capessendum Regnum Cælorum, sic malo baptizato vera conversio . . . Alterum sine altero parum est; utrumque perficit illius possessionis heredem.* Ibid. p. 138. F.

Ex quibus ut testimoniis istud concluditur, aut neminem justificari antequam baptizetur: aut Catechumenum justitiam asequi posse, etiam ante Baptismum, sicut de Cornelio fatetur S. Aug. lib. 4. de Baptismo cap. 21. 22. & 24. non tamen consequi remissionem peccatorum, sicut contendit Michael Bajus. Ibid. p. 139. A.

Resp. ad primum, & secundum testimonium, S. Doctorem loqui de illis superbis, & elatis Catechumenis, qui de suis præsumentes bonis operibus, quasi inutilem sibi Baptismum negligebant, vel etiam contemnebant, seque aliis Christianis baptizatis longe meliores præsumebant; quos merito S. Augustinus ait *farcinam iniquitatis suæ portare*, donec deposita superbia, ad Baptismum humiles accesserint. Hunc esse Sancti Doctoris sensum constat ex verbis, quæ præcedunt, ea quæ laudata sunt ex Tract. 13. in Joann. *Quare*, inquit, *oportebat, ut Dominus baptizaretur? quia multi contempturi erant Baptismum, eo quod jam majore gratia prædili viderentur, quam viderent alios Fideles. V. gr. jam continenter vivens Catechumenus, contemneret conjugatum, & diceret se meliorem, quam ille sit Fidelis. Ille Catechumenus posset dicere in corde suo: Quid mihi opus est Baptismum accipere, ut hoc habeam quod & iste, quo jam melior sum?* T. 3. p. 3. p. 393. F.

Ad tertium: cum ait S. Doctor, neminem fieri membrum Christi, nisi per Baptismum, non tantum intelligit Baptismum re, sed etiam voto perceptum, ex perfecta nimirum charitate: ita colligere est ex testimoniis, quæ inter probationes Conclusionis adducta sunt.

Ad quartum: loquitur S. Aug. de variis sanctificationibus, quibus Catechumeni ad Baptismum præparabantur, & præformabantur, ut signo Crucis, impositione manuum &c. quæ omnia profecto, nisi accesserit Baptismus, ad Regnum Cælorum perducere non possunt, nisi jungantur cum charitate perfecta, quæ Baptismi vices supplet, quando *non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis illum excludit*, ut loquitur S. Aug. antea citatus lib. 4. de Baptismo c. 22. T. 9. p. 139. D.

Ad quintum ex lib. de Unitate Ecclesiæ: loquitur S. Doctor ex hypothesi ordinaria, qua omni secluſa necessitate prohibente, potest Baptismus percipi ab iis, qui eum non contemnunt; quo certe casu verum est, quod ait S. Doctor, utrumque necessarium esse, & Baptismum, & justitiam: *In contemptore autem Baptismi* (pergit statim) *non potest esse justitia.* Ergo supponit eam adesse posse in eo, qui Baptismum non perciperet, non quidem ex contemptu, sed ex necessitate. Ibid. p. 379. G.

Ad ultimum ex l. 4. contra Donat. c. 21. eadem est responsio, nempe loqui

loqui S. Doctorem de bono quidem Catechumeno, sed qui ex negligentia ad Baptismum non accederet. *Si enim*, inquit, *Cornelius etiam Spiritu S. jam accepto baptizari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus fieret.* Et c. 25. ejusdem Libri *Conversio cordis*, inquit, *potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto non potest.* Unde idem S. Doctor cit. c. 21. ejusdem Libri ait: *Non dubito Catechumenum Catholicum divina charitate flagrantem Hæretico baptizato anteponere.*

Ibid. p. 138. E. *Ibid. p. 145. C.* *Ibid. p. 138. D.*

Objicies 4. Vel contritio justificat dependenter a voto Baptismi, vel independenter: neutrum dici potest.

Non primum, quia minorem vim non habet contritio post Baptismum institutum, quam antea: atqui ante institutionem Baptismi justificabat sine illius voto.

Non secundum, alias Baptismus in voto necessarius non esset ad salutem.

Resp. contritionem justificare cum voto Baptismi, sicut docet Concilium Trid. neque inde sequitur imminutam esse ipsius vim, sed tantum additum esse novum mandatum. Præterea in contritione semper includitur voluntas observandi omnia Dei mandata, alias imperfecta illa foret.

Objicies denique: S. Ambrosius in funebri Oratione Valentiniani, affirmat eum ad cælestia gaudia pervenisse; censet igitur votum Baptismi tollere omne debitum pœnæ temporalis luendæ.

Resp. a Valentiniani morte usque ad tempus, quo S. Ambrosius Mediolani funebre ejus Encomium recitavit, multos dies fluxisse, ut patet ex historia mortis illius, quæ Viennæ in Galliis contigit: unde licet Valentinianum jam tum gloria cælesti potitum fuisse concedatur, non posset tamen colligi; eum post mortem aliquas non sustinuisse ab igne purgatorio pœnas. Dici præterea potest, S. Doctorem ex vehementia & ardore charitatis, qua flagrabat Imperator, conjecisse, eum ab omni pœna immunem fuisse: idcirco, conjecisse, non certo definiisse; siquidem hortatus est plebem Christianam, ut pro eo preces ad Deum funderet, & incruentum Sacrificium offerret.

Instabis: Valet in præsenti quæstione vulgatum axioma: *Voluntas pro facto reputatur*; ergo sicut Baptismus re susceptus expungit omnis pœnæ debitum, ita & ejus votum seu desiderium.

Resp. prædictum axioma obtinere tantum in iis operibus, in quibus non opus operatum spectatur, sed meritum operantis: voluntas enim cum satis magna & efficax est, *pro facto* idcirco reputatur, quod tota meriti ratio in voluntate posita sit, quæ quidem tanta esse potest absque opere, quanta operi conjuncta, quin & interdum major; in quibus proinde, quod pro facto reputetur voluntas, non tantum misericordiæ Dei est, sed aut naturæ & dignitatis rei, aut saltem primæ institutionis. Quod quidem perspicuum est in malis operibus, velut si quis omnino voluit hominem occidere, nec tamen potuit: cum enim hic non minori malitia affectum gerat animum, quam si homicidium revera perpetrasset, coram Deo reus est, & justo judicio damnatur. At in illis operibus, in quibus non meritum operantis, sed opus ipsum operatum attenditur, sicut fit in omnibus Sacramentis, non valet dictum axioma; aut saltem si voluntas pro facto reputatur, illa vim Sacramenti non habet: ideest, eodem modo ex opere nimirum operato non agit, sed ex

sola

sola misericordia Dei, qui propter fidem & desiderium quærentis salutem, voluntatem pro facto acceptat; & complet in necessitate, quod deest ex parte Sacramenti. Ita Estius in 4. dist. 4. parag. 17.

QUÆSTIO TERTIA.

De caussis seu de auctore, ministro, & subjecto Baptismi.

ARTICULUS PRIMUS.

De auctore Baptismi; an, & quando fuerit a Christo institutus, & obligare cœperit.

BAptismum a Christo institutum fuisse omnes sive Orthodoxi sive Hæretici agnoscunt, sed de tempore institutionis non una est sententia.

Sunt, qui existimant, Christum post suam dumtaxat a mortuis Resurrectionem, non ante, Baptismum instituisse: ex qua opinione sequitur, Apostolos ante Christi mortem baptizatos non fuisse Baptismo Christi, nec ipsos alio, quam Joannis Baptismo baptizasse. Ita inter Veteres videntur sentire Tertull. Libr. de Baptismo cap. 11. & 12. S. Chrysost. Hom. 28. in cap. 3. S. Joan. & qui eum exscribunt, Theophilactus & Euthymius; S. Leo Epist. ad universos Siciliæ Episcopos n. 16. alias 4. cap. 3. ubi probans Baptismum in sola Paschæ & Pentecostes sollemnitate administrandum esse, ista inter alias ratione utitur: *Quia*, inquit, *ipsa operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. Ad cujus rei confirmationem* (pergit ille) *plurimum valet, quod ipse Dominus Jesus Christus posteaquam resurrexit a mortuis, Discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, & formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes docete omnes gentes &c. De quo utique eos etiam ante Passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua Resurrectione cœpisse.* T. 1. p. 464.

Inter Recentiores, Rupertus lib. 3. in Joan. circa finem, docet Baptismum, quo baptizabant Apostoli ante Passionem, non fuisse Baptismum novæ Legis; nec habuisse efficaciam gratiæ, quam accepturus erat Baptismus a Passione Christi: *Antea enim*, inquit, *non dabatur Spiritus, quia nondum erat Jesus glorificatus.* Ed. Moguntina 1631. T. 2. p. 268. col. 1.

Alexander Alensis part. 4. de Sacramentis qu. 8. art. 3. multiplicem esse docet Baptismi institutionem; unam materialem seu materiæ, quando Christus in Jordane baptizatus est; alteram formalem seu formæ, quando post Resurrectionem dixit Apostolis: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Tertiam finis, quando dixit Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Quartam effectus, quando dictum est Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Quintam efficaciæ, quando de latere Christi exivit Sanguis, & aqua. Ex qua explicatione videtur ille Auctor existimasse, plenam & integram Baptismi institutionem factam fuisse post mortem Christi; nisi forte hoc unum velit, quemadmodum interpretatur Gabriel, Scripturam variis in locis explicare, quæ ad institutionem Baptismi pertinent. T. 4. p. 124. col. 1.

Mel-

Melchior Canus lib. 8. de Locis cap. 5. opinionem hanc non tantum probabilem existimat, sed in eam videtur inclinare, præsertim cum ait: p. 390. *improbabile sibi videri Apostolos ante mortem Christi baptizasse in nomine SS. Trinitatis*.

Sunt econtra, qui censent Baptismum ante Christi mortem fuisse institutum; verum non consentiunt de tempore institutionis.

Alii referunt hanc institutionem ad tempus, quo Christus Nicodemum de nocte alloquens Joann. 3. vers. 5. dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Ita videtur sentire Sanctus Bernardus Epistola 77. ad Hugonem, Estius in 4. distinct. 3. paragr. 11. Alii cum Simonetto referunt ad tempus, quo Christus baptizavit, & Apostolos misit ad Judæos, ut baptizarent.

Alii tempus institutionis Baptismi figunt, quando Christus in Jordane baptizatus fuit. Ita Magister Sententiarum lib. 4. dist. 3. litt. C. S. Th. 3. p. q. 66. Vasquez, & alii plurimi.

Alii denique, inspecta hac opinionum varietate, ajunt institutionis Baptismi tempus incertum esse; quamquam dicant institutum postquam Christus a Joanne fuit baptizatus, & antequam Discipulos mitteret ad baptizandum. Ita videntur sentire Scotus in 4. dist. 3. qu. 4. Gabriel in eamdem distinctionem quæst. unica art. 3.

Quamquam autem omnes isti Theologi doceant ante mortem Christi institutum fuisse Baptismum; ejus tamen præceptum non obligasse contendunt, nisi post mortem Christi, ejusque Resurrectionem, ubi sufficiens facta est Legis Evangelicæ promulgatio. His ita præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Christus Baptismum ante mortem suam instituit; quo præcise tempore certo non constat: probabilius tamen est, tunc instituisse, cum in Jordane fuit baptizatus.

Duæ sunt conclusionis partes. Probatur prima pars ex Scriptura. Jo. 3. v. 22. *Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Et initio cap. 4. *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures Discipulos facit, & baptizat, quam Joannes (quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus,) reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.* Ex quibus sic probari nostra Conclusio potest. Usus Baptismi continet aut supponit saltem ejus institutionem: atqui ante mortem Christi Discipuli ejus baptizabant; quæ enim in prædictis locis narrantur, contigere ante incarcerationem Joannis, ut planum est: longe autem antequam Christus pateretur; in carcerem conjectum fuisse Joannem Historia Evangelica fidem facit, Matth. 14. v. 3. & sequentibus.

Neque est, quod reponat quis, Discipulos Christi non alio, quam Joannis Baptismo baptizasse ante mortem Christi.

Namque 1. citato cap. 3. Joan. 25. excitata legitur inter discipulos Joannis, & Judæos quæstio de purificatione, utra esset melior; inde suborta æmulatio inter ipsos, quod plures ad Christum accederent, quam

ad

ad Joannem, Baptiſmum percepturi: atqui huic contentioni locus non fuiſſet, ſi Diſcipuli Chriſti non alium, quam Joannis Baptiſmum adminiſtraſſent; eadem enim fuiſſet purificatio, utriuſque par dignitas & efficacia; & ad Joannem potius confugiſſent, ut Baptiſmum, quem ipſe dare ſolebat, acciperent, quam ad Chriſtum, qui propriis manibus non baptizabat, ſed per Diſcipulos ſuos.

2. Quia Baptiſmus Diſcipulorum Chriſti dicitur Baptiſmus ipſius Chriſti. Quamquam enim dicat S. Joannes c. 4. Chriſtum *non per ſe, ſed per Diſcipulos baptizaſſe*; capite tamen 3. v. 22. jam citato, non obſcure aſſerit eum baptizaſſe; quod certe abſque ulla contraditione dicere potuit Evangeliſta: Chriſtus ſcilicet paſſim promiſcuam plebem non baptizabat, ſed id opus Diſcipulis commiſerat, quos tamen ipſe propriis manibus prius baptizaverat; quod etſi ſcriptum non ſit, merito tamen ita factum conjicit, & probat S. Auguſtinus mox citandus. Porro abſurdum videtur, Chriſti Baptiſmum, etiam ante ipſius Paſſionem, fuiſſe in aqua tantum; ſiquidem Joannes inter ſuum & Chriſti Baptiſmum ita diſtinguit, ut dicat Marci 1. v. 8. *Ego baptizavi vos aqua; ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto.* Et Joan. 1. v. 33. *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.*

3. Quia Baptiſmus a Diſcipulis Chriſti collatus, mundos reddebat ſuſcipientes, & ſemel rite collatus iterari non poteſt: at iſti characteres ſoli, & vere Chriſti Baptiſmo conveniunt, de quo hæc verba Chriſti ad S. Petrum: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet*, interpretatur S. Auguſtinus Epiſt. 265. alias 108. ad Seleucianum, & Lib. 3. de anima, & ejus origine c. 9. & Tract. 5. in Joan. ubi probat baptizatos a Joanne iterum fuiſſe ab Apoſtolis Baptiſmo Chriſti tinctos; baptizatos vero a Juda non fuiſſe iterum baptizatos, quia Baptiſmus Judæ erat Baptiſmus Chriſti, qui ſemel collatus iterari non poteſt.

4. Denique, Baptiſmus, quem Apoſtoli a Chriſto acceperunt, idem erat cum illo, quem ipſi ceteris adminiſtrabant, ideſt verus Chriſti Baptiſmus: atqui Apoſtoli receperunt Chriſti Baptiſmum, ipſo miniſtrante Chriſto, non vero Baptiſmus Joannis.

Minorem probat ex profeſſo S. Auguſt. tum L. 3. de anima & ejus origine c. 9. tum Ep. 265. alias 18. ad Seleucianum, ubi ait, quod etſi ſcriptum non ſit Chriſtum propriis manibus baptizaſſe Apoſtolos, tamen id valde credibile ſit: *Neque enim*, inquit, *baptizandi miniſterium defugeret, ut haberet baptizatos ſervos, per quos ceteros baptizaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis miniſterium, quando eis lavit pedes.* Tum denique Ep. 44. alias 163. ad Eleuſium c. 5. ubi Apoſtolos Chriſti Baptiſmo tinctos fuiſſe his probat momentis. 1. Quod alios baptizabant vero Chriſti Baptiſmo: *Quomodo autem dabant, quod non acceperant?* Utitur S. Doctor hoc argumento ad hominem contra Donatiſtas. 2. Quia Chriſtus non dabat Baptiſmum Joannis: *Quippe non decebat ſponſum dare Baptiſmum amici vel ſervi.* 3. Quia non potuiſſent Apoſtoli idonei eſſe ad percipiendam Euchariſtiam ſine prævio Baptiſmo. 4. denique, quia hoc innuere videtur Chriſtus, dum Petro dixit: *Qui lotus eſt ſemel, non eum oportet iterum lavari, ſed eſt mundus totus.* Perfecta quippe mundatio non in Joannis, ſed in Domini Baptiſmo eſt. Eodem teſtimonio utitur Optatus L. 5. ut probet adverſus Donatiſtas,

Tom. 10. p. 379. T. 2. p. 897. E. F.

Ibid. p. 105. C. Ibid. D. Ibid.

Ibid.

non esse iterandum Baptisma; quod argumentum vim non haberet, nisi
P. 85. supponeret, Apostolos Baptismo Christi fuisse tinctos. Nicephorus Lib. 2. Hist. c. 3. refert ab Evodio Apostoli Petri successore scripto fuisse traditum, inter Apostolos solum Petrum fuisse manibus Christi baptizatum.
To. 1. p. 134. A. Ante Nicephorum idem dixit Euthymius in c. 3. Joannis.

Secunda pars Conclusionis, quæ ad mentem SS. Patrum accedere proprius videtur,

Probatur 1. Quia SS. Patres asserunt aquas in Christi Baptismo vim sanctificandi accepisse; idest, tunc destinatas fuisse pro materia Sacramenti.
To. 1. p. 1308. F. Ita S. Ambrosius L. 2. in Lucam n. 83. *Baptizatus est Dominus*, inquit, *non mundari volens, sed mundare aquas*. Et S. Hieronymus adversus Luciferianos: *Dominus noster Jesus Christus non tam mundatus est in lavacro*, inquit, *quam lavacro suo universas aquas mundavit*. Idem & S. Augustinus Serm. 36. de tempore, & Optatus L. 1. S. Maximus Homilia 1. Epiphaniæ.
Tom. 4. part. 2. p. 293.

Tom. 3. part 2. p. 332. D. 2. SS. Patres asserunt, cum baptizatus est Christus, designatam fuisse formam Baptismi. Ita S. Augustinus Tract. 6. in Joan. ubi ait *apparuisse Patrem in voce, Filium in homine, Spiritum Sanctum in columba*.

T. 4. p 2. p. 293. 3. Tunc designatum fuisse præcipuum Baptismi effectum, ut observat S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos. *Christus*, inquit, *in Baptismo Spiritum Sanctum accepit, non quod sine eo aliquando fuerit, sed ut monstraretur verum esse Baptisma, quo Spiritus Sanctus adveniat*. Ita S. Chrysostomus Hom. 12. in Matth. Ambrosius L. 2. in Lucam c. 13. Augustinus Serm. 36. de
Tom. 5. Append. p. 234. D. tempore, nunc 135. in Append. *Ex quo*, inquit, *in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas mysterio Baptismatis consecravit, ut ubi quisque in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluat, quam Christi unda purificet*. Porro, ut ratiocinatur S. Th. hic q. 66. art. 2. *tunc videtur Sacramentum aliquod institui, quando accipit virtutem producendi effectum suum. Hanc autem virtutem accepit, quando Christus est baptizatus*.

P. 617. B. 4. Denique, quia ajunt Christum, cum baptizatus est, *exempli sui auctoritate salutis humanæ Sacramenta consummasse, hominem & assumptione sanctificans & lavacro*. Ita S. Hilarius in Matth. Can. 2.

Quæres quare Christus baptizari voluerit.

Resp. plures a SS. Patribus caussas & rationes adduci. 1. ut contactu carnis suæ aquis vim mundandi conferret. Ita SS. Patres mox citati. 2. ut auctoritate sua & exemplo Baptismum Joannis comprobaret. Ita S. Hieronymus in Matth. c. 3. 3. ut exemplo suo ostenderet non esse negligendum Baptismum. Ita S. Augustinus. 4. ut exemplo nos invitaret, ne quis forte ab inferiori baptizari erubesceret. Ita S. Anselmus in c. 3. S. Matth. 5. ut qui Legem venerat non solvere, sed adimplere, omnem in seipso adimpleret justitiam. Ita Christus ipse Matth. 3. v. 15. Nec obstare istud potuit, quod Christus esset ab omni peccato immunis, Joannes autem baptizaret Baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum: nam cum Christus venisset, non quidem in carne peccati, sed tamen in similitudinem carnis peccati, merito non alienum a se judicavit, si simile cum peccatoribus signum susciperet; atque ita nobis in omnibus similis fieret, excepto peccato, ut dicitur Heb. 2. v. 15.

SECUNDA CONCLUSIO.

Lex Baptismi prius obligare generaliter non cœpit, quam fuerit sufficienter promulgata.

Probatur. Quia ea est legis positivæ conditio, ut prius non obliget, quam sufficienter promulgata potuerit in cognitionem venire: atqui lex Baptismi percipiendi positiva est, non naturalis. Etsi enim renasci ex Spiritu sancto semper & omnino fuerit necessarium ad salutem, modus tamen renascendi, qui fit per aquam; non semper necessarius fuit; sed post factam ipsius institutionem vim necessitatis accepit, partim ex abolitione modi alterius, nempe Circumcisionis, partim ex declaratione præcepti. Unde Patres Tridentini sess. 6. c. 4. affirmant, justificationem post Evangelium promulgatum, sine Baptismo vel ejus voto fieri non posse.

Conclusionem probat ex professo S. Bernardus epist. 77. ad Hugonem, ubi disputans adversus quemdam, qui contendebat ex quo primum a Domino dictum est: *Nisi quis renatus fuerit* &c. neminem absque Baptismo re percepto, vel ejus vice martyrio, ullatenus potuisse salvari, ait: *De temporis præfixione nimis durum austerumque videtur, ut videlicet verbum absconditum palam jam noceat, & ante Judex feriat, quam minetur.* T. 1. p. 625. D. Et paullo post, urgens legis positivæ rationem, pergit: *Valde injuste exigitur obeditio, ubi non præcesserit auditio. Neque enim tale est hoc, quod & absque promulgatione naturalis Lex ignorare non sineret, quale v. g. illud est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Factitium enim magis quodammodo est, & non naturale mandatum.* Ib. p. 626. B. Et infra; *Quod ergo omnino sciri non poterat, si non audiretur; quo pacto, quæso, exigi debeat, & antequam audiretur?* Ibid. C. Et post multa concludit, quod ex eo tempore tantum cœpit non baptizatus quisque novi præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.

Dixi, Baptismi legem generaliter obligasse tantum post sufficientem & publicam ejus promulgationem: potuit quippe ante hanc promulgationem, eos obstringere, quibus cognitum fuit Christi mandatum, quale fuit v.g. Nicodemus, cui dicit Christus: *Nisi quis renatus fuerit &c.*

Tempus autem hujusce publicæ, ac sollemnis Evangelii promulgationis, vulgo computatur a die Pentecostes, quo omnia Legalia extincta sunt, nec tantum mortua, sed & mortifera extitere; de qua re gravis olim fuit inter SS. Hieronymum & Augustinum disputatio, quam expendere non est præsentis nostri instituti. Si quis tamen invincibiliter etiam ab eo tempore legem Baptismi ignoraverit, ut sunt sane non pauci, quibus nunquam annuntiatus est Christus, ii certe violati præcepti rei non sunt, nec propterea damnandi, sicut nec propter infidelitatem pure negativam, sed propter originale & actuale peccatum.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Baptismi formam nonnisi post Resurrectionem Christus præscripsit, cum dixit Matth. ultimo: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Igitur ante Resurrectionem Baptismum non instituit.

Resp. nego conseq. Citato enim capite S. Matth. baptizandi mandatum & formam Apostolis suis Christus præscripsit, sed antea jam Baptismum instituerat, & formam ejus haud dubie designaverat, quamquam id scriptum non sit.

Objicies 2. Baptismus non fuit a Christo institutus, antequam Spiritus Sanctus daretur: atqui Spiritus Sanctus fuit tantum datus post Resurrectionem Christi, juxta istud S. Joan. cap. 7. v. 29. *Nondum Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Quo testimonio ducti sunt multi ex Veteribus, ut putarent Baptismum post Resurrectionem dumtaxat fuisse institutum.

Resp. locum istum S. Joannis intelligendum esse de sola visibili & conspicua Spiritus Sancti missione, quæ futura erat in die Pentecostes, non vero de missione invisibili seu occulta interioris gratiæ largitione; certum enim est multis Sanctis ante diem Pentecostes datam esse Spiritus Sancti gratiam. Sic de Simone dicitur Luc. 2. v. 25. *Spiritus Sanctus erat in eo*: & de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Solutionem suppeditat S. August. L. 83. quæstionum q. 62. *Quæritur*, inquit, *utrum, qui baptizati sunt illo tempore, quo scriptum est Dominum per Discipulos suos baptizasse, plures quam Joannes, acceperint Spiritum Sanctum. Alio enim loco Evangelii sic dicitur: Spiritus enim nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus. Et facillime quidem ita respondetur, quod Spiritus Sanctus latenter dabatur, ante Domini clarificationem; post manifestationem autem Divinitatis ejus, manifestius datus est.* Veterum autem nonnullos in oppositam nostræ sententiam abiisse hoc S. Joannis testimonio ductos, non diffitemur; sed salva, quæ ipsis debetur, reverentia, ab iis in quæstione libera discedimus.

Luc. 7. v. 47.

Tom. 6. p. 37. E.

Ib. p. 38. A.

Objicies 3. auctoritatem Optati, qui Lib. 5. contra Parmenianum, ait Christum neminem per se baptizasse, sed per Apostolos *millia hominum in pœnitentia & remissione tincta esse peccatorum. Sed*, inquit, *nemo tinctus fuerat in Trinitate; nemo adhuc noverat Christum; nemo audierat esse Spiritum Sanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges Baptismatis Filius Dei; & dedit viam, qua iretur ad Regnum Cælorum, etiam tunc præcepit dicens: Ite, docete &c.*

P. 84. n. 5.

Resp. mentem Optati hanc esse, neminem scilicet ante datum Baptismi mandatum, tinctum fuisse in Trinitate, quod verum est; cum autem addit, præceptum illud tunc datum, cum Christus dixit Matth. ultimo: *Euntes docete &c.* intelligi debet de mandato quod omnes pariter, ac Judæos obstringeret, non vero de mandato simpliciter. Agnoscit enim Optatus præceptum Baptismi jam tum datum fuisse, cum Apostoli ante mortem Christi baptizarunt; imo supponit & ipsos fuisse Christi Baptismo tinctos, ductus istis Christi ad Petrum verbis: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.*

ADDITIO.

(*)

INstabis: *ante mortem Christi non fuit revelatum Apostolis mysterium Trinitatis.*

Resp.

Resp. n. Assumptum contra Harduinum & Berruyerum. Consulantur S. Litteræ Matth. 16. Joan. 14. & 16. An non iis ante mortem suam de Patre & Spiritu S. loquutus est Christus? an non se Dei filium dixit? an non Petrus reliquorum nomine filium Dei vivi esse profitebatur? Credi demum non potest Christum, qui fidem Apostolos ante passionem suam edocuit, præcipuum ejus mysterium retinuisse.

(*)

Objicies 4. Sacramenta novæ Legis vim omnem trahunt ex Passione Christi: ergo ante illam efficacia non fuere.

Resp. nego conseq. Ut enim caussa moralis agat, necesse non est, ut actu existat, sicut manifestum est in caussa finali; sed satis est, quod prævisa moveat: ac Sacramenta novæ Legis agunt tantum moraliter, ut ostendimus agendo de Sacramentis in genere.

Instabis 1. Baptismus est repræsentatio mortis & sepulturæ Christi. Rom. 6. Ergo debet illam supponere.

Resp. dist. ant. Est repræsentatio mortis Christi, vel factæ vel futuræ, concedo: factæ semper, ac necessario, nego.

Instabis 2. ex S. Augustino Tract. 15. in Joan. *De latere Christi Sacramenta Ecclesiæ fluxere.* To. 2. p. 2. p. 409. F.

Resp. dist. quantum ad meritum & pretium persolutum, concedo: quantum ad institutionem & pretii applicationem, nego. Quo sensu Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi.

ADDITIO.

(*)

Objic. 5. Apostoli ante Christi passionem (ut videtur Tertulliano) non acceperunt ejus Baptismum, præsertim cum in sacris Litteris nuspiam istud referatur; quis autem existimet Apostolos eum in alios dispensare potuisse Baptismum, quo ipsi nondum initiati fuerant?

Resp. tametsi daretur assertum Adversario, vim suam consecutio non habet: certum quippe est ex Concilii Lateran. IV. Can. 1. & Florentini decreto ad Arm. §. 1. valere Baptisma a quocumque, etiam pagano, proinde nondum baptizato, collatum. Contra Tertullianum attamen neganda est cum Augustino Antec. propositio: si dicimus, *inquit ille Ep. ad Seleuc.* Apostolos aqua non fuisse baptizatos, metuendum est, ne graviter erremus &c. *Nec est, quod Scripturæ de hoc silentium rursus oggeratur; etenim* non omnia, quæ facta sunt (*libet repetere in hanc rem jam supra cit. Augustini ad Seleuc. verba.*) scripta inveniuntur; verumtamen facta esse ex ceteris documentis probantur, *ubi statim adjicit*: Scriptum est, quando baptizatus fit Paulus, & scriptum non est, quando baptizati sunt alii Apostoli: verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus .... propter illam Domini sententiam: Nisi quis renatus fuerit &c.

Instabis: Ex sacris Litteris colligi, Apostolos ante passionem Christi non fuisse baptizatos vero ejus Baptismo; hunc enim ipse in Cælum ascendens deinde eis dandum promisit Act. 1. Joannes quidem, *inquit*, baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.

Resp. ex cit. Scripturæ loco id non evinci: nam nomine Baptismi, quem isthic Christus promittit, ex communi Interpretum, & Patrum sensu significatur gratia Confirmationis, quæ die Pentecostes conferenda erat Apostolis, quo imbecilles adhuc, per advenientem Spiritum Sanctum corroborarentur, & virtute ex alto inducti Apostolico ministerio pares fierent. Recte dici potest, *in cit. Christi verba ait Augustinus Ep. ad Seleuc.* quia cum Petrus negavit Dominum, nondum fuerant Apostoli baptizati: non tamen aqua, sed Spiritu Sancto, *eos confirmante. In eadem porro Ep. contendit S. Doctor, omnes Apostolos ipsius Christi manibus fuisse baptizatos;* neque enim, *inquit*, baptizandi ministerium defugeret, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis ministerium, quando eis lavit pedes.

(*)

Objicies 6. contra secundam partem 1. Conclusionis. Probabilius est Christum instituisse Baptismum, cum Joan. 3. v. 5. dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit &c.* præsertim cum immediate post illud colloquium, Christus, ejusque Discipuli baptizaverint.

Tom. 1 p. 627.

Resp. nego ant. His enim verbis non magis exprimitur Baptismi institutio, quam istis: *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis &c.* exprimatur institutio Eucharistiæ. In futurum igitur respiciebat Christus, cum dixit: *Nisi quis renatus fuerit.* Tunc enim, ut docet sanctus Bernardus Epistola 77. privata erat Baptismatis & Legis novæ explicatio, cujus postea præceptum & generalis obligatio imponi debuit: neque verisimile videtur, Sacramentum, quod ad omnes omnino pertinet, fuisse institutum in privato & occulto, quod cum Nicodemo habuit, colloquio.

Objicies denique contra secundam Conclusionem. Lex Baptismi tunc omnino obligavit, quando vetus Circumcisionis & aliarum cæremoniarum lex extincta fuit & abrogata: atqui hæc extincta fuit in ipsa Christi morte, quando Christus exclamavit: *Consummatum est.*

Resp. in morte quidem Christi mortuam fuisse, & extinctam Legem veterem; *translato enim sacerdotio, necesse est, ut Legis translatio fiat*, Hebr. 7. sed non fuisse mortiferam. Potuit enim per dispensationem & œconomiam, ut nempe Synagoga cum honore sepeliretur, & Judæi ad Christum facilius adducerentur, interdum observari: sic ipse Paulus Timotheum circumcidit, Act. 16. Unde lex Baptismi non tantum in morte Christi, sed etiam ante mortem eos omnes obstrinxit, qui lati a Christi mandati conscii erant; sed non prius generaliter, ac publice omnes ligare cœpit, quam fuerit sollemniter promulgata, quod factum est in die Pentecostes, atque cum sonus Apostolorum in omnem terram exivit, Psalm. 18. v. 5.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ministro Baptismi.

PRÆNOTANDA.

OBservandum 1. triplicem posse distingui ministrum: unum ordinarium & ex officio; alterum extraordinarium & ex delegatione: tertium ex necessitate.

Minister ordinarius & ex officio ille est, qui jure Ordinationis suæ & acceptæ a Christo auctoritatis, docendi & baptizandi potestatem habet. Hanc vero duobus modis habere potest, nempe vel sine ulla a Superiore dependentia, quales sunt Episcopi, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, Act. 20. vers. 28. quippe idcirco Principes Ecclesiæ vocantur, & sunt; vel cum dependentia & subordinatione ad Superiorem, quales sunt simplices Sacerdotes, quibus olim baptizare non licebat nisi ex licentia Episcoporum: non quidem propter defectum auctoritatis acceptæ in Ordinatione sua, sed ad majorem Episcopatus honorem, & commendationem.

Minister extraordinarius, seu ex delegatione ille est, cui, utpote vi Ordinationis suæ ad functiones aliquas sacras destinato, jus baptizandi Episcopi concedere possunt, quales sunt Diaconi.

Minister denique ex necessitate ille est, qui in necessitate seu urgente periculo mortis, cum alii deficiunt ministri idonei, & ordinarii, potest Sacramentum Baptismi administrare, qualis est omnis, & quilibet homo.

Observandum 2. duplicem distinguendam esse Baptismi administrationem unam publicam, & sollemnem, quæ certis diebus sollemnioribus addicta erat, v. g. Paschæ, & Pentecostes; alteram privatam, quæ pro necessitate, quolibet tempore fieri poterat.

Observandum 3. administrationem Baptismi, vel licitam esse, vel invalidam. Licita est, quando minister baptizando non peccat; valida, quando, etsi aliunde peccet, ratum tamen ac firmum perficit Sacramentum, omnibus ad substantiam Sacramenti prærequisitis rite observatis.

Observandum denique, celebrem olim excitatam fuisse controversiam inter S. Cyprianum, ejusque Collegas ex una parte, & S. Stephanum S. Pontificem ex altera, circa valorem seu veritatem Baptismi ab Hæreticis collati. Hunc nullum plane existimabat Cyprianus cum suis; econtra Stephanus, & cum eo Ecclesia universa ratum, ac verum habuit. De qua controversia fuse disputatum a nobis fuit in Tractatu de Sacramentis in genere, quem consulet, qui voluerit. Tria dumtaxat hic expendemus. Primum, quis sit ordinarius, & ex officio minister Baptismi. Secundum quis sit minister extraordinarius, & ex delegatione. Tertium denique, an homo quilibet, cujuscumque sexus sit aut conditionis, possit & valide, & licite Baptismum in necessitate administrare. Circa quam controversiam errarunt ex veteribus, & recentioribus Hæreticis nonnulli, tum per excessum, tum per defectum.

Errores & opiniones.

Ex veteribus Hæreticis per excessum peccarunt ii, qui ipsis mulieri-

bus potestatem fecerunt Baptismum sollemniter administrandi, etiam extra necessitatem.

Tom. 1. p. 305. B. De Marcione id testatur S. Epiphanius hæresi 42. n. 4. *Mulierculis*, inquit, *baptizandi potestatem facit*.

Ib. p. 418. C. De Pepuzianis idem narrat S. Epiph. hæresi 49. & ex eo August. L. de hæresibus cap. 27. ubi ait, *ejusmodi hæreticos tantum dare mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur*.

Tom. 8. p. 10. D. T. 1. p. 1058. B. De Collyridianis refert idem S. Epiph. hæresi 79. n. 1. mulieres quasdam sollemni tempore *per aliquot dies panem proponere, & in Mariæ nomen offerre*; unde sibi sacerdotalia ministeria arrogasse mulierculas illas, non obscure colligitur. Et vero in decursu & refutatione hujus hæreseos probat Sanctus Doctor, ne baptizandi quidem facultatem concessam esse Beatæ Virgini: Ibid. p. 1059. C. Ecclesiasticus quippe ordo *nec Presbyteriissas, nec Sacerdotissas* ordinavit.

Ibid. p. 1061. A. P. 217. B. P. 231. B. Hanc in mulieribus sacra ministeria usurpandi licentiam ætate sua notabat, & carpebat Tertullianus L. de Præscript. c. 41. *Ipsæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere*.

Et L. de Baptismo c. 17. *Petulantia*, inquit, *mulieris, quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet? nisi si quæ nova Bestia evenerit similis priscinæ*; (intelligit Quintillam) *ut quemadmodum illa Baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat*. Postea refellit fundamentum, quo mulieres illæ nitebantur, nimirum exemplum Teclæ, cui baptizandi licentiam fecisse S. Paulum perperam existimabant ex suppositi-

Ibid. tia S. Pauli ad Teclam Epistola: *Quam enim*, inquit, *fidei proximum videretur, ut is docendi & tingendi daret feminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit?* Addit ibidem, in Asia Præsbyterum, *qui eam scripturam*, (Pauli) *construxerat, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse*. Hanc mulierum arrogantiam repressit Conc. IV. Carthaginense Can. 100.

Repressit & auctor Constitutionum Apostolicarum L. 3. c. 9. *De mulieribus vero*, ait, *scitote, quæ hoc tentant, non mediocre periculum eas incurrere. Quamobrem hoc consilium damus; periculosum enim est, imo vero præter legem, & impium*.

Ex recentioribus Novatoribus per defectum peccant Calvinistæ. Calvinus L. 4. Institutionis c. 15. §. 20. & sequentibus fatetur *multis quidem*

P. 487. *abhinc saculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum, ut in periculo mortis laici baptizent*; sed negat id ulla posse ratione defendi. Fluit error iste ex alio superius confutato contra necessitatem Baptismi absolutam: unde satius esse ducunt Calvini sequaces, in extremo vitæ periculo ad Deum & preces confugere, quam a laico nullam habente auctoritatem, Baptismum percipere. Non satis exposuit Calvinus, an nullum omnino & irritum haberet Baptismum, an illicitum dumtaxat a laico in necessitate collatum: unde discipuli ipsius non consentiunt inter se. Vvittacherus controversia de Baptismo q. 3. c. 1. Ecclesia Anglicana, teste Isaaco Casaubono in responsione ad Epistolam Cardinalis Feronii, & Georgio Abbate Anglo Prælectione de Circumcisione apud Vossium, ejusmodi Baptismum illicitum quidem judicant, sed tamen ratum & validum, adeoque non iterandum; e contra Vossius disputatione 10. de

Ba-

Baptismo Thesi 12. nullum omnino judicat Baptismum a Gentili collatum. Idem affirmat Chamierius Tom. 4. Panstratiæ L. 5. c. 14.

Ex Græcis recentioribus, si Arcudio credamus L. 1. de Baptismo c. 11. multi ex imperitia in eo versantur errore, ut absente Presbytero malint potius permittere infantes mori sine Baptismo, quam eos laicorum manu ablui.

Ex veteribus SS. Patribus ii, qui nullum judicarunt Baptismum ab Hæreticis collatum, videntur eadem ratione ducti, ut reprobarent Baptismum datum a laico non baptizato. Fundamentum quippe erroris istud erat, nempe: *Non posse hæreticum dare, quod non habet*; non habet autem Spiritum Sanctum nec verum Baptismum: ergo non potest dare nec Spiritum Sanctum, nec Baptismum: quod certe ratiocinium evincit nullum quoque dari posse a laico non baptizato verum, & legitimum Baptisma, quod ipse non habet. Et vero S. Basilius Epistola Canonica ad Amphilochium Can. 1. testatur illos Veteres eodem plane loco habuisse Baptismum hæreticorum, & laicorum: *Idcirco*, inquit, *eos velut a laicis baptizatos jusserunt ad Ecclesiam venientes vero Ecclesiæ Baptismo expurgari*. Hanc fuisse S. Doctoris sententiam fatetur doctissimus Petavius, in animadversionibus ad expositionem fidei S. Epiphanii pag. 341. Porro certum est ex veteribus SS. Patribus nonnullos rejeciisse tamquam nullum, Baptisma collatum ab Hæreticis. *Edit. vet. T. 2. p. 759. B.*

Inter Recentiores contendunt nonnulli, ex Veteribus, qui ratum habuere Hæreticorum Baptisma, nonnullos fuisse, qui dubitarunt, an valeret Baptismus datus ab Infideli non baptizato; eoque adducunt istud Tertulliani L. de Baptismo cap. 17. *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*. Et istud S. Hieronymi Dial. adversus Luciferianos: *Ut accipit quis, ita & dare potest*. Quasi vellent illi, idcirco laicum baptizare posse, quia baptizatus est; alias baptizandi futurus incapax. Adducunt etiam Canonem 38. Illiberitanum, in quo, urgente necessitate, permittitur laico, *qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare*; quod certe miratur Petavius loco antea citato: *Ergo ne*, inquit, *a bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit*. *P. 231. A. Tom. 4. part. 2. p. 295. Tom. 1. Conc. p. 974. E.*

Verum dissimulandum non est, adductis testimoniis propositum dubium neque contineri clare, neque solvi: unum certum videtur, nempe sanctum Augustinum dubium illud expressis verbis proposuisse L. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. & L. 7. de Baptismo c. 53. Ante illum quæstio de Baptismo a non baptizato collato clare & expresse agitata non legitur: de ea consultus fuit nono sæculo a Bulgaris Nicolaus I. Quæ autem fuerit S. Augustini sententia, inferius declarabitur. Dubitatum etiam aliquando fuisse an valeret Baptismus a muliere energumena, patet ex Epistola Firmiliani ad S. Cyprianum, Edit. Angl. p. 223. His historice narratis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Minister Baptismi ordinarius, & ex officio est Episcopus, & Presbyter; Episcopus quidem primarius; Presbyter secundarius & ex licentia Episcopi, qui solus primis Ecclesiæ sæculis Baptismum sollemniter administrabat.

Duæ sunt Conclusionis partes. Prima pars probatur. Quia illi sunt ministri Baptismi ordinarii, & ex officio, qui singulariter ab Ecclesia deputantur ad hoc ministerium, & sunt successores Apostolorum, & Discipulorum,

lorum, quibus dictum est: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Atqui Episcopus, & Sacerdotes singulariter ab Ecclesia deputantur ad ministerium Baptismi, & sunt successores Apostolorum. & Discipulorum, sic tamen ut Sacerdos ministerium non obeat, nisi cum dependentia & subordinatione ad Episcopum.

Minor constat I. ex Canone 50. eorum, qui Apostolici dicuntur, quos
Tom. 1. Conc. p. 52. F. certum est ex veteribus Conciliis excerptos esse: *Si quis Episcopus*, inquit,
Ib. p. 317. A. *vel Presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret.... deponatur.*

II. Ex Clemente Romano L. 3. Constitutionum c. 11. ubi sic loquitur: *Neque reliquis Clericis potestatem baptizandi facimus, ut Lectoribus, Cantoribus, Janitoribus, aut Ministris, nisi tantum Episcopis, & Presbyteris, ministrantibus Diaconis.*

III. Ex S. Augustino L. 3. de Baptismo c. 18. *Nonnisi*, inquit, *in*
Tom. 9. p. 118. C. *Ecclesia Præpositis, & in Evangelica Lege, ac Dominica oratione fundatis licet baptizare.* Tales autem sunt Episcopi, & Sacerdotes, quibus ex officio ac jure divino incumbit animarum cura, ac proinde Sacramentorum dispensatio.

Tom. 13. Conc. p. 535. D. IV. Ex Decreto Eugenii, ubi de ministro Baptismi sic ait: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Quod vero Episcopus sit minister primarius, Sacerdos vero quasi secundarius cum dependentia, & subordinatione ad Episcopum.

Bib. PP. T. 2. p. 94. F. Probatur ex Ignatio Epistola ad Smyrnæos, ubi ait, *non esset licitum*
P. 230. C. *sine Episcopo nec baptizare, nec agapem celebrare.*

Ex Tertulliano L. de Baptismo c. 17. *Dandi* (Baptismi) *jus habet*, inquit, *Summus Sacerdos, qui est Episcopus, debinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem; quo salvo,*
P. 231. A. *salva pax est.* Idem baptizandi munus appellat *dicatum Episcopis officium Episcopatus.*

Ex S. Ambrosio L. 3. de Sacramentis c. 1. *Audistis*, inquit, *lectionem.*
Tom. 2. p. 362. B. *Succinctus est Sacerdos; licet enim Presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii a summo est Sacerdote.*

Ex S. Hieronymo Dial. adversus Luciferianos: *Inde venit*, inquit, *ut*
Tom. 4. par. 2. p. 295. *sine Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habet baptizandi.*

Idem probant nonnulli ex Epistola 88. S. Leonis ad universos Germaniæ, & Galliæ Episcopos, verum hanc suppositititiam esse ostendit Quenellius in 2. Tomo Operum S. Leonis.

Secunda Conclusionis pars, primis scilicet Ecclesia sæculis, cum Baptismi administratio certis diebus sollemnioribus addicta erat, solos Episcopos Baptismum administrasse, probatur.

P. 111. A. I. Ex Theodoreto L. 2. Hist. cap. 27. ubi mentionem facit cujusdam vestis ex aureis filis contextæ, quam *Constantinus Imperator ad Ecclesiam Jerosolymitanam cohonestandam Macario illius urbis Episcopo donaverat, ut ea indutus Baptismum sollemniter administraret.*

Apud Lupum. T. 1. p. 854. in append. Conc. Ephesini, II. Ex Libello seu Epistola Cleri Edesseni ad Episcopos Photium, & Eustatium directa, ubi postquam purgavit Ibam Episcopum a suspicione hæreseos Nestorianæ, & Pelagianæ, sic legitur: *Rogamus autem & deprecamur vestram sapientiam, ut eidem glorioſissimo Episcopo suadeatis, quatenus velociter ad suum gregem redire festinet, qui periclitatur ab omnibus lacerari, cum nullus sit, qui ei adesse prævaleat, & maxime festivitate salutifera sanctis*

dies

diei Paschalis imminente, in qua & propter Catechismos, & propter eos, qui digni sunt sancto Baptismate, opus est ejus præsentia.

III. Ex Clero Italiæ, qui Francorum Legatos Constantinopolim ad Justinianum Imperatorem proficiscentes rogat, ut sancto Episcopo (Mediolanensi) Datio adesse festinarent, ac postularent, ut dictus Imperator eum post quindecim vel sexdecim annos ad suam Ecclesiam redire concedat: *Quia cum pene omnes Episcopi, quos ordinare solet, sint mortui, immensa populi multitudo sine Baptismo moritur.* *Tom. 4. Conc. p. 410. B.*

Et de ejus antecessore S. Ambrosio sic scribit in ejus vita Paulinus: *Erat*, inquit, *in rebus divinis implendis fortissimus, in tantum, ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi vix implerent.*

IV. Ex S. Gregorio sic scribente (Epistola 32. nunc 33. L. 1.) ad Romanum Italiæ Exarchum, a quo Blandus Hortensis Episcopus Ravennæ detinebatur: *Ecclesiam sine rectore, & populus quasi sine pastore grex deperit.* Et ibid. *infantes sine Baptismate moriuntur.* *Tom. 2. p. 522. A.*

Et adversus Odoacrum Ecclesiæ Belvacensis laicum invasorem, ac detentorem scribit Hincmarus Remensis Epistola 52. c. 2. *Quanti sine Canonico Baptismo relicti fuerunt?* *Ed. Par. 1645. T. 2. p. 812.*

V. Denique hunc antiquum morem confirmare videtur, quod extat apud Gregorium Turonensem L. 10. Histor. Franc. scilicet Episcopum doctum ac pium, cum Monialium Antistitam ex injusto carcere eruere vehementer optaret, Chrodieldi nuntiasse, nisi innocens virgo Monasterio, ac suis redderetur, se proximo Paschate neminem mysteriis initiari permissurum: *Alioquin*, inquit ille apud Gregorium Turonensem, *non celebrabo Pascha Domini, neque Baptismum in hac urbe ullus Catechumenus obtinebit, nisi Abbatissa a vinculo, quo tenetur, jubeatur absolvi.* *Ed. nov. p. 503. C.*

His historicis monumentis perspicuum est, Episcopos olim sibi reservasse administrationem Baptismi, tum ad majorem Ordinis Episcopalis commendationem, tum propter celebritatem festivitatis Paschæ & Pentecostes, quibus præcipue diebus sollemniter administrari solebat Baptismus: cujus quidem consuetudinis vestigium adhuc aliquod in Ecclesia Mediolanensi supersesse testatur Vicecomes Ambrosiani Collegii Doctor L. 1. de Baptismo c. 28. In hac enim infantes hebdomada, quæ festivitatem Paschæ vel Pentecosten præcedit, in lucem editi, ad præcipuam Urbis Ecclesiam deferri jubentur, ut iis sollemni ritu ab Episcopo Baptismus ministretur. Tum denique quia primis illis temporibus Baptisteria in Cathedralibus tantum, ac præcipuis Ecclesiis constituta erant, ad quas diebus sollemnibus venire oportebat, qui Baptismo initiari cupiebant. (1)

His tamen ipsis temporibus Presbyteri Episcopis baptizantibus assistebant, & simul cum ipsis, de eorum tamen licentia, aliquando baptizabant, sicut colligitur ex Palladio in vita S. Chrysostomi. *Joannis*, inquit, *Presbyteri*,

(1) Vide præter citatum Vicecomitem, Panvinium de septem Urbis Ecclesiis, ubi de Baptisterio Lateranensi, Martenium, & Chardonium T. 1. *hist. Sacram.* Imo Baptisteriorum custodiam fidei Episcoporum fuisse demandatam constat ex c. 2. Synodi Toletanæ XVI. a. 694.

teri, quibus Dei aderat timor, in publico lavacro, quod Constantinum appellatur, coactis populis, vigilias inchoarunt, partim divina eloquia legentes, partim eos, qui instructi erant in fide, baptizantes, ut moris est, in Pascha.

Postquam vero vel Baptisteria variis in locis, non in urbibus tantum, sed in vicis; non in Cathedralibus, sed in Parochialibus Ecclesiis erecta fuere, vel sollemnis, ac publica Baptismi administratio certis diebus adstricta esse desiit, tunc indiscriminatim potestas baptizandi facta est Presbyteris, non postulata etiam illa singulari ab Episcopis licentia. Ita videre est sæculo sexto factitatum, ex Sacramentario S. Gregorii, & Ordine Romano, ubi minister Baptismi simpliciter appellatur Episcopus vel Sacerdos. Imo lapsu temporis, Episcopi, aliis negotiis pro Ecclesiæ bono detenti, depositum baptizandi onus Presbyteris inferioribus reliquerunt, quod hodierna praxis Ecclesiæ satis demonstrat. Hinc S. Carolus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis parte 4. de Sacerdote ait: *Ipse norit sibi licere baptizare, etiam præsente suo Episcopo.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Diaconi sunt ministri extraordinarii Baptismi, seu ex delegatione tantum, non ex officio.

Probatur 1. exemplo & auctoritate S. Philippi, qui Diaconus erat & baptizavit Simonem Magum Act. 8. v. 13. & Eunuchum Candacis Reginæ, ibid. v. 38. Probabile autem non videtur, id sine jussu Apostolorum, a quibus missus fuerat, tentasse S. Philippum.

Probatur 2. testimoniis Veterum.

Tertulliani L. de Baptismo cap. 17.

S. Hieronymi Dial. adversus Luciferianos: verba retulimus Conclusione 1.

T. 1. p. 1061. A. S. Epiphanii hæresi 79. n. 4. *Neque Diaconis*, inquit, *ullum in Ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur*: intellige ex vi Ordinationis suæ, seu ex potestate ordinaria; sed istud dumtaxat, ut eorum, quæ perficiuntur, ministri sint.

Probatur 3. ex c. *Diaconos*, dist. 93. quod caput depromptum est ex Epist. 9. S. Gelasii Pontificis ad Episcopos Lucaniæ. *Diaconos*, inquit, *propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem a paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus.... Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis Ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat.*

Et c. *Constat.* distinct. 4. *De Confirmatione*, quod caput desumptum est ex Isidoro L. 2. de Officiis c. 4. *Constat*, inquit, *Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum; ejusque ministerium, nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero, nisi, his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat.*

His accedit Catechismus Romanus parte 2. §. 22. *Secundum ministrorum locum*, inquit, *obtinent Diaconi, quibus sine Episcopi aut Sacerdotis concessu non licere hoc Sacramentum administrare, plurima SS. Patrum decreta testantur.*

Neque alio sensu intelligi debet, quod in Pontificali Romano Diaconis, dum ordinantur, dicit Episcopus: *Cogitate*, inquit, *magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis; Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Baptizare quippe possunt, si ab Episcopo vel Presbytero ad hoc ministerium assumantur, non aliter, nisi urgente necessitate.

te. Ut enim ait S. Thom. 3. parte q. 67. art. 1. *Ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in Sacramentorum exhibitione.*

Hinc communis est Theologorum sententia, Diaconum fieri irregularem, si absque licentia baptizet sollemniter; quia est regula Juris Canonici: *qui aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* Extrav. *De clerico non ordinato.* Porro Diaconus vi Ordinis sui jus non habet sollemniter & ordinarie administrandi Baptismum.

TERTIA CONCLUSIO.

In casu extremæ necessitatis valide & licite administrare potest Baptismum homo quilibet laicus, sive vir, sive mulier, sive Fidelis, sive Infidelis.

Vim non faciemus in exemplis Sephoræ & Ananiæ, quæ ex Scripturis colligit Bellarminus, ut probet cuicumque laico fas esse in necessitatis casu administrare Baptismum: tum quia Sephora præsente Moyse filium suum circumcidit, Exodi 4. at non probaret haud dubie Bellarminus laicum præsente Sacerdote baptizantem: tum quia satis exploratum non est, an aliquis fuerit specialis minister Circumcisionis: tum denique quia incertum plane est, utrum Ananias, qui Paulum baptizavit Act. 9. fuerit simplex laicus.

Itaque Conclusio probanda est Veterum testimoniis.

De laicis

Testis Tertullinus Lib. de Baptismo c. 17. ubi post verba citata Conclusione 1. sic pergit: *Alioquin etiam laicis jus est: quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.... Proinde & Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest; sed quanto magis laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit? cum ea majoribus competat, nec sibi adsumant dicatum Episcopis officium Episcopatus.... Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicut aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si superfederit præstare, quod libere potuit.*

p. 231. A.

Quatuor in hoc Tertulliani testimonio possunt & debent observari. 1. ministerium Baptismi ad Episcopos & Presbyteros, ac Diaconos pertinere, sed diversa ratione. Ad Episcopos tamquam ad primarios ministros, propter honorem Episcopatus; ad Presbyteros tamquam ad secundarios, de licentia Episcopi; ad Diaconos ex eadem Episcopi licentia, tamquam ad ministros delegatos. 2. laicos non debere officium Episcoporum proprium sibi arrogare. 3. hoc eos posse in necessitate. 4. hoc eos posse non tantum libere seu valide, & licite; alias rationem reddituri sunt illius, qui defectu Baptismi perierit.

Idem probatur ex Judicio Alexandri Alexandriæ Episcopi, quo ratum habuit Baptismum ab Athanasio, aliisque pueris ludentibus collatum: de qua historia a Rufino adducta Lib. 1. Hist. c. 14. vide, quæ diximus in Tractatu de Sacramentis in genere Art. 6. Quæstionis 3. in solutione Objectionum.

Concilium quoque Illiberitanum Can. 38. approbat Baptismum ab homine fideli, sed laico in extrema necessitate datum.

Concilium Arelatense I. quo definitum fuit adversus Africanos, valere Ba-

Baptismum ab Hæreticis collatum, & Nicænum I. generale, quod omnes Hæreticos susceperit, exceptis Paulianistis, videntur consequenter approbasse Baptismum datum a laicis. Certum quippe est Ecclesiam his in Conciliis damnasse sententiam Africanorum & aliorum, qui baptizatos ab Hæreticis iterum baptizabant. At illi, ex dictis antea, eodem plane loco habebant Baptismum Hæreticorum & laicorum, sicut expresse observat S. Basilius: ergo Ecclesia, quæ illorum damnavit sententiam, ratum habuit Baptismum ab Hæreticis & laicis in forma a Christo præscripta collatum.

Tom. 4. part. 2. p. 295. Idem probat S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos: *Si necessitas cogit*, inquit, *scimus etiam licere laicis baptizare: ut enim accipit quis, & dare potest.*

Tom. 9 p. 44. E. F. S. Augustinus Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. idem testatur his verbis: *Etsi laicus Baptismum pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addiscit, nescio an pie quisquam dixerit repetendum esse. Nulla etenim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, & a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum.* Ex quibus verbis concludunt aliqui, sanctum Doctorem aliquando dubitasse, an laici licite Baptismum administrent in casu necessitatis. Verum citata verba non videntur esse dubitantis, sed certo definientis nullum esse delictum, nisi forte veniale; si nempe laicus omnem, quam potuit, diligentiam non adhibuit in perquirendo Sacerdote. Cum igitur ait: *Nescio an pie quisquam dixerit*; idem est ac, nonnisi impie affirmari potest: ibi enim asserit Baptisma a quolibet cuilibet datum non posse dici non datum, ideest; non posse dici nullum & irritum, seu, ut loquitur Lib. 7. de Baptismo c. 53. *Non dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicumque & a quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide suscepissent.* Censet igitur sanctus Doctor, Baptismum a laicis collatum ratum & validum esse: imo innuit quemlibet hominem baptizatum, eo ipso quo Baptismum percepit, didicisse eum aliis in necessitate dandum esse; adeo nempe communis & pervulgata fuit in Ecclesia doctrina, quam hic propugnamus.

Ibid. p. 202. C. D.

Tom. 11. Conc. p. 843. D. In Concilio Lateranensi IV. sub Innoc. III. c. *Firmiter*. definitur, *Sacramentum Baptismi a quocumque rite collatum proficere ad salutem.*

Denique, idem evincunt testimonia Gelasii in Epistola ad Episcopos Lucaniæ, & Isidori L. 2. de Officiis Ecclesiasticis c. 24. superius Conclusione 2. adducta: post citata enim verba, addunt: *quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur, ne quisquam fine remedio salutari de sæculo evocetur.*

De mulieribus

Constat 1. ex Conc. Carthaginensi IV. cui interfuit S. Augustinus, can. 100. quem Magister Sententiarum L. 4. dist. 6. & Gratianus Can. *Mulier. De Consecratione*. dist. 4. sic legunt: *Mulier baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente*. Dixi sic legere Magistrum & Gratianum: in ipso quippe textu Concilii non extat dicta exceptio: *nisi necessitate cogente*; neque eam quoque legit Vvalafridus Strabo L. de divinis Officiis, c. 26. licet recte præsupponatur: cum & ipse mox citatus Vvalafridus dicat: *ubi inevitabilis*

Tom. 2. Conc. p. 1207.

lis necessitas poscit, melius est baptizari ubicumque & a quocumque in nomine Trinitatis, quam periclitantem sine remedio deperire.

Constat 2. ex Urbano II. in Epistola ad Vitalem c. *Super quibus*. Caus. 30. qu. 4. *Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut & Baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.*

Constat 3. ex Decreto Eugenii. *In causa necessitatis*, inquit, *non solum Sacerdos & Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam Paganus & & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia.* Tom. 13. Conc. p. 534. E.

De non baptizatis, an valide baptizent, dubitavit aliquando S. August. Lib. 2. contra Epistolam Parmen. c. 13. *Hæc quidem*, inquit, *alia quæstio est, utrum & ab his, qui nunquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Nihilominus tamen L. 7. de Baptismo c. 53. generatim affirmat valere Baptismum ubicumque & a quocumque verbis Evangelicis collatum. T. 9. p. 45. G. D.

Idem docet Isidorus relatus c. *Romanus*. *De consecratione* dist. 4. *Romanus*, inquit Pontifex, *non hominem judicat qui baptizat; sed spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet paganus sit, qui baptizat.* Tom. 6. Conc. p. 1696. B.

Idem & Concilium Compendiense an. 757. Can. 9. *Si quis*, inquit, *baptizatus est Presbytero non baptizato, & sancta Trinitas in ipso Baptismo invocata fuerit, baptizatus est.*

Idem & Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum, c. 104. & refertur eadem distinctione c. *A quodam Judæo*. *A quodam Judeo*, inquit, *nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de istis sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine S. Trinitatis baptizati fuerint, constat eos non esse denuo baptizandos.*

Idem quoque docet Eugenius IV. paullo antè citatus, in suo Decreto seu Instructione ad Armenos.

His auctoritatibus addi potest & ratio, quam adducit S. Thomas, ex summa nempe Baptismi necessitate, cujus idcirco materiam voluit esse elementum aquæ vulgare, facile, & omnibus obvium; & consequenter illius ministrum idoneum fecit in casu necessitatis, hominem quemlibet.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra Baptismum a laicis datum: Nullum extat in Scripturis exemplum talis Baptismatis: ergo &c.

Resp. nego consequens. Ipsa quippe Traditio Ecclesiæ, quæ altera est fidei nostræ regula, approbat Baptismum a laico in necessitate datum. Ac perinde est, ac si quis Anabaptista sic argueret: Nullum extat in Scripturis exemplum Baptismi infantibus administrati: ergo iis administrari non debet. An ita arguentem Anabaptistam ferrent Calvinistæ? non certe. Argumentum ergo illud negativum ex silentio Scripturæ ductum, satis ponderis, ac momenti non habet.

Instabis 1. Christus Baptismi institutor solis Apostolis, qui Episcopos, & Discipulis, qui Presbyteros repræsentabant, mandatum dedit baptizandi; igitur eos solos instituit hujus Sacramenti Ministros.

Resp.

Resp. dist. conf. Eos solos instituit hujus Sacramenti ministros ordinarios ex officio, ac sollemnitatis, ut ajunt, concedo: extraordinarios & necessitatis, nego. Ipse quippe Philippus, qui Diaconus tantum erat, baptizasse legitur Act. 8.

Instabis 2. Absurdum videtur posse laicos vere, ac valide conferre Baptismum, non vero posse sollemniter, cum sollemnitas illa sit tantum aliquid Sacramento extrinsecum & juris Ecclesiastici.

Resp. cum S. Thoma, nego ant. Illa etenim sollemnitas, seu cæremoniæ & adjuncta sacramentalia non sunt de necessitate Sacramenti: at ipsum Sacramentum absolute necessarium est. Quod si laicis sollemnis permitteretur administratio Baptismi, nullum amplius discrimen assignari posset inter ministrum ordinarium seu ex officio, & extraordinarium seu ex sola necessitate.

Instabis 3. SS. Cyprianus, Firmilianus, & alii Veteres, qui Baptismum Hæreticorum rejiciebant tamquam nullum, rejecerunt quoque Baptismum a laicis datum; eodem quippe loco utrumque Baptismum habuerunt, teste S. Basilio Epistola Canonica ad Amphilochium Can. 1. unde pervulgata hæc illorum argumentatio: *Quos baptizavit laicus, ii sunt denuo baptizandi; sed quos baptizavit sacerdos hæreticus, eos baptizavit laicus: ergo &c.*

Cujus quidem argumenti major propositio nusquam fuit a Catholicis adversus Cyprianum disputantibus negata, nusquam S. ille Doctor reprehensus, quod eam tueretur, sed solam minorem negarunt Orthodoxi: quod quidem adeo verum est, ut post Nicænum Concilium, qui Luciferianos oppugnarunt, majorem illam propositionem tamquam firmum fundamentum adversus eos contorquebant hoc fere modo: *Quos baptizavit laicus, ii sunt denuo baptizandi: sed quos baptizavit sacerdos Arianus, ii non sunt denuo baptizandi: ergo quos baptizavit sacerdos Arianus, eos non baptizavit laicus: ergo Arianus sacerdos cum suis honoribus recipiendus est*, quod negabant Luciferiani. Ita fere disputatur Orthodoxus apud S. Hieronymum Dialog. adversus Luciferianos.

Resp. Fatemur SS. Cyprianum, Firmilianum, & alios nonnullos in oppositam abiisse sententiam, ac Baptismum laicorum rejeciisse perinde ac Hæreticorum: vero sententiam hanc damnavit Ecclesia in Concilio totius Orbis plenario, ut sæpius inculcat S. Augustinus disputans adversus Donatistas; falsum igitur est Orthodoxos nunquam negasse majorem istam propositionem argumenti propositi: nempe: *Quos baptizat laicus, ii sunt denuo baptizandi*. Etsi enim de illa propositione non legamus ex professo disputatum tunc temporis, quia scilicet summa controversiæ erat de Baptismo Hæreticorum, cum tamen Ecclesia damnavit Cypriani sententiam, damnavit quoque fundamenta, quibus illa nitebatur.

Ad argumentum S. Hieronymi, dico eum ad hominem, ut dicitur, arguere, & premere Luciferianos ex concessis ab illis, non vero ex propria sua sententia. Scilicet volebant illi Baptismum a laicis collatum nullum esse, quod ex Cypriano & Donatistis hauserant: in eo tamen discrepabant ab illis, quod Baptismum ab Arianis Episcopis collatum, non vero Ordinationes ab iis factas, admitterent; unde eos, & ab iis ordinatos, cum ad suam redibant Ecclesiam, tamquam meros laicos recipiebant: quam opinionem minus secum cohærere ostendit S. Hieronymus, & probat aut rejiciendum esse Baptismum illorum Episcoporum Arianorum,

aut

aut si recipitur, admittendas quoque Ordinationes ab illis factas : isto fere argumento: Baptismus a laicis collatus, ex vobis, nullus est: Baptismus collatus ab Episcopis Arianis est collatus a laicis, siquidem eos pro meris laicis habetis: ergo non debetis admittere Baptismum ab iis datum: illum tamen admittitis: ergo consequenter admittere debetis Ordinationes ab illis factas, par enim est utriusque ratio. In qua certe argumentatione, major propositio non est ex propria S. Hieronymi sententia, sed ex concessis a Luciferianis quos propriis armis premit & impugnat.

ADDITIO.

(*)

INstabis 4. *Laicos a ministrorum numero excludunt Constit. Apost. l. 3. c. 10.* Neque Laicos concedimus aliquod Sacerdotale munus exercere, veluti Sacrificium, Baptismum, manuum impositionem. *Et August. si Laicorum Baptismo aliquid tribueret, non esset, cur urgente Vandalica persecutione hortaretur Epist. 228. Pastores, obtentu Baptismi, ad persistendum in statione sua. Denique nil juris Laicis esse, testati sunt Laici illi, a quibus Judæus in itinere Baptisma petierat; hos enim refert Joan. Moschus c. 176. Prati Spir. ita respondisse*: nobis non licet hoc facere, Sæculares enim sumus.

Resp. excludi quidem Laicos cit. Can. Apostol. at vel a sollemni solum Baptismo, vel eos, qui non necessitate, sed voluntate se ingerunt, velut ex officio Aug. autem non solius Baptismi, sed reconciliationis præcipue gratia, a statione Pastoribus decedendum non esse, edicit. Laicorum illorum, de quibus Moschus, sicut ruditas summa, ita nulla auctoritas; ruditatem vero summam probat Baptismus arenæ, quem denique ægrotanti tribuerunt.

(*)

Objicies 2. contra Baptismum a mulieribus datum. Scriptura & Veteres omnes excludunt mulieres ab omni sacro & divino ministerio. 1. Cor. 14. v. 34. Tertull. lib. de velandis virginibus cap. 9. lib. de Baptismo c. 17. lib. de Præscriptionibus c. 41. S. Epiphanius hæresi 42. & 79. Conc. Carthaginense IV. Ergo &c.

Resp. his & pluribus aliis testimoniis excludi dumtaxat mulieres ab ordinaria & sollemni administratione Baptismi, quod ultro concedimus; ac manifeste patet ex lectione testimoniorum, quæ laudata sunt.

Objicies 3. contra Baptismum datum a non baptizatis, nonnulla Veterum testimonia.

I. Tertulliani, qui lib. de Baptismo cap. 17. probans laicos in necessitate posse baptizare, hac utitur ratione : *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*. Idem ex Tertulliano exscribit S. Hier. Dial. adversus Lucifer. Supponunt igitur ideo dari posse a laico Baptismum, quia laicus illum accepit : ergo supponunt laicum non baptizatum non posse valide baptizare. P. 231. d

Confirmatur ex S. Hieronymo cit. Dialogo, ubi Luciferianum contendentem Arianos, imo & omnes Hæreticos non esse Christianos, nihilominus

tamen Baptismum ab Episcopis Arianis collatum admittentem, sic ex conceſſis impugnat Hieronymus: *Novam rem*, inquit, *asseris, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus*. Nova igitur & inaudita res videtur S. Doctori, quod homo non Christianus, ideſt non baptizatus, alium Christianum faciat, seu baptizet.

Tom. 4. 2. p. 196.

II. Videtur hæc fuisse mens Concilii Eliberitani Can. 38. ubi dicitur: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum*. Ergo qui lavacrum non habet integrum, seu qui non est baptizatus, imo nec bigamus, potest in necessitate baptizare.

T. 1. Con. p. 974 E.

III. SS. Patres, qui contra SS. Cyprianum & Firmilianum, ac Donatistas disputarunt, eo usi sunt principio, ex quo recte infertur nullum esse Baptisma datum a non baptizatis. Scilicet contendebant illi, auctores hæresum idcirco posse baptizare, quos decipiunt, quod recedentes ab Ecclesia, receptam in sinu ipsius Ordinationem, qua jus baptizandi acquiritur, non amiserint. *Sicut autem*, inquit S. Aug. l. de Baptismo c. 1. *baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi Baptismi non amittit*. Igitur ii tantum possunt etiam in causa necessitatis Baptismum conferre, qui baptizati sunt.

T. 9. p. 80. A.

Ibid. p. 45. n. 30.

IV. S. Aug. nihil ausus est definire de Baptismo, quem non baptizatus contulisset, lib. 2. adversus Epistolam Parmeniani c. 13.

V. Denique, Gregorius III. Epistola ultima ad Bonifacium, jubet iterum baptizari eos, qui fuerant a Paganis baptizati. Refertur *De Consecr.* dist. 4. c. *Quod a Paganis*.

Resp. ad singula.

Ad primum, nego istorum verborum: *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*, sensum esse, ab eo dumtaxat Baptismum dari posse, qui illum accepit; imo contrarium plane sensum præseferre videntur, istum scilicet: sicut Baptismus ex æquo, ideſt, indiscriminatim ab omnibus accipitur, ita ab omnibus in periculo necessitatis indiscriminatim dari potest. Sensum hunc confirmat idem Tertull. cum ait: *Baptismum æque Dei censum ab omnibus exerceri*.

P. 231. A.

Ad confirmationem, dico, S. Hieronymum ibi per Christianum non intelligere eum, qui Baptismum suscepit, sed eum, qui veram & Catholicam habet fidem Christianam, ut patet ex verbis immediate subjectis. *Accedens*, inquit, *ad Arianos, in qua fide baptizatus est?* nempe in ea quam profitentur Ariani. Scilicet eo loci premit S. Doctor Luciferianum, qui laicos ab Episcopis Arianis baptizatos & pœnitentes recipiebat sine novo Baptismo, ipsos vero Episcopos nonnisi in ordine laico recipiendos contendebat: cujus quidem discriminis hanc adducebat rationem, quod nempe laicus ab Ariano Episcopo baptizatus fidem haberet, verusque esset Christianus, adeoque per pœnitentiam emendari dumtaxat deberet; cum vero Episcopus Arianus propter dignitatem status non posset inter pœnitentes admitti, necesse erat eum a suo excidere Ordine, adeoque inter meros recenseri laicos. Hanc vero rationem plane ineptam esse ostendit S. Doctor: deinde probat, primum hujus comparationis membrum, nempe laicum ab Episcopo Ariano baptizatum fidem habere seu esse Christianum, omnino falsum esse, quia fides, in qua baptizatus fuit, & quam pro-

T. 4. p. 2. p. 296.

prôfeſſus eſt, fides eſt Ariana: fides autem iſta non eſt Chriſtiana; quomodo ergo a non Chriſtiano factus eſt Chriſtianus? Quod ſi per pœnitentiam emendari poteſt ille laicus, quidni & Epiſcopus? *Aut ſi*, inquit S. Hier. *jam ipſe bene credebat, & ſciens ab Hæreticis baptizatus eſt, erroris veniam non meretur.* Itaque cum ait S. Doctor: *rem eſſe novam, ut Chriſtianus quiſquam factus ſit ab eo, qui non fuit Chriſtianus*, per Chriſtianum intelligit eum, qui ſanam & rectam habet fidem Chriſtianam, qualem profecto non habet, qui ſciens ab Arianis, quibus adhæret, fuit baptizatus; non vero eum, qui ſimpliciter baptizatus eſt. *Ibidem.*

Ad ſecundum reſpondeo cum Mendoſa in notis ad hunc Canonem: *Qui docet fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habeat, poſſe baptizare neceſſitatis tempore, non negat infidelem id facere poſſe, ſed cupit eſſe fidelem.* Seu, ut loquitur Illuſtr. ac doctiſs. Albaſpinæus ſuis itidem in citatum Canonem obſervationibus: *Canon iſte non ait, ſi in morte Catechumeni unus laicus tantum adeſſe videatur; imo contra ſubintellegi vult, ſi plures laici tali tempore non defuerint, tum ſtatui omnino vult, ut unus e laicis, qui nondum pœnitentiam exſolverit, neque bigamus fuerit, baptizet: idque ob eam rem, quod neque ſacerdotes pœnitentiam peragere, neque ea perfecta abſolutaque ad id eligi, nequi bigami eſſe poterant; quas quidem conditiones in uno laico qui baptizet, requirit ille Canon, quod eo modo ſit ſacerdotis partes acturus. Si tamen tunc temporis interveniſſet bigamus, unus tantum idemque pœnitens, Canon ille decreviſſet, vel ſi omnia illa impedimenta ſeſe obtuliſſent, ab eo potuiſſe ſacrum Baptiſma conferri.* Hactenus Illuſtriſs. Albaſpinæus. Uno verbo, ſenſus Canonis eſt, ubi premit neceſſitas, & plures adſunt laici, qui morienti Catechumeno per Baptiſmum poſſunt ſubvenire, eum inter ceteros eſſe ſeligendum, qui fidelis ſit, nec inter pœnitentes accenſeatur, nec ſit bigamus: ſi tamen non alius occurreret, poſſe eum & debere Baptiſmum conferre. *T. 1. Con. p. 1251. E. Ib. pag. 999. C.*

Ad tertium: argumentantur illi SS. Doctores ex conceſſis in ſententia rebaptizantium, quorum ſcilicet iſtud erat palmare fundamentum; nemo dat, quod non habet: Hæretici non habent Baptiſmum: ergo &c. Quo quidem principio gratis eis conceſſo, reponunt SS. Patres, & quidem appoſite ad ſubjectam controverſiam, quod ſicut ii Baptiſmum non amittunt, qui ab Eccleſia, in qua ſunt baptizati, recedunt; ita nec jus illum conferendi amittit, qui ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparat; atque ita hæretici Epiſcopi & Sacerdotes valide baptizant. Male igitur ex hac eorum argumentandi ratione infertur, cenſuiſſe illos Baptiſmum ab eo dumtaxat poſſe conferri, qui baptizatus eſſet: de illo etenim Baptiſmo nulla tunc erat controverſia, ſed tantum de veritate Baptiſmi ab Hæreticis collati.

Ad quartum: ſatis conſtat ex dictis, dubium revera fuiſſe aliquando S. Auguſtinum circa Baptiſmum datum ab Infideli: verum lib. 7. de Baptiſmo c. 53. abſolute pronunciat, ratum eſſe cuicumque & a quibuſcumque verbis Evangelicis conferatur.

Ad quintum: Gregorius III. loquitur de iis Paganis, qui inter baptizandum formam a Chriſto præſcriptam non obſervaverant, quos idcirco jubet denuo baptizari.

Solvuntur nonnullæ quæſtiones circa miniſtrum Baptiſmi.

Quær. 1. An ſit aliquis ordo ſervandus inter miniſtros Baptiſmi in neceſſitate?

Resp. Affirmative. *Neque enim laicus*, inquit S. Carolus in actis Ecclesiæ Mediol. p. 4. de Ministro Baptismi, *præsente Clerico; neque rursus Clericus præsente Subdiacono; hicque itidem coram Diacono; nemo præterea eorum coram Sacerdote baptizare audeat: ipse autem norit, sibi licere baptizare etiam præsente suo Episcopo.*

Quæres 2. an plures ministri possint simul eumdem hominem baptizare.

Resp. 1. Id nunquam licitum esse, quod est contra morem Ecclesiæ & contra institutionem Christi, qui sicut unus est, ita voluit unum esse in unoquoque baptizando ministrum.

Resp. 2. Triplicem fingi posse propositæ quæstionis hypothesim. Vel enim plures simul unum hominem baptizant, tamquam causæ partiales, & a se invicem mutuo dependentes, sub hac verborum forma: *Nos te baptizamus in nomine Patris, &c.* quo casu nullum est Sacramentum. *Quia*, inquit S. Thom. hic q. 67. art. 6. *videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi & vices ejus gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet: propter quod signanter Apostolus dicit Ephes. 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Et ideo contraria intentio videtur excludere Baptismi Sacramentum.* Eadem quoque videtur esse ratio, si nempe loco istorum verborum: *Nos te baptizamus*, diceretur Græcorum more: *Baptizatur servus Christi &c.* quia unusquisque ex illis ministris significaret se partialem tantum esse, & inadæquatam causam ministerialem Baptismi; quod pugnat cum institutione hujus Sacramenti a Christo facta.

Vel singuli illi ministri tamquam causæ totales ejusdem Sacramenti simul aquam effundentes dicunt: *Ego te baptizo &c.* & hoc casu ratum esset Sacramentum: *Quia*, inquit S. Th. ibid. *uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum conferret.*

Vel denique eorum ministrorum unus aquam funderet, alter vero proferret verba, & ita eorum quilibet non integrum Sacramentum, sed partem Sacramenti ministraret; quo etiam casu nullum esset Baptisma: quia nullus eorum posset vere dicere se baptizare; non qui aquam funderet; aqua enim sola Sacramentum non perficit: non qui proferret verba, quia verba sine aqua Baptismum non perficiunt, ipse autem aquam non effunderet. Ita S. Thom. loco citato.

ADDITIO.

(*)

Hinc rationabiliter, inquit Benedictus XIV. de Synod. Diœcef. lib. 7. c. 6. nu. 8. Patribus Concilii Provincialis Mechlinienſis anni 1607. incertum saltem, & dubium visum est Baptisma collatum ab Hæreticis Hollandiæ, finitimarumque Regionum, apud quos mos invaluerat, ut uno aquam fundente, alter Sacramenti formam pronunciaret, ac propterea juste illud iterandum decrevere tit. 3. cap. 6. Et quia frequens experientia docet, modernos hæreticos sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem & antiquissimam traditionem, baptizare uno aquam fundente, alio formam ipsam pronunciante; ab hæreticis (qui non sunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est) baptizati similiter sub conditione baptizentur. Collectionis Harduini tom. 10. col. 1943. *cujus quidem Concilii San-*

Sanctionem tuto sectari possunt, & debent aliarum Ecclesiarum Præsules, a quibus sint Ecclesiæ reconciliandi Hæretici, iis in locis baptizati, ubi eumdem erroneum Baptismi ritum plerumque adhiberi, non ex incerto rumore, sed ex fide dignis testimoniis acceperint, atque ideo merito suspicentur, eodem modo fuisse etiam illos baptizatos, qui in Catholicorum numerum petunt aggregari: quod eam ob causam cum hæreticis Angliæ faciendum, docuere Sylvius in 3. par. qu. 66. art. 9. *Cardin. de Lugo* in Respons. Moral. lib. 1. dub. 2. nu. 3. *Gobat* tract. 2. num. 392. *Laurentius Neesen* tract. 2. de Baptismo dub. 5. *Ludovicus Michon* in Casibus de Sacram. Cas. 8. & *La Croix* l. 6. par. 1. n. 322.

(*)

Quæres 3. an possit aliquis seipsum baptizare.

Resp. negative, quia est contra institutionem Christi, qui ministrum & subjectum Baptismi aperte distinguit cum ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Ita respondit ad propositam quæstionem Innoc. III. Interrogatus enim a Metense Episcopo, de Judæo, qui morti proximus seipsum baptizaverat, respondet, illum esse denuo baptizandum. Refert hoc Decretum lib. 3. Decr. tit. 41. c. 4.

Quæres 4. an unus minister possit simul plures baptizare.

Resp. in casu urgentis necessitatis id fieri posse, tali enim Baptismo nec institutio Christi, nec forma consueta repugnat. *Christus enim*, inquit S. Thom. hic, *qui principaliter baptizat, est unus; sed multi per Baptismum efficiuntur unum in Christo... Neque per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum, præsertim cum principaliter dicatur Matth. ultimo, Baptizantes eos &c.*

Quæres ultimo, qui fuerint olim ritus præcipui circa ministrum Baptismi observati.

Resp. 1. Ministros ordinarios, & sollemnitatis Baptismi nonnisi jejunos ad hoc ministerium olim accessisse. Colligit Vicecomes l. 1. c. 29. ex duplici Concilio, Parisiensi nempe & Maldensi. Idem quoque statuit Conc. Rothomagense an. 1072. Can. 5. *Nullus sacerdos*, inquit, *baptizet infantem nisi jejunus & indutus alba & stola, nisi necessitate.* *Tom. 9. Conc. p. 1226. D.*

II. Destinatas ad hoc ministerium vestes induebant ministri, de quibus Beroldus sic loquitur: *Tunc*, inquit, (nempe Sabbato Sancto) *Magister Scholarum præcedit cum pueris suis, cantando Antiphonam usque ad regias baptismalis Ecclesiæ, & ibi extra Ecclesiam Archiepiscopus exuit stolam, & planetam, & induit se paludamento baptismali, & præcingit se manutergio cum singulo nexu veniente in sinistro latere in similitudinem ensis, & similiter nexum sandaliorum facit juxta calcaneum in similitudinem calcarium, habens mitram in capite, & sic incedit ad Fontes.* Ubi observa primum, ea quæ de stola extra Ecclesiam deposita dicta sunt, ad illam consuetudinem pertinere, qua nostri Sacerdotes stolam violaceam exuentes, aliam induunt albi coloris. Observa 2. vestes, quibus inter baptizandum utebantur Ministri, fuisse albi coloris, ut colligitur ex Ordine Romano c. de Sabbato Sancto. Theodoretus lib. 2. Hist. c. 27. meminit cujusdam vestis auro contextæ, quam Constantinus Imperator in honorem Ecclesiæ Jerosolymitanæ dedit Macario Episcopo, ut ea indutus baptizaret. *P. III. A*

III. Ministri intro in aquam seu fontem baptismalem descendebant, sicut colligimus ex Ordine Romano, & S. Ambrosio lib. 2. de Sacramentis c. 6. atque baptizandos de pondere sublatos aquis totos immergebant oleo inunctos. *Ponit Sacerdos*, inquit Severus Alexandrinus Libr. de Baptismo, *oleum olivæ in vola manus suæ, totumque corpus ejus, qui baptizatur, ungit, & dimittit illum in Baptisterium, respiciens ad Orientem: dextramque suam*, pergit ille, *capiti ejus, qui baptizatur, imponit, & finistra sua ter attollit ex aquis a fronte, a tergo, & altero laterum ejus.* Idem refert S. Bonav. in 4. dist. 3. qu. 1. *Sacerdos*, inquit, *debet puerum tenere per latera, & versa facie ad aquam debet mergere, ita quod habeat caput primum versus Orientem, secundo versus Aquilonem, tertio versus Meridiem.* In illo autem gravi onere aquis immergendi grandiora adultorum corpora, levabantur Episcopi partim per assistentes Presbyteros & Diaconos; partim per susceptores, qui in brachia sua baptizatos suscipiebant, inde susceptores dicti; partim per ipsos baptizandos, qui cum recti in aquis starent, atque pedibus imam Baptisterii partem tangerent, sui corporis molem sustinebant, cujus proinde pondere non ita gravabantur ministri baptizantes.

Bibl. PP. T. 12. p. 732. F. G.

T. 5. p. 40. A.

IV. In aliquibus Ecclesiis, ut in Mediolanensi, Episcopus baptizatorum pedes lavabat: de quo ritu loquitur Sanctus Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Ascendisti*, inquit, *de fonte, quid sequutum est? Succinctus Sacerdos summus, licet enim & Presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii a summo est Sacerdote, succinctus, inquam, summus Sacerdos pedes tibi lavit.*

T. 2. p. 362. B.

ARTICULUS III.

De subjecto Baptismi, seu de suscipientibus Baptismum.

SUbjectum Baptismi capax est solus homo viator: is autem vel est adultus, vel infans. De utroque, tum infantium, tum adultorum, Baptismo hic agendum.

De Baptismo infantium.

Circa infantium Baptismum hæc sunt expendenda.

I. Utrum infantes sint Baptismi capaces, & expediat eos baptizare.

II. Utrum infantes in utero materno adhuc inclusi, aut ex aliqua tantum sui parte egressi, possint baptizari.

III. An debeant baptizari Infidelium filii, parentibus invitis.

IV. Denique, quam fidem in infantibus Baptismus supponat & producat.

Utrum infantes sint capaces Baptismi, & expediat eos baptizare.

Errores, & opiniones.

Circa primum, nempe infantes Baptismi capaces esse, errarunt ex veteribus

T. 8. p. 17. F. G.

Hieracitæ, quorum auctor Hieracha. *Hi dicunt infantes non pertinere ad regnum cælorum, quia non sunt eis ulla merita certaminis, quo vitia superantur.* Ita S. Aug. lib. de hæresibus c. 47.

Vicecomes lib. 2. de ritibus Baptismi c. 1. Coccius Thesauri l. 6. art. 8. eum-

eumdem errorem Pelagio, & cuidam Vincentio Victori affingunt ? sed immerito. Ipse enim Pelagius in sua ad Innocentium I. Epistola, profitetur hanc opinionem sibi per calumniam imponi. Ita testatur S. Aug. lib. de peccato originis c. 17. 18. 19. Negabant quidem Pelagiani, Baptismum necessarium esse parvulis ad habendam vitam æternam : sed fatebantur necessarium ad obtinendum Regnum Cælorum : inde est, quod ipsimet parvulos ad Baptismum admitterent. Eadem esse videtur Vincentii Pelagiani opinio. T. 10. p. 261.

Valdenses, teste Ermengardo in Opusculo adversus eos edito, docuere parvulis Baptismum aquæ nihil prodesse.

Apostolici teste S. Bernardo Serm. 66. in Cantica, irridebant Catholicos, quod Baptismum infantibus darent. T. 1. p. 1497. C.

Petrobussiani, sic dicti a Petro de Bruis, idem docebant ; adversus, quos Petrus Cluniacensis Abbas, & Bernardo coætaneus, duas conscripsit Epistolas, in quibus errorem hunc refert, & refellit.

Henriciani, ita dicti ab Henrico Petri de Bruis discipulo, ejusque nequitiæ, ac impietatis herede, negarunt quoque parvulos capaces esse Baptismi. Ita refert S. Bernardus Epist. 241. T. 1. p. 237. C. Tom. 10. Conc. p. 1008. B.

Petrus quoque Abailardus, & Petrus de Brixia idem docuere, sicut colligimus ex Conc. Lateranensi sub Innocentio II. can. 23.

Cathari quoque, qui non longe ab his temporibus circa ann. 1160. deprehensi sunt Coloniæ, adversus quos plures Sermones edidit Eckbertus Monachus, in eumdem errorem abiisse memorantur.

Ex Novatoribus superioris sæculi, Anabaptistæ sic dicti, quod baptizatos in infantia, cum ad adultam pervenissent ætatem, iterum baptizarent, eo quod Baptismum infantibus collatum nullum prorsus existimarent.

Orta est hæc Secta anno 1521. auctore Nicolao Storkio, qui cum Luthero primum adhæsisset, ab eo postea deficiens, & insolitas jactans sibi factas per Michaelem Archangelum revelationes, Vvittembergâ pulsus, incertisque sedibus per Thuringiam vagatus, specie sanctitatis, quam egregie mentiebatur, apud stolidum rusticorum vulgus fidem invenit. Horum Historiam scripsere Arnoldus Meshovius, & Joannes Ottius Tigurinus.

Michael Servetus in fine Libri de regeneratione, scribit puerorum Baptisma esse horrendam abominationem, Spiritus Sancti extinctionem, Regni Christi conculcationem, Christi abnegationem &c. Illius varia argumenta refert, & refellit Calvinus l. 4. Institutionis c. 16. n. 31. p. 500.

Ministri Transylvani an. 1568. referente Socino Epistola de Baptismo ad virum nobilem, tamquam fratres agnoscere, & recipere eos, qui in infantia baptizatos, postquam adoleverint, baptizandos esse dicunt.

Sociniani rati Baptismum rem esse indifferentem & liberam, neque eum infantibus conferunt, neque etiam denegant, quando sine scandalo denegari non potest. Sic ipsi interrogant in majori Catechesi Racovienſi cap. 4. de Baptismo aquæ. *Num ergo ad eum ritum infantes pertinent* ? Respondent: *nullo pacto*. Et postea quærunt, *quid de iis sentiendum sit, qui infantes baptizant*. Respondent: *Quamvis hac in re errent, non licet tamen ideo eos condemnare, modo alioquin idololatræ non sint; sed scite secun-*

dum præcepta Christi vivant, & alios sententiam ipsorum repudiantes non persequantur.

Theodorus Beza, & omnes fere recentiores Novatores Lutherani & Calviniſtæ hoc nixi principio, Baptiſmum eſſe ſigillum & obſignationem fœderis initi Deum inter, & Chriſtianos, contendunt ſolos Fidelium, non vero Infidelium filios baptizandos eſſe: quod ſi contingat infantes mori ſine Baptiſmo, eos a Regno Cælorum non excludunt.

Circa ſecundum, an nempe expediat infantes baptizare,

Opinio fuit Fidi in Africa Epiſcopi, eos non debere baptizari ante octavum a nativitate diem. De qua conſultus S. Cyprianus, reſpondit per Epiſtolam, quæ eſt num. 59. eos poſſe & debere baptizari.

Tertull. itidem Afer lib. de Baptiſmo c. 18. putat expedire magis, *Pag. 94.* ſi infantium Baptiſma differatur, donec per ætatem ſint rationis compotes: cujus duplicem profert cauſſam & rationem, unam ex parte ſponſorum qui exponunt ſe periculo, ne infantes factas eorum nomine promiſſiones, irritas faciant; alteram ex parte obligationum quæ per Baptiſmum contrahuntur: *Quid enim*, inquit, *neceſſe eſt ſponſores etiam* *P. 231. D.* *periculo ingeri? Quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones poſſunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: Nolite illos prohibere venire ad me. Veniant ergo dum adoleſcunt... quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* (innocentes vocat infantes per excluſionem peccatorum actualium, non vero originalis) *ſi pondus intelligunt Baptiſmi, magis time-* *P. 232. A.* *bunt conſecutionem, quam dilationem.* Quin eodem nixus fundamento unicuique pro varia conditione, diſpoſitione ac ætate, nominatim vero innuptis propter tentationes, quibus obnoxii ſunt, Baptiſmi cunctationem meliorem eſſe contendit.

S. Greg. Nazianz. Oratione 40. quæ eſt in ſanctum Baptiſma, cenſet *T. 1. p.* quoque ante triennium parvulos non eſſe baptizandos, niſi imminente *658. E.* periculo; quamquam vehementer invehitur adverſus adultos qui Baptiſmum ad extremam uſque ſenectutem differunt.

Ab eadem ſententia non multum abhoruiſſe videtur Eraſmus fragmento Epiſtolæ inter eas, quas cum vita ejus Leidæ edidit Paulus Merula anno 1607. non tamen Eccleſiæ conſuetudinem rejicit; diſerte quippe ſcribit, *De Baptiſmo ſervetur quod tot ſæculis ſervavit Eccleſia*: ſed vult infantes baptizatos, *poſtquam adoleverint, interrogandos eſſe, an ratas habeant promiſſiones per eorum ſponſores factas; quod ſi recuſaverint eas confirmare, proprio arbitrio illos eſſe relinquendos, nec ad Chriſtianam vitam cogendos.*

Hallucinantur hic Ludovicus Vives Annotationibus in Librum primum Sancti Auguſtini de Civit. Dei cap. 27. „ *Simplicius Verinus, ſeu* „ *Claudius Salmaſius in lib. de tranſubſt. pag.* 495. „ & Vvalafridus Strabo lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 26. dum ajunt, *olim neminem ad Baptiſmum fuiſſe admiſſum niſi adulta jam ætate, cum quiſque ſcire poterat quid peteret & acciperet, quibuſve obligationibus ſeſe adſtringeret*: oppoſitum enim conſtabit ex teſtimoniis Veterum, quæ ſtatim adducturi ſumus. Itaque ſit

CON-

CONCLUSIO.

Infantes sunt Baptismi capaces, & expedit eos baptizare.

Duæ sunt Conclusionis partes.

Probatur prima pars ex Scripturis.

Quadruplex ex Scripturis argumentum colligemus; nempe a præcepto Baptismi universali; a necessitate illius, ab effectu; denique ab exemplo, a paritate.

I. A præcepto Baptismi universali, quod dedit Christus Matth. 28. v. 19. in his verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hoc autem præcepto voluisse Christum, ut non tantum adulti, sed etiam infantes baptizarentur, colligi potest, tum quia universale est, & indefinitum; tum quia scopus Christi eo loci est, ut doceat modum colligendi, & conservandi Ecclesiam in terris usque ad consummationem sæculorum; cum vero Ecclesia non adultos tantum, sed & infantes complectatur, modus etiam ille ad utrosque pertinet accommodate & apposite ad conditionem eorum; ita ut scilicet adulti prius doceantur, quam baptizentur, infantes vero primo baptizentur, tum suo tempore doceantur. Tum quia antithesis id postulare videtur; nam *omnes gentes* videntur ibi opponi omnibus, & solis Judæis, sicut postulat discrimen veteris, & novi Testamenti; sicut igitur inter Judæos non adulti modo, sed infantes circumcidebantur; ita quoque in novo Fœdere non tantum adulti baptizandi sunt, sed & infantes. Tum denique quia Apostoli, qui haud dubie sensum mandati Christi recte intellexerunt, infantes procul dubio baptizarunt: cum integras familias hoc Sacramento initiasse legantur, sicut in quarto nostro argumento ostendemus. I. A præcepto Baptismi.

II. A necessitate Baptismi pro obtinendo Regno Cælorum. Jo. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Generalis est Christi comminatio, quæ ipsos quoque involvit infantes. Mirum sane est, Novatores adversus Anabaptistas disputantes eo S. Joannis testimonio uti posse, quod ipsi negant de vero aquæ Baptismo intelligendum esse, sicut diximus antea; ex illo tamen sic arguimus: qui sunt capaces Regni Cælorum, ii quoque capaces sunt Baptismi, sine quo ad Regnum Cælorum pervenire non possunt: atqui infantes capaces sunt Regni Cælorum: ergo &c. II. A necessitate.

Minor probatur ex verbis Christi Matth. 19. v. 14. *Sinite*, inquit, *parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim Regnum Cælorum.* Idem legitur Marci 10. 14. & Lucæ 18. v. 16. ubi Christus ejusmodi infantes jubet ad se adduci, eos in ulnas accipit, manus iis imponit ac benedicit: ergo non sunt illi a Sacramento Baptismatis arcendi.

Nec audiendi sunt, qui reponunt, eo loci parvulos dici humilitate & innocentia, non vero ætate; vel saltem eos esse intelligendos, qui rationis usum jam adepti sunt, siquidem (inquiunt) ad Christum venire dicuntur, non afferri vel adduci.

Namque etiamsi Christus in persona puerorum humilem, & innocentem vitam commendare voluerit, an non etiam voluit significare infantilem ætatem non esse alienam a Regno Cælorum, adeoque a mediis institutis

pro

pro illius assecutione? sensu quippe litterali historico veri a parentibus Christo pueri offerebantur, ut ipsis benediceret; at certe complexus ille ac benedictio significant infantes esse gratiæ capaces, sicut & Regni Cælorum.

Quod vero citatis locis intelligatur infantes ætate, non humilitate solum patet ex nomine græco, quo usus est S. Lucas v. 15. vocantur enim βρέφη; βρέφος autem est infans adhuc in cunis, & tenellus plerumque lactens. Lucæ 1. v. 41. & 44. 1. Petri 2. v. 2. Idem S. Lucas ait, quod parentes suos ad Christum infantes afferebant, προσέφερον. Non est itaque quod imperite Anabaptistæ vim faciant in verbo, *venire*, quo utitur vulgatus interpres: nihil enim aliud significat, quam accedere, seu appropinquare.

III. Ab effectu. III. Ab effectu Baptismi, qui positus est in remissionem peccatorum, & interiori animæ per gratiam regeneratione. Act. 2. v. 38. Jo. 3. v. 5. ad Titum 3. v. 5. unde sic arguimus: Qui capaces sunt effectus Baptismi, ii capaces quoque censeri debent ipsius Baptismi; quibus enim res significata potest convenire, iis & signum hujus rei potest communicari: atqui infantes sunt capaces effectus Baptismi, remissionis scilicet peccati originalis, quod nascendo contraxerunt, & interioris regenerationis, & innovationis.

Minor probatur 1. ex citato c. 2. Actorum.

Postquam enim v. 38. S. Petrus dixerit: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*, v. 39. sic pergit: *Vobis enim est repromissio, & filiis vestris*. Ergo eadem gratiæ, & repromissionis peccatorum repromissio facta est filiis Judæorum, quæ Judæis ipsis: ergo æque capaces sunt gratiæ, & consequenter medii seu signi practici, quod Christus instituit ad illam gratiam communicandam. 2. Infantes capaces sunt peccati quod nascendo contrahunt: ergo & gratiæ regenerantis: nisi velis plus posse culpam primi parentis ad homines perdendos, quam gratiam Christi ad eosdem servandos, quod certe impium videtur, & directe pugnat cum Apostolo dicente Rom. 5. v. 26. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum*. Expresse declarat Christus cap. 19. S. Matth. jam citato, infantes pertinere ad Regnum Cælorum: ad illud autem pertinere non possunt sine Baptismo, dicente ipso Christo Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: ergo necesse est, ut capaces sint Baptismi.

IV. Ab exemplo & paritate. IV. Denique probatur ab exemplo & paritate.

Ab exemplo quidem Apostolorum: ii enim leguntur integras familias baptizasse. Act. 16. Lydia purpuraria cum omni domo sua baptizata est. Idem narratur de custode carceris Macedoniæ; & c. 16. 1. Cor. S. Paulus narrat se baptizasse *Stephanæ domum*: at verisimile non est, in iis domibus seu integris familiis aliquos non extitisse infantes; ii ergo simul cum aliis baptizati sunt.

A paritate Circumcisionis: tam quippe possunt, & debent baptizari infantes in novo Testamento, quam potuerint circumcidi in veteri. Paritas ostenditur. 1. quia utriusque par videtur necessitas. 2. quia Baptismus subrogatus est Circumcisioni, & ipsi successit in novo Fœdere, juxta Apostolum, Coloss. 2. v. 11. & 12. qui in Baptismo Christi Circumcisionem non manu factam agnoscit.

scit. 3. quia unus est utriusque finis. Circumcisio enim erat Sacramentum initiationis, quo Ecclesiæ veteri adunabantur & sociebantur infantes circumcisi; per Baptismum quoque Corpori Christi, id est Ecclesiæ, copulantur & sociantur quicumque eo initiantur. 4. quia idem per utrumque Sacramentum significatur, nempe circumcisio interna cordis, & gratia regenerationis, cum hoc solum discrimine, quod Baptismus vere, & ex opere operato gratiam illam conferat, quam non conferebat Circumcisio carnalis vetus; sicut ostendimus, ubi de Sacramentis in genere. 5. denique, quia gratia Dei imminuta non est, nec parcior, imo abundantior in novo Testamento: si quid ergo obstat ætas puerilis in Baptismo, ne gratiam recipiat propter defectum rationis, idem debuisset obstare impedimentum in Circumcisione veteri. Quod si tamen non frustra Dei beneficia jam tum per Circumcisionem oblata fuere & concessa Judæorum infantibus (quamquam non ex vi propria Circumcisionis) quidni eadem, imo & majora seu ampliora Dei beneficia per Baptismum infantibus in nova Lege conferri affirmabimus? Tanto enim præstant Sacramenta nova veteribus, quanto Lex Christi Legi Mosis superior ac perfectior est.

Secunda probatio ex constanti Traditione Ecclesiæ.

Traditionem hanc ex Conciliorum Decretis, ac SS. Patrum testimoniis demonstramus.

Ex Conciliis quidem.

Ex Carthaginensi, cui 66. interfuere Episcopi sub S. Cypriano ann. 253. In eo quippe proposita fuit, agitata, & definita quæstio a Fido Episcopo excitata, an scilicet infantes baptizari tantum possent post octavum a nativitate diem: *In hoc*, (Concilio) ait S. Cyprianus Ep. 59. ad Fidum, *quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam denegandam.* Et Postea: *Porro si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, & a Baptismo, atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, & contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* P. 95. P. 96.

Hoc Decreto vetus & Ecclesiæ ipsi coæva Christianorum fides ac Traditio confirmata fuit, non nova invecta doctrina. S. enim August. Ep. 166. alias 28. ad Hieronymum de hac definitione loquens sic scribit: *Beatus Cyprianus non aliquod decretum concedens novum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum . . . mox natum rite baptizari posse cum suis quibusdam Coepiscopis censuit.* T. 2. p. 593. A.

Ex Milevitano, cui interfuit S. Aug. an. 416. can. 2. *Quicumque*, inquit, *parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, anathema sit.* Tom. 2. Conc. p. 1538. C. D.

Tam altas apud Fidelium animos radices egerat hæc fides quinto sæculo, ut ipsimet Pelagiani, originalis noxæ aliunde hostes, & impugna-

gnatores acerrimi, praxim tamen baptizandi infantes retinuerint, nedum damnaverint.

Tom. 5. Conc. p. 898. A. Ex Gerundensi an. 517. can. 5. *De parvulis*, inquit, *qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur.*

Ex Bracarensi III. an. 578. Can. 7. *Placeat*, inquit, *ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiantur ab eis.*

Tom. 14. Conc. p. 779. A. Denique, ut alia multa prætereamus, Conc. Trid. Sess. 7. Can. 13. de Baptismo, quam a majoribus acceperat fidem & traditionem, eamdem declarat & confirmat his verbis: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter Fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omittere eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.*

Probatur eadem Traditio ex testimoniis SS. Patrum.

P. 147. n. 4. Ex S. Irenæo lib. 2. adversus hæreses c. 22. alias 39. *Dominus*, inquit, *omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores. Ideo per omnem venit ætatem; & infantibus infans factus, sanctificans infantes: in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem.*

T. 2. p. 353. A. B. Ex Origene in c. 6. Epistolæ ad Rom. *Ecclesia*, inquit, *traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptismum. Sciebant enim illi quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & spiritum ablui deberent.*

Ex Tertulliano, Lib. scilicet de Baptismo c. 18. ubi etsi privata sua sententia velit Baptismi perceptionem ad ætatem adultam differendam esse, eo tamen ipso non obscure innuit, suo tempore receptum fuisse in Ecclesia usum baptizandi infantes.

P. 231. A. B. Eo tendunt, quæ ipsemet Tertullianus generatim docet; c. enim 15. l. de Baptismo indistincte asserit, eum esse reum perditi hominis, qui Baptismum, quem potuit, non administravit. Et L. de anima c. 39. & 40. exponens qua ratione, juxta Apostolum, filii Fidelium facti sint, ait, *eos sanctos appellari, tam ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina, quasi designatos sanctitatis, ac per hoc etiam salutis, juxta Domini definitionem: Nisi quis renatus fuerit &c. Ita*, inquit, *omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur; tamdiu immunda, quamdiu recenseatur.* Censet igitur Tertullianus, infantes capaces esse salutis, ac proinde Baptismi.

P. 294. B.

Ex S. Cypriano Ep. 59. ad Fidum, ubi ex professo nostram probat & confirmat Conclusionem, ex definitione seu Decreto Concilii Carthaginensis, cujus verba mox relata sunt.

T. 1. p. 658. A. Ex Gregorio Nazianzeno Oratione 40. in Sanctum Baptisma: *Quid autem*, inquit, *de iis dices, qui adhuc tenera ætate sunt ... An eos quosque baptizabimus? Ita prorsus; si quod periculum urgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo & obsignatione abscedere.* Quod ibidem confirmat S. Doctor, exemplo, & paritate Circumcisionis.

Ex

Ex S. Chryſoſtomo Homilia ad Neophytos : *Hæc de cauſſa*, inquit, *etiam infantulos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hereditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint omnes, ut Spiritus habitatio fiat.* Ed. Par. 1621. T. 2. Ap. p. 42. B.

Ex S. Ambroſio l. 2. de Abraham c. 11. n. 81. *Nec ſenex*, inquit, *proſelytus, nec infans vernaculus excipitur; quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas Sacramento idonea.* T. 1. p. 349. C.

Ex S. Hieronymo Epiſt. ad Lætam, ubi eos ſceleris arguit, qui Chriſtianorum infantibus Baptiſma recuſaverint. Et in fine l. 3. contra Pelagianos, adducto Cypriani teſtimonio ex Epiſtola ad Fidum, concludit *baptizandos eſſe infantes, non ſolum in Regnum Cælorum*, ut aſſerebant Pelagiani, *ſed etiam in remiſſionem peccatorum*, videlicet peccati originalis. T. 4. p. 2. p. 593. Ib. p. 546.

Denique ex S. Aug. qui antiquæ hujus fidei, ac Traditionis teſtis fuit ac ſtrenuus defenſor. l. 10. de Gen. ad litteram c. 23. *Conſuetudo*, inquit, *matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio.* T. 3. p. 1. p. 272. C. Et l. 1. de peccatorum meritis ac remiſſione c. 26. *Parvulos*, inquit, *baptizandos eſſe* (Pelagiani) *concedunt, qui contra auctoritatem univerſæ Eccleſiæ, proculdubio per Dominum, & Apoſtolos traditam, venire non poſſunt.* T. 10. p. 22. C. Denique Sermone 10. de verbis Apoſtoli, nunc 177. *Nemo*, inquit, *vobis ſuſurret doctrinas alienas. Hoc Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit; hoc a majorum fide accepit, hoc uſque in finem perſeveranter cuſtodit.* T. 5. p. 480. A. Alia ejuſdem S. Doctoris teſtimonia ſuperius adducta ſunt, cum de neceſſitate Baptiſmi actum eſt.

Nonnullas hic ad confirmationem noſtræ Concluſionis proponit rationes Bellarminus, quas ex adductis modo tum Scripturæ, tum SS. Patrum teſtimoniis facile erit unicuique inferre.

Secunda pars Concluſionis, nempe expedire ut infantes baptizentur, Probatur 1. Quia homo a pueritia alicui vivendi rationi aſſuetus, firmius in ea deinde perſeverat: atqui optandum eſt, ut in iis, quæ ſunt Chriſtianæ vitæ, homo firmiter perſeveret; bonum igitur ipſi, ſi jugum ab adoleſcentia portaverit, Threnorum c. 3. v. 27.

2. Quia periculum æternæ damnationis in quam incidere poſſet infans, ſi forte ſine Baptiſmo repente moriatur, minime compenſatur per fructum, qui expectatur ex dilatione Baptiſmi, præſertim cum eo fructu non defraudentur infantes: quando quidem grandiores facti informantur Eccleſiæ fide ac doctrina, ut norint quid in Baptiſmo promiſerint per ſponſores ſuos, cui fidem ſuam obſtrinxerint, ac ſponſionis ſuæ per totam vitæ ſeriem ſemper memores ſint ac cuſtodes.

3. Si adulta ætas ad Baptiſmum expectaretur, multi male educati ac voluptatibus dediti, aut recuſarent omnino baptizari, aut in ultimam uſque ætatem Baptiſmum differrent, ne cito carni, & mundo renunciare cogerentur; atqui utrumque ſemper improbavit Eccleſia, ut conſtat tum ex adductis modo teſtimoniis, tum ex iis, quæ circa Baptiſmum Clinicorum antea obſervavimus, qui in pœnam dilati Baptiſmatis irregulares habebantur ad ſacros Ordines percipiendos.

Denique Conc. Trid. Seſs. 7. Can. 14. ſic Eraſmi opinionem perſtringit: *Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogan-* Tom. 14. Conc. p. 779. E.

gandos esse an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle respondérint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur donec resipiscunt, anathema sit.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Nullum extat in sacris Libris exemplum infantis baptizati; ergo infantes non sunt baptizandi.

Resp. 1. Falsum esse antecedens: constat enim ex probationibus, Apostolos integras baptizasse familias, in quibus haud dubie aliqui fuere infantes.

Resp. 2. nego conseq. Tum quia Traditio, quæ altera est fidei nostræ regula, constanter docet infantes esse capaces Baptismi, eosque debere baptizari; silentium igitur Scripturæ efficax hic argumentum non suppeditat Anabaptistis, nisi cum adversus Lutheranos, & Calvinistas pugnant: isti etenim rejecta Traditionis auctoritate, ab eo argumento vix sese expedire unquam possunt. Tum quia etsi nullum in Scripturis exemplum mulieris ad participationem Eucharistiæ admissæ, non inde tamen recte concludi potest, eas vel incapaces esse illius percipiendæ, vel ad eam non esse admittendas: paritas manifesta est.

Instabis 1. Juxta mandatum Christi Matth. 18. ii dumtaxat sunt baptizandi, qui capaces sunt doctrinæ; ait enim Christus: *Docete, baptizate omnes gentes*: sed infantes incapaces sunt doctrinæ: ergo & Baptismi: neque enim ibi, ajunt Sociniani, Christus agit de Baptismo aquæ, sed doctrinæ.

Resp. dist. ant. Qui capaces sunt doctrinæ, vel cum baptizantur, vel postquam baptizati sunt, concedo: cum baptizantur dumtaxat, nego. Christus igitur eo loci vult doctrinam Baptismo esse præmittendam, quando adulti baptizantur, de quibus potissimum hic agit: *Docentes eos servare omnia, quæcumque præcepi vobis*. Quantum vero ad infantes, tametsi præ tenella ætate tunc doctrinæ capaces non sint, satis est, si postea doceantur, cum ad usum rationis pervenerint. Adde quod verbum græcum, quo utitur S. Matthæus, μαθητεύσατε proprie non tam significat docere, quam discipulos facere, quod fit etiam administrando Baptismum infantibus, qui per illum Christo, ejusque Religioni nomen dant ac spondent obsequium, & consequenter ejus fiunt discipuli. Sic Joan. 1. v. 1. μαθητὰς ποιεῖν, non est simpliciter docere, sed discipulos facere, seu in disciplinæ professionem admittere. Hinc patet falso prorsus Socinianos asserere, citato S. Matthæi loco, Christum non agere de Baptismo aquæ, sed doctrinæ: quippe de illo Baptismo agit, de quo dixit Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; quem ipse Christus cum Apostolis suis usurpavit: baptizavit autem Christus cum Apostolis suis in vera, & naturali aqua. Recole, quæ superius dicta sunt, cum adversus Socinianos Baptismi necessitatem demonstrabamus.

Instabis 2. Marci ultimo, Christus ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: ubi fides Baptismo præmittitur. Pariter Rom. 10.

v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* : atqui parvulis talis fidei incapaces sunt. Pariter S. Petrus Act. 2. v. 38. ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*; infantes autem sunt incapaces pœnitentiæ? ergo & Baptismi.

Resp. 1. Ut molestum illud Anabaptistarum telum declinaret Lutherus, eo absurditatis devenit aliquando, ut etiam in infantibus, dum baptizantur, fidei actualis motum agnoverit; exemplo fretus Joannis Baptistæ, qui in utero materno adhuc inclusus ad præsentiam Virginis Mariæ *exultavit*, & Christum nondum natum agnovit, Luc. 1. v. 41. Verum tam putidum figmentum irrisere vel ipsimet Lutheri discipuli: neque eo trahi debet exemplum Joannis Baptistæ, quod unicum plane ac singulare fuit, nisi forte voluerit Lutherus etiam in exemplum trahere Asinam Balaam, quæ locuta est Num 22. vers. 28. atque *asinina expectare consilia*, ut loquitur S. Aug. Epist. 187. alias 57. *T. 2. p.* ad Dardan. cap. 7. n. 24. *686.*

Resp. 2. his in locis sermonem esse dumtaxat de adultis. De illis enim agitur, ad quos prædicationem suam, ut converterentur, Apostoli dirigebant, in quibus, ut Baptismi fructum percipiant, prærequiritur fides, pœnitentia &c. Infantes autem cum proprii actus sint incapaces, actualem etiam fidem, ceteraque prævias dispositiones habere non possunt: Fideles tamen recte dicuntur, a Sacramento fidei, quod percipiunt; sicut, recte dicuntur rationales, ab anima rationali, qua informantur, licet rationis actum exercere non valeant.

ADDITIO.

(*)

Dici etiam potest cum Muratorio de Ingen. moder. l. 3. cap. 2. cum apud Matth. ult. legatur μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, idem autem sit μαθητεύω quod discipulum facio, *impleri ad unguem Christi mandatum etiam cum parvuli lustrantur, quamquam nullis præviis doctrinis imbuti cooptantur quippe, & auctorantur in Christi disciplinam ipso salutari Baptismate, quin* & membra, ac fratres ejus, filii, & heredes Dei *efficiuntur secundum Apost. 1. Cor. 6. ad Rom. 8. ad Gal. 3. Nec manet aliquid reliquum, quam ut procedente ætate informentur Christianæ vitæ institutis juxta Salvatoris monitum, quod post verba illa βαπτίζοντες αὐτὺς, adeoque peracto Baptismo subjungitur, & imperatur διδάσκοντες αὐτὺς τηρεῖν πάντα, ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν Cetera communior, firmiorque est responsio, quam primo loco dedimus vel hæc altera quam tradit August. quod scilicet iidem parvuli* doceantur in aliis, credant in aliis. *Verba Augustini sunt l. 1. de pecc. mer. cap. 19.* Fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, atque per eorumdem verba gestantium diabolo, & huic sæculo renunciare monstrantur. *Cur vero satis fit* credere in aliis, *causam reddit Serm. 14. de verbis Apost.* Ad verba aliena sinatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? fit interrogatio, respondetur; credit. Pro non loquente, pro silente, pro flente, & quodammodo ut subveniatur orante, respondetur, & valet. *Neque id novum, ac insolens videatur, si enim vexatam*

a dæ-

a dæmonio filiam liberavit matris deprecantis fides Matth. 15. & fide Centurionis servus paralyticus consanatus est; cur non etiam majorum, aut Ecclesiæ afferentis fides suffragetur impotenti parvulo, ut postquam illum salutaris aqua contigerit, sanet ac salvet.

(*)

Instabis 3. Infidelis non est Baptismi capax: atqui infantes sunt infideles, utpote qui fidem non habeant.

Resp. dist. maj. Infidelis positive, id est, qui contrario infidelitatis habitu vel actu laborat, concedo: infidelis negative, id est, qui fidem non habet actualem, cujus est incapax, quales sunt infantes, nego. Fidem enim hanc actualem in iis supplet fides Ecclesiæ, in qua baptizantur; & quemadmodum eis nocere potest peccatum personale Adami, cur ipsis non proderit fides aliena Ecclesiæ, accedente Baptismi Sacramento?

Instabis 4. Quare potius exigitur dispositio prævia ex parte adulti, & nulla ex parte infantis? & quare ad Baptismum potius, quam ad Eucharistiam admittuntur?

Resp. ad primum: idcirco proprium voluntatis motum propriasque dispositiones in adultis præexigi Baptismo, tum quia earum capaces sunt, tum quia qui proprio voluntatis motu se a Deo avertit per peccatum actuale, ille debet quoque ad Deum beneficio gratiæ excitantis, & proprio motu liberi arbitrii converti: *Qui enim creavit te sine te*, ait S. Aug. *non salvabit te sine te*. Et: *Gratia Dei mecum*, ait Apostolus, ut insinuet necessariam esse liberii arbitrii nostri cooperationem gratiæ Dei moventi, & excitanti: at infantes nec capaces sunt illarum dispositionum, nec proprio motu voluntatis peccaverunt, sed aliena tantum voluntate, nempe primi parentis, *in quo omnes peccaverunt*.

Ad secundum. Resp. 1. longo sæculorum tractu Ecclesiam olim infantibus baptizatis dispensasse Eucharistiam; & quidem, ut ait Conc. Trid. Sess. 21. c. 4. *Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt*. Verum cum istud ad disciplinam pertineat, quæ pro temporum ac circumstantiarum mutatione, mutatur, non amplius Ecclesia infantes admittit ad sacram mensam.

Resp. 2. Disparitatem apertam esse: *Siquidem*, ait Concilium loco mox citato: *infantes per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt;* Eucharistia vero destinatur tamquam alimentum spirituale ad reparandas vires animæ, quæ quotidianis lapsibus imminuuntur, & infringuntur.

Tom. 14. Conc. p. 847. C.

Instabis 5. Non satis intelligitur, qua ratione infans possit interius renasci, & renovari per gratiam baptismalem.

Ibid. Resp. mirum non esse si istud aperte non intelligatur cum sit mysterium fidei, cujus natura est, ut sit obscurum ac maxime reconditum, alioquin non amplius mysterium foret. Et vero quis concipit, & exponere satis potest, qua ratione traducatur peccatum Adami in omnes ejus posteros? nemo certe. An ideo negandum? absit. Satis ergo est, quod sciamus, Deo, cujus inexhausta virtus est, non deesse modum, quo possit infantes per gratiam suam interius renova-

novare: qui enim de nihilo creavit hominem, haud dubie poteſt & illum ab inhærente labe peccati purgare.

ADDITIO.

(*)

Inſtabis denique aliena Majorum, Sponſorum, aut Eccleſiæ fides infantibus opitulari non valet, ſi audimus Neo-Cæſarienſem Syn. quæ cap. 6. declarans uterum gerentis mulieris Baptiſma non prodeſſe fœtui, hanc cauſſam profert: quod proprium uniuſcujuſque inſtitutum, ac propoſitum in confeſſione oſtendatur.

Reſp. Neo-Cæſarienſi Synodo non erat propoſitum vim omnem, ac valorem fidei Majorum offerentium parvulos adimere; id ergo unum docuit, nec matrum Baptiſmo, latentes in utero fœtus ablui, nec fide illarum ſola ſalvari. Non abluuntur Baptiſmo, neque enim, *ut ibidem Patres ajunt*, ea quæ parit, cum fœtu, qui paritur, ea in re aliquid habet commune. *Prodeſt matri, quam tangit aqua, latentem non afficit. Non etiam ſalvantur fide; profitente namque matre non profitetur proles, ut ad regenerationem opus eſt, nam quemadmodum hoc explanat Auguſt. in Epiſt. 98. ad Bonifac.* Ut poſſit regenerari infans per officium voluntatis alienæ, cum offertur conſecrandus, facit hoc unus ſpiritus, ex quo regeneratur oblatus; non enim ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel miniſtrantium fide; ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. Aqua igitur exhibens forinſecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ regenerat hominem in uno Chriſto.

(*)

Objicies 2. contra ſecundam Concluſionis partem: 1. Chriſtus anno ætatis trigeſimo baptizatus eſt; quidni igitur ad hanc uſque ætatem quiſque ſuum differat Baptiſmum?

2. Tertullianus, & S. Gregorius Nazianzenus exiſtimarunt, ſatius eſſe ſi Baptiſmum differatur ad pleniorem ætatem, in qua cognoſcere quiſque poteſt, quibus ſe votis obſtringat; durum quippe videtur infantes, cum adoleverint, obligare ad id, quod inſcii, & ignari voverunt.

3. Multi ex veteribus dignitate, & ſanctitate conſpicui viri Baptiſmum ad provectiorem ætatem diſtulere, ut Conſtantinus, & Valentinianus Imperatores; S. ipſe Ambroſ. paucis ante Ordinationem diebus, Baptiſmate initiatus eſt, ut obſervat Paulinus in ejus vita.

ADDITIO.

(*)

PEr menſes aliquot ex lege differri Baptiſma monſtrat Lucenſis Synod. an. 572. c. 49. cavens. Ne infantes, niſi ante tres hebdomades Paſchæ ad Baptiſmum ſuſcipiantur; *tum & Eccleſiæ vetus inſtitutum, quæ duo tan-*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

tum anni tempora Baptismo præfixit, vigilias scilicet Paschæ, ac Pentecostes, & diuturno Catechumenatu adeuntes exercuit. Sed octo ut minimum dies interponendos a nativitate persuadet circumcisio Baptismi figura, in diem octavum a Deo constituta.

(*)

Resp. ad primum: non omnia quæ fecit Christus in exemplum, & imitationem a nobis necessario esse ducenda. Eucharistiam v. g. sero post cœnam celebravit, nec tamen ita celebramus: Christus itaque anno ætatis trigesimo baptizatus est, quia Baptismo non indiguit; sed Baptismum dumtaxat instituere tunc voluit, cum prædicationem suam auspicaretur.

Ad secundum: Fatemur Tertullianum, & S. Gregorium Nazianz. in ea fuisse sententia, sed ab aliis SS. Patribus, & a tota Ecclesia hac in parte deserti sunt, utpote qui infirmis admodum niterentur momentis. Unde hic observanda Vincentii Lyrinensis regula Commonitorii c. 39. *Quidquid* (unus vel alter Patrum) *quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor, & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas, ac communis, publicæ, ac generalis sententiæ auctoritate secretum sit; nec cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegam Schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis sectemur errorem.* Bibl. PP. T. 7. p. 261. E. Neque porro durum videri debet, si infantes, cum adoleverint, compellantur ad observationem vitæ Christianæ; jugum enim Christi suave est, & onus ejus leve.

Ad tertium: Particularia nonnullorum facta in exemplum, & auctoritatem trahi non debent. Qui olim Baptismum differebant, varii ducebantur motivis, ut voluptatibus securius, & diutius indulgerent, pœnarum canonicarum severitatem timentes; alii, ut ad gratiam baptismalem præviis ac diuturnis bonis operibus sese præpararent. Priores semper improbavit Ecclesia, & adversus eos SS. Patres summo zelo ac studio invehebantur; posteriorum vero, etsi laudarent pietatem, non semper probarunt consilium; unde si in lecto propter infirmitatem baptizari compellerentur, eos irregulares, & ad sacros Ordines percipiendos inhabiles habuere, quo certe significabant illi Veteres, sibi minime probari illam dilationem Baptismi, quocumqne tandem fieret prætextu.

ADDITIO.

(*)

AD 4. *Lucensis canon non habet* τὸ infantes *nisi in Synopsi præfixa, sed* aliquem, *ut adeo tuto de adultis exponi possit, & fortasse etiam debeat, si quæ sequuntur, respicias, ait enim* discendum Symbolum. *Ad eosdem adultos quoque præfixa ab Ecclesia duo tempora non pauci constringunt contra quam videantur sensisse PP. Matisconensis Concilii a. 586. celebrati, qui c. 3. dolent per singulos fere dies baptizari infantes, paucosque fisti in Paschate. Et vero ad adultos etiam solos pertinuisse præfixa tempora, ex veterum more*

ina-

incunctanter parvulos baptizantium, quem impugnavit Tertullianus, ex fidei conatibus, quos unanimi sententia repulerunt Africani Patres cum Cypriano, & denique ex Siricii P. Epistola ad Himerium Tarrac. Episc. qui vergente ad finem Sæculo 4. floruit, non obscure colligitur, postquam enim veterem morem celebrandi generale & sollemne Baptisma in vigiliis Paschæ, ac Pentecostes laudavit Siricius, infantes, & periclitantes ea lege non teneri, nec adstringendos esse disertis verbis confirmat: Sicut ergo, *inquit*, sacram Paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam, ita infantibus, qui nondum loqui poterunt per ætatem, vel iis, quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda Baptismatis, omni volumus celeritate succurri, quicumque etiam indiscrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderint, & sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem quo possunt momento temporis, expetitæ regenerationis præmia consequantur. *Cum circumcisione ipsa legem etiam remedii die octavo adhibendi desisse ostendit Cypr. qui fundamenta levissima Fidi magno rationum pondere evertit.*

Quamquam vero hæc ita sint, circumstant tamen interdum caussæ, quæ differentes nulla superstitione, noxa, aut periculo parvulorum baptisma, a crimine liberent. Sic nullum crimen erit differre, cum ex inopia Ministri Catholico ritu, ac sollemnibus cæremoniis baptisma prompte peragi non potest, aut cum ob moram injectam ex Patrini Principis absentia cunctatione aliqua est opus; neque enim sequendos putem, qui in his angustiis deprehensi, ne in prole quamvis vegeta differre cogantur Baptisma in dies, aut etiam hebdomadam unam, alteramve, Sacramentum a sollemnibus Ecclesiæ cæremoniis disjungunt; supplendis imposterum, cum copia Ministri se offeret, & Patrinus advenerit. Demum quod cunctantem excusat, est mos regionis vetus, ac consentiens, quare damnandum continuo non arbitror græcum illum, qui familiari gentis suæ more, quem cognoscit Allatius lib. 3. de Conf. Eccl. cap. 8. numer. 2. in diem octavum Baptisma transfert, aut etiam in quadragesimum, ut de Russis perhibet Sigismundus L. B. Herbersteinius c. de Bapt. vel etiam in octuagesimum, quem diem a Chaldæorum Ecclesia sollemni more femellis baptizandis destinatum esse scribit Haironus Euoplia Cath. fid. cum in masculis quadragesimus observetur.

Instabis iterum cum Erasmo. Cogendi saltem non sunt sic baptizati parvuli ad leges Ecclesiæ servandas, nisi deinde usum rationis nacti ultro ipsi ratum habeant Baptismum; qui enim per sponsionem, quam sine eorum mandato Patrini fecerunt, ad id obligari possint? qui item hanc obligationem contrahant in Baptismo, cum per eum in infantia nondum efficiantur fideles, utpote fide destituti. Quod si autem hæc Erasmi sententia obtineat, satius videtur, differendum esse parvulorum Baptisma ad ætatem adultam, in qua ipsi pro se spondere possint.

Resp. argumentationem Erasmi penitus esse alienam a principiis veræ religionis, quam se tenere profitebantur. An non enim universim baptizati omnes, proinde & parvuli juxta Apostolum ad Gal. 3. Rom. 8. & 1. Cor. 6. per baptismum redduntur Filii Dei, coheredes, seu fratres & membra Christi, templa Spiritus sancti, *& ad Ephes. 4.* unum Corpus *cum fidelibus, seu membra Ecclesiæ? hoc uno autem nomine, tametsi desit Patrinorum*

ſponſio, per ipſum Baptiſmum uti inſeruntur Eccleſiæ, ita & legibus ejus ſubjiciuntur. Neque per hoc, ut Eraſmus putat, ulla parvulis irrogatur injuria; quin anticipata potius in illos exercetur miſericordia, cum, vel ſortis ſuæ ignari, liberantur a ſervitute diaboli, & ſubduntur jugo Chriſti, cui ſervire regnare eſt. At neſcientibus, inquies, imponitur jugum? ita profecto, ſed jugum ſuave, & onus leve, *Matth.* 11. *ac tale denique, cui, ſi in infantia non ſubjicerentur; in adulta ætate jure naturali & divino ultro ſe ſubjicere deberent.*

Fideles ergo (urget Eraſmus) efficiuntur infantes per Baptiſmum? ita plane. Non eo quidem ſenſu, quaſi actualem fidem habeant, ut adulti; fideles attamen multis aliis nominibus, puta: propter ſuſceptum fidei Sacramentum; propter fidem habitualem in Baptiſmo cum gratia acceptam: propter fidem Patrinorum & Eccleſiæ eorum loco nuncupatam, quia denique inſerti Eccleſiæ, ſeu cœtui fidelium. Neque mirum iſtud videri debebat Eraſmo, quando & ipſe infantes, quod rationali anima informarentur, ex vero rationales dici voluit, tametſi actum rationis exercere non poſſent. Clariſſimum in hanc rem demum accedat Auguſtini teſtimonium Serm. 14. *de verb. Apoſt.* [*ad* verba *inquit*, aliena ſanatur infans, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in altero, qui peccavit in altero. Credit & valet & inter fideles baptizatos computatur, hoc habet auctoritas Matris Eccleſiæ &c. *Et rurſum*: ubi ponis parvulos baptizatos: profecto in numero credentium. Nam & ideo conſuetudine Eccleſiæ antiqua, Canonica & fundatiſſima, parvuli baptizati fideles vocantur. Et ſi de his quærimus: iſte infans Chriſtianus eſt... an fidelis? reſpondetur: fidelis, utique a fide: fides enim a credendo; inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, ſi non vis eſſe aperte hæreticus.

(*)

Utrum infantes in utero materno incluſi, aut aliqua tantum ſui parte in lucem editi, utrum monſtruoſi &c. baptizari poſſint, & debeant.

Quæres 1. utrum infantes in utero materno adhuc incluſi baptizari poſſint.

Reſp. vel infantes illos ſic penitus incluſos eſſe ac membranis involutos, ut omnino lateant nec poſſint nullo pacto aqua perfundi, quo caſu certum eſt illos non poſſe baptizari: vel ita eſſe in utero materno incluſos; ut tamen cujuſdam inſtrumenti ope poſſit aqua ad illos deferri, quo caſu nonnulli exiſtimant, urgente mortis periculo, poſſe eos ſic baptizari; ſi tamen poſtea foras prodeant, ac perfecte naſcantur, debere eos ſub conditione rebaptizari, quia non conſtat de veritate, & validitate prioris Baptiſmatis (1): negant alii (2) poſſe eos ullatenus baptiza-

(1) Victoria, Suarez, Valentia aliique apud Benedictum XIV. de Synod. Diec. l. 7. c. 5. cum primis vero Cabriel Gualdus in opuſculo hac de re inſcripto, editoque Patavii an. 1710. iterumque 1712.

(2) Cardinalis de Laurea, Natalis Alexander, Juenin, Cardin. Gotti, & alii quos idem

ptizari, quia, inquiunt, debet prius aliquis nasci, quam possit per Baptismum renasci. Rationem hanc adducit S. August. lib. de peccat. meritis, & remissione c. 27. *Sacramentum Baptismi*, inquit, *profecto Sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest; ita qui natus non fuerit, renasci non potest.* Idem repetit Epist. 187. alias 57. ad Dardanum. Idem quoque docet Isidorus l. 1. Sententiarum c. 22. *Qui in maternis*, inquit, *uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci. Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcessit.* Eadem ratione utuntur Magister lib. 4. Sent. dist. 6. littera B. S. Thomas hic q. 68. art. 11. & alii. (1)

T. 10. p. 63. C. D.

T. 2. p. 689. Ed. Par. 1601. p. 632. col. 2. H.

Dices: Infans in utero materno inclusus vere jam natus censetur in Adam, cum ejus contraxerit peccatum; quidni igitur poterit in hoc statu per aquam renasci?

Confirmatur: Infans capax est sanctificationis in utero, ut constat de Beata Virgine, Joanne Baptista, & Jeremia; quidni ergo poterit renasci per gratiam Baptismatis?

---

idem Benedictus XIV. appellat, Theophilo Raynaudo veluti duce, ut qui singulari opusculo *de ortu infantium per sectionem Cæsaream* pro hac sententia dimicarit.

(1) Sed nullius roboris est hoc argumentum; in Christi namque sententia *nisi quis renatus fuerit* &c. *renasci* tantundem est ac *regenerari*, unde & Baptismа *Sacramentum regenerationis* dicitur; igitur & *natum esse* non erit aliud, quam esse *generatum*: sane utrumque hoc ex æquo significat Græcum γεννωμαι; at parvuli eo statu jam *generati* sunt, igitur & *regenerari* possunt. Possunt præterea dici iidem parvuli *nati* ex abditioribus materni ovarii penetralibus *in uterum*; nati item *in utero* juxta illud Matth. c. 1. *Quod in ea natum est*; imo etiam dici possunt nati *ex utero*, & secundinis, quatenus ex his evoluti, ad uteri ostium deciderunt. Et quamquam nondum egressi in lucem, jam cum Ecclesia visibili commercio junguntur per sensus, cum scilicet videntur, & contrectantur; quod si ita, non est, cur non etiam ejus Sacramento initiari possint. Patrum autem locutiones evades facillime, si improbasse dumtaxat dices Baptismum collatum matri pro puero, quem utero gestat; certe hoc unum Augustino adversus Julianum, & Isidoro propositum fuit; ad casum vero hunc nostrum neutiquam respexere. Theophilus Raynaudus existimat fieri non posse, ut ad infantis corpus, eo rerum statu, aqua pertingat; quippe quod adhuc secundinis obvolvitur. Provocant alii ad praxim Ecclesiæ, quam dicunt a baptizandis in utero materno prolibus omnino abhorrere, cum in Rituali Rom. edito jussu Pii V. & Gregorii XIII. cui Mediolanense, Salisburgense, & alia passim consentiunt, distincte sic præceptum sit: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet; si tamen infans caput emiserit & periculum mortis immineat, baptizetur in capite &c.* Verum & hæc argumenta nihil sunt. Non primum. Nam & Clarissimorum Medicorum post Hypocratem sententia & peritissimarum obstetricum experimento compertum est, secundinarum involucra, quibus fœtus antea circumsaepiebatur, in ipso puerperii conatu, connisuque discindi, atque uterum maternum ad eum modum hiare, ut percommode aqua ad corpus ipsum syringæ, spongiæ madentis ope, aut etiam manu perferri possit, & proles perfundi. Non secundum, nam cum Ritualia ajunt: *neminem in utero matris baptizari debere*, vel addunt, vel intelligunt *clausum*, ut adeo pars hæc institutionis petita ex Ritualibus in eos solos produci debeat, qui hæreticorum veterum more, communem matri, ac proli Baptismum comminiscuntur, aut certe quadret in illos tantum, quos membranæ, secundinæ, & maternus sanguis sic obsepit, ut aqua in corpore proprio nequeant contingi. Cum vero rursus ajunt: *si tamen infans caput emiserit &c.* prospiciunt eventui admo-

Respondet S. Augustinus mox citata Epistola ad Dardanum, infantem in utero matris inclusum proprie natum non debere dici; alias triplex nativitas foret admittenda, una in utero, altera ex utero, tertia ex aqua & Spiritu Sancto: quæ tamen ultima solet simpliciter secunda nativitas appellari. Contrahit quidem infans in utero inclusus peccatum Adæ, sed gratiam regenerantem non potest in eo statu adipisci, quia medium a Christo institutum pro communicanda illa gratia, nempe aqua baptismalis, ad eum pervenire non potest. Neque hic objicienda sunt exempla eorum, qui in utero materno sanctificantem gratiam perceperunt: quæ enim ex singulari, & plane extraordinaria Dei gratia ac potentia facta sunt, in exemplum trahi non debent, cum habeamus in Scripturis expressam Christi voluntatem his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Cælorum.*

Quæres 2. an infantes aliqua tantum sui parte in lucem editi, baptizari possint, & debeant.

Respondet S. Thomas hic q. 68. art. 11. in responsione ad quartum. *Dicendum*, inquit, *quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat: si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente; & non postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* (1) De illa forma conditionali baptizandi in dubio, diximus in Tractatu de Sacramentis in genere q. 1. art. 6. in fine.

Quæres 3. an baptizandi sint partus monstruosi.

Resp. diligenter esse attendendum, utrum naturam retineant hominis nec ne: de hoc vero potissimum ferri debet judicium ex capite, utpote suprema, imo & dignissima corporis parte, rationis domicilio, & in qua omnes vigent sensus. Si formam hominis retineant, debent baptizari, licet membrum aliquod non principale vel deficiat, vel redundet: si longius vero ab hominis forma habeant, vel superiori corporis parte bestiam potius repræsentent, plane a Baptismo est abstinendum. Quod si gemelli sibi invicem sint adnati, seorsum uterque est baptizandus, idque absolute.

Quæ-

---

modum frequenti; ab hoc vero nostro sermonem abstrahunt, quod iis, quæ rarius eveniunt, scripto Rituali providere necesse non fuit.

Ad Parochos igitur: ut Benedicti XIV. verbis utar, *pertinebit obstetrices instruere, ut cum casus evenerit, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum, mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat, & foras prodeat.*

(1) Ita plane statuit etiam Rituale Romanum, cui etiam consentit tum Rituale Sacramentorum a Cardinali Julio Antonio Sanctorio jussu Gregorii XIII. Romæ evulgato an. 1584. & S. Carolus Borromæus in Institutionibus quæ extant Actor. Eccl. Mediol. p. 4. p. 491. §. *si vero fœtus*, Confer Benedictum XIV. l. c. n. 8. seqq.

Quæres ultimo, an ſpurii, expoſititii, filii parentum excommunicatorum ſint baptizandi.

Reſp. ad primum, & tertium, eos eſſe baptizandos, quia nullus a gratia ſalutari baptiſmi debet excludi propter vitium parentum, ut docet S. Auguſt. Ep. 250. alias 75. ad Auxilium Epiſcopum. Et ut loquitur S. Cyprianus Epiſt. 59. ad Fidum: *Hæc fuit in Concilio noſtra ſententia, a Baptiſmo atque a gratia Dei, qui omnibus miſericors, & benignus, & pius eſt, neminem per nos debere prohiberi.* T. 8. p. 878. p. 96.

De infantibus vero expoſitis, ſi nulla via poſſit cognoſci eos eſſe baptizatos, baptizandi ſunt. (1) Sequatur unuſquiſque in ejuſmodi circumſtantiis praxim ſuæ Eccleſiæ in Ritualibus expreſſam.

Utrum Infidelium filii invitis parentibus baptizari poſſint, & debeant.

Ratum eſſe ac validum Baptiſma fiiiis Infidelium invitis parentibus collatum, omnes concedunt Theologi, quia nempe voluntas parentum, intentio, & fides non pertinent ad eſſentiam Sacramenti, ſed tantum ad æquitatem juris naturalis; multa autem non licet facere, quæ tamen ſi fiant, rata ſunt, & valida.

Tota igitur præſens controverſia eſt, an debeant, & licite poſſint Infidelium filii, parentibus eorum invitis baptizari. Ubi

Obſervandum 1. Infideles ſubjici poſſe Principibus Chriſtianis, vel civiliter tantum, quales ſunt omnes eorum ſubditi, vel ſerviliter, tanquam ſervi, & mancipia. Quæſtio hic tantum movetur de filiis eorum Infidelium, qui civiliter ſubditi ſunt Principibus Chriſtianis.

Obſervandum 2. Scholæ Doctores in varias abire ſententias. Sunt, qui cum Scoto exiſtimant, filios Infidelium, qui civiliter tantum ſubditi ſunt Principibus Chriſtianis, poſſe licite invitis eorum parentibus baptizari. Sunt, qui cum S. Thoma negant id eſſe licitum, imo nonnulli contendunt,

(1) Quare Sacra Congregatio Concilii apud Benedictum XIV. de Synodo Diœceſes. l. 7. c. 6. interrogata, an iterum baptizandi eſſent infantes, vulgo *expoſiti*, ad hoſpitale S. Spiritus in Saxia de urbe delati, etiamſi habeant collo appenſam ſchedulam atteſtantem, eos fuiſſe Baptiſmate ablutos, die 15. Januarii 1724. reſpondit, eſſe denuo baptizandos ſub conditione, niſi certa habeatur notitia perſonæ, aqua ſchedula ſit exarata, aut aliunde indubitatum deſumatur indicium Baptiſmatis rite eiſdem collati: quod nos *in cit. noſtra Inſtit.* 8. animadvertimus, & videre eſt *in Theſaur. Reſolut. tom. pag.* 412. *& tom.* 3. *pag.* 2.

In eadem ſententia fuerant Patres Concilii Provincialis Toloſani, habiti a Cardinali Franciſco de Joyoſa an. 1590. in cujus *p.* 2. *c.* 2. decernitur: *Cum projectis expoſitiſque puerulis, licet affixa reperiatur ſchedula, quæ eos baptizatos eſſe teſtetur, in id tamen, an verum fictumque ſit, Parochi diligenter inquirent: ſi certi nihil compererint inſcripto chartulæ nomine, eos ſub conditione baptizabunt: tom.* 10. Collectionis Harduini *col.* 1798. Cumque minorem fidem collati Baptiſmatis, quam ſchedula incerti auctoris, faciant alia ſigna expoſito infanti appoſita, puta ſali ideo rectiſſime a Richardo Poor, Epiſcopo Sarum, cautum legitur: *Si vero pueros cum ſal: vel ſine ſale expoſitos contingat inveniri, baptizentur*, ſub conditione tamen, ut ſtatim ibidem explicatur: *tom.* 2. *Concilior. Britan.* Henric. Spelman. *p.* 143.

dunt, nequidem filios Infidelium, qui ſerviliter ſubditi Principibus Chriſtianis, poſſe invitis parentibus baptizari, ut Capreolus in 4. diſt. 5. q. 1. art. 3. Marſilius in 4. q. 4. art. 4. dubio 2. & alii. Launojus Doctor Pariſienſis, Diſſertatione de veteri more baptizandi Judæos, & Infideles, plura congerit facta, & exempla, quibus videtur efficere, poſſe Eccleſiam licite Infideles ad Baptiſmum cogere.

Obſervandum 3. quæſtionem hic inſtitui de illis Infidelium filiis, qui nondum rationis uſum adepti ſunt: certum quippe eſt adultos, ut volentes baptizari poſſunt, ita nolentes non poſſe, nec debere baptizari.

CONCLUSIO.

Filii Infidelium non debent invitis parentibus baptizari, niſi ſint ſerviliter ſubjecti, aut in manifeſto vitæ diſcrimine conſtituti.

Duæ ſunt Concluſionis partes. Probatur prima pars: Quia id licite fieri non poteſt, quod ſecum importat vel irreverentiam Sacramenti, vel contemptum patriæ poteſtatis, adeoque, & juris naturalis tranſgreſſionem: atqui baptizare infantes Infidelium parentibus invitis, importat ſecum vel irreverentiam Sacramenti, vel patriæ poteſtatis contemptum, adeoque & juris naturalis tranſgreſſionem.

Namque, vel parvuli ſic baptizati relinquuntur ſub patria poteſtate, & tunc manifeſtum imminet periculum, & contemptus Sacramenti ex parte parentum Infidelium, & ſubverſionis ex parte parvulorum, qui pravis imbuti documentis percepto Sacramento ac fidei chriſtianæ renunciabunt. Vel ſubducentur a poteſtate parentum; & tunc jus naturale, quod parentes habent in filios, violabitur; quod certe non magis licite fieri poteſt, quam ſi ab iiſdem bona quæ juſte poſſident per vim eriperentur.

ADDITIO.

(*)

SEd huc præſertim facit conſuetudo Eccleſiæ, quæ quamvis zelo, ſcientia, & charitate prædita quam qui maxime, nunquam tamen id ſibi ſumpſit, ut parvulos, aut manibus infidelium ſubduceret, aut relictos Chriſtianis ſacris initiaret? Nec liberam hanc eſſe conſuetudinem, ſed vi, atque obligatione legis armatam, adſtrictamque oſtendit tum perturbatio Eccleſiæ, quæ ex libera baptizatione impendet; quis autem ſine ſcelere, ut privati parvuli commodis conſulat, Eccleſiam periculo objiciet, perniciem accerſet? tum & diſertæ Eccleſiaſticæ deciſiones, quas renovavit, atque in epiſtolam ſuam ad Archiepiſc. Tarſenſem de Bapt. Hebræorum *intulit Benedictus XIV. P. Is autem in fronte ipſa epiſtolæ ſtatuit nefas eſſe, Hebræorum infantes contra parentum arbitrium baptizare, moxque in eamdem ſententiam profert reſponſum Congregationis S. Officii datum an. 1705. Carolo Maigrot fel. mem. Præſuli quod tale eſt*: An filii infantes infidelium poſſint baptizari invitis parentibus? Eminentiſſimi audito voto DD. Conſultorum dixerunt: non licere niſi in articulo mortis. *Refert & aliud*

con-

consimile decretum emissum Ann. 1703. *in hæc verba* ; Baptismum conferre infantibus non licet, qui filii infidelium sunt, atque in eorum potestate mansuri, exceptis pueris, qui gravissime ægrotantes, vita periclitantur.

(*)

Probatur secunda pars: Quia tunc baptizari possunt parvuli, cum id fieri potest sine injuria patriæ potestatis, & irreverentia Sacramenti: atqui cum parentes sunt serviliter subjecti, aut filii in periculo mortis constituti, tunc si baptizantur eorum filii, nec fit injuria patriæ potestati, nec irreverentia Sacramento.

Non injuria patriæ potestati: nam qui serviliter domino subjicitur, est in potestate domini, tam ratione sui, quam aliarum personarum sibi conjunctarum, puta uxoris aut filiorum, nec ullum amplius in res suas dominium retinet ; quin & potest a domino divendi: loquimur enim hic de servitute proprie dicta, vi cujus dominus potestatem habet vendendi servum, ut fit apud Turcas. Ut autem possit dominus citra injuriam patriæ auctoritatis parvulum baptizare, satis est, quod possit illum a patre separare ad alios usus quos elegerit: atqui potest dominus filios servorum a patribus separare, & illis, prout libuerit, uti: ergo &c.

Non fit etiam irreverentia Sacramento, cum supponantur illi infantes a parentibus Infidelibus avulsi, bonis, & Christianis imbui documentis.

Eadem ratione concluditur infantem in periculo mortis constitutum baptizari posse, licet suis relinquatur parentibus Infidelibus: quia scilicet vel tollitur periculum irreverentiæ Sacramenti, per mortem mox sequuturam infantis ; vel si supponatur a periculo liberari, tollitur irreverentia per præceptum proprium in materia Sacramentorum, ut nempe periculo exponi possit Sacramentum, quando homo in extrema necessitate positus est, quia nempe Sacramenta in gratiam hominum instituta sunt, non vero homines in gratiam Sacramentorum. Ad hoc mortis periculum respexit haud dubie S. Aug. cum lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 22. scribit : *Aliquando filiis Infidelium præstatur hæc gratia*, (ut baptizentur) *cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocumque perveniunt.* T. 10. p. 742. G.

ADDITIO.

(*)

Dices cum Pat. Marin. Cum plerosque parvulorum ipsis infantilibus annis mors occupet, sic ut vix pars septima, quemadmodum ex subducto a medicis calculo exploratum est, discretionis annos attingat; nemo baptizans cogitur vim afferre patriæ potestati, atque ex infidis laribus prolem subducere ; neque enim relinquendo eam curæ parentum periculo proximo apostasiæ exponitur parvulus, quem sicut est verisimilius ante adeptam rationem decessurum, ita verisimilius quoque est, non fore apostatam ; atque si etiam fiat, cum ad baptizationem non suopte ingenio, sed ex accidente duntaxat apostasia consequatur, non est, cur propterea baptizatio evadat illicita. Sane, quoniam relapsus in crimina ad pœnitentiæ Sacramentum, non sequitur ex ipsa Sacramenti indole, ut

quod

quod potius cohibet, & præstat remedium ; idcirco nullo scrupulo impenditur Sacramentalis absolutio homini vitiis innutrito, devinctoque pravis consuetudinibus, & quem relapsurum prævidemus ; cur non igitur idem sit quoque de Baptismo judicium ? præcipue cum Apostasia, quæ forsan consequetur, quoad hoc genus hominum plerumque materiale *peccatum non egrediatur ; hoc vero nemo cavere obligatus sit omissione, neglectuque actionis, ex qua boni tanti, quantum est æterna salus pueruli, spes affulgeat.*

Resp. parvulum vegetum, valentemque, cum baptizatur, invito patre infideli, non exponi quidem periculo proximo generali *apostasiæ ; exponi tamen periculo proximo* speciali ; *cum multo sit verisimilius hunc talem determinatum parvulum, & supervicturum, & fore in re apostatam, quidquid sit de generali ; quare & baptizatio hæc particularis evadit illicita, quippe quæ ponitur in ea circumstantiarum complexione, ex qua morali quadam certitudine subsecutura recte timetur apostasia, quemadmodum ergo Sacramentali absolutione donari nequit, qui in peccati periculo proximo degere dignoscitur, nisi conatum adhibeat, aut propositum habeat ex proximo faciendi remotum, ita similiter. Esset quidem fortasse apostasia materiale peccatum comparate ad baptizatum ; at baptizans ipse crimen formale contraheret, ut qui manentem in periculo proximo apostasiæ, suapte voluntate contra legem Dei, & disertas Ecclesiæ præceptiones baptizarit.*

(*)

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. cum Launojo : Constat ex multis factis, & exemplis piissimorum Principum, jure ac licite Infideles ad Baptismum compulsos fuisse.

Vivebat circa finem sæculi sexti ; regnavit enim an. 575. Obiit an. 644.

Ex Chilperico qui, referente Gregorio Turonensi lib. 6. Historiæ Francorum cap. 17. multos Judæos baptizari mandavit, ex quibus plures ille ex sacro Lavacro suscepit.

Ex Dagoberto qui, teste Auctore vitæ S. Amandi Trajectensis apud Surium die sexta Februarii, Litteras concessit S. Amando Trajectensi Episcopo, ut Infideles Gandavenses cogeret ad Baptismum.

Ex Carolo Magno qui, ut testantur Francorum Annales qui incipiunt ab ann. 707. & desinunt in annum 800. apud Ducheſne Tom. 2. Saxones ad Baptismum percipiendum coegit : quod factum probavit Adrianus I. S. Pontifex Epist. 8. ad Carolum Magnum, quæ extat Tomo 2. Conciliorum Galliæ.

Ex Sisebuto Hispaniarum Rege qui, referente Baronio ad ann. Christi 614. nu. 39. Judæos ad Baptismum quoque coegit ; quod certe a nullo Hispaniæ Episcopo, nullo Concilio fuit improbatum.

Regnare cœpit an. 616.

Resp. 1. exempla ista apposita non esse ad mentem nostræ Conclusionis, quæ non de adultis, sed de infantibus sub patria auctoritate constitutis loquitur. Etsi vero constaret exemplis, quæ profert Launojus, licitum aliquando esse Infideles ad Baptismum motivis quibusdam timoris ac pœnæ adducere, sicut docet S. Aug. Epist. 93. alias 48. ad Vin-

T. 2. p. 230. D. centium, non sequitur licitum esse infantes aut a parentibus abstrahere, aut iis invitis, & in eorum potestate relictos, baptizare.

Resp.

Resp. 2. morem cogendi Judæos ad Baptismum percipiendum, non approbasse Ecclesiam.

Non approbavit Ecclesia Hispanica in IV. Conc. Toletano ann. 633. Can. 57. ubi sic statuit: *De Judæis præcepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: cui enim vult Deus miseretur, & quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma justitiæ: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic, vocante Dei gratia, propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur.* Improbat igitur Conc. Toletanum, quod fecerat Rex Sisebutus, cujus factum refert. T. 5. Con. p. 17 19. B

Non approbavit Romana Ecclesia: S. enim Gregorius Magnus l. 11. Epistolarum Epist. 15. nunc l. 13. Epist. 12. ad Paschasium Episcopum Neapolitanum sic loquitur: *Qui fincera intentione extraneos a Christiana Religione ad fidem rectam cupiunt adducere, blandimentis non asperitatibus debent studere.* Et postea: *Agendum ergo est, ut ratione potius, & mansuetudine provocati, sequi nos velint, non fugere.* Et Epist. 45. Libri 1. nunc 47. ad Virgilium Arelatensem, & Theodorum Massilienscm Episcopos, ait quidem se laudare intentionem eorum, qui Judæos ad fidem Christi adducere volunt, sed timere ne si coacti ad Baptismum veniant, non prædicationis suavitate, sed necessitate, ad pristinam superstitionem remeantes, inde deterius moriantur, unde renati esse videbantur. T. 2. p. 1126. B. Ibid. D. Ib. p. 542 A. B.

Unde his Episcopis auctor fuit S. Gregorius, ut prædicatione, suasione, instructione, Judæos ad Christum adducete conentur.

Et Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum cap. 41. *Porro*, inquit, *illis violentia, ut credant, nullatenus inferenda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest. Scriptum est enim: Voluntarie sacrificabo tibi.* T. 8. Con. p. 531. A.

Resp. 3. nequidem ex adductis factis, & exemplis quidquam posse adversus consuetudinem Ecclesiæ inferri.

Non ex facto Chilperici: Quia ipse Gregorius Turonensis, qui factum refert, illud improbat: ait enim cap. 17. *hoc modo baptizatos, corpore tantum, & non mente fuisse.* P. 292. E

Non ex facto Dagoberti: namque licet reipsa Auctor vitæ S. Amandi obtentas a Dagoberto Litteras memoret, non ait tamen potestate per eas facta usum fuisse S. Amandum; imo multa pro Christi nomine apud Gandavos sustinuisse, *semperque verbum Dei prædicasse, & quos ex captivitate redimebat baptizasse.*

Non ex facto Caroli Magni. Namque 1. non legimus Saxones ad fidem coactos fuisse, sed eos sponte Religionem Christianam, procurante Imperatore, amplexos fuisse. 2. Alcuinus Epist. 7. quæ est prima apud Ducheſne, dicit *Carolum Magnum sua sollicitudine, devotione, & benignitate per veræ salutis consilium, per optimam voluntatem Saxones convertisse.* Quæ sane loquendi ratio non arguit coactionem & violentiam; imo addit *esse instruendos ut præparati recipiant Baptismum.* T. 2. p. 668.

Porro duo ista sunt apprime distinguenda, aliquem invitum & reluctantem baptizare, & aliquem sive minis sive blandimentis adducere, ut velit baptizari: prius nusquam licet, sed posterius. Utrumque recte distinguit Innocentius III. *Majores de Baptismo, Inter invitum & invitum,* Decr. p. 1387. n. 10.

in-

inquit, *coactum & coactum, alii non absurde distinguunt, quod is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur; & ne detrimentum capiat, Baptismi susceipit Sacramentum, talis (sicut & is qui fide ad Baptismum accedit) & characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observationem fidei Christianæ.* Antea dixerat: *Religioni Christianæ esse contrarium, ut aliquis semper invitus & penitus contradicens, compellatur ad recipiendam & conservandam fidem Christianam.* 3. denique, Adrianus S. Pontifex in Epistola octava gratulatoria ad Carolum Magnum utitur tantum his verbis: *Perduxistis, deduxistis annisu vestro,* (nempe Saxones ad fidem) quæ sane verba coactionem non sonant.

Neque denique ex facto Sisebuti, quod improbatum fuit a Conc. IV. Toletano cap. 55.

Objicies 3. Possunt baptizari filii Hæreticorum: ergo & Infidelium.

Resp. nego consequens & paritatem. Disparitas est, quia Ecclesia, jus habet in Hæreticos, tamquam in filios perduelles: at jus non habet in Infideles, qui omnino foris sunt. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* inquit Apostolus primæ Cor. 5. v. 12.

T. 6. Con. p. 1775.

Instabis 1. Parentes jus non habent in Baptismum; ergo non possunt ab illo suos arcere infantes.

Resp. dist. ant. jus non habent directum, concedo: indirectum, nego: quia jus habent servandi suos infantes, adeoque impediendi, ne a sua subducantur potestate ut baptizentur.

Instabis 2. Possent baptizari infantes dum rationis usum non habent; & postquam ad illum pervenerint, possunt a suis parentibus consentientes avelli.

Resp. nego ant. Manifestum enim foret subversionis periculum, ne scilicet infantes sui ac rationis compotes facti, nec a suis parentibus discedere, nec fidem Christianam in Baptismo perceptam vellent retinere.

Objicies 3. Obedire magis præstat Deo, quam hominibus: atqui Deus præcipit omnes baptizari; ergo reclamantibus & invitis parentibus, licet eorum filios baptizare.

Resp. dist. min. Atqui Deus præcipit omnes baptizari, servato jure naturali & reverentia Sacramento debita, concedo: secus, nego. Porro constat ex probationibus, non posse filios infidelium invitis eorum parentibus baptizari, quin violetur jus naturale, & Sacramento inferatur injuria.

Instabis 1. Potior habenda est ratio juris divini, quam juris gentium: atqui propter titulum servitutis, quæ jure dumtaxat gentium introducta est, possunt infidelium pueri invitis parentibus baptizari: ergo &c.

Resp. dist. maj. Si jus divinum permittat baptizari infantes eorum Infidelium, qui civiliter tantum subjecti sunt Principibus Christianis, concedo: si non permittat, sicut reipsa non permittit, nego. Possunt quidem infantes illi baptizari titulo servitutis per jus gentium introductæ, quia nempe tunc licite a parentibus abstrahuntur, qui naturali, quod in illos habent, jure, si non radicali, saltem actuali per servitutem privantur; adeoque cum ejusmodi infantes sint in potestate dominorum, quibus eorum parentes serviliter mancipantur, possunt iis invitis baptizari.

In-

Instabis 2. Possunt licite infantes a suis avelli parentibus, si pravis moribus ab illis instituantur, aut si periculum sit, ne ab illis occidantur; ergo a fortiori possunt ab ipsis abstrahi ut baptizentur: mors quippe animæ majoris longe momenti est, quam mos corporis.

Resp. nego cons. & paritatem. Disparitas est, quia prava morum institutio & vitæ corporalis conservatio juris sunt publici, atque Respublica, cujus pax & tranquillitas ex bona civium institutione pendet, auctoritatem suam in res hujusmodi exercere potest; Sacramenta vero juris sunt simpliciter divini positivi, & ad ea illos dumtaxat cogere Ecclesia potest, in quos auctoritatem habet ac dominium; sed Ecclesia nullum jus ac dominium habet in Infideles; ergo &c. Fatemur quidem mortem animæ longe majoris esse momenti, quam sit mors corporis, & istam alteri esse postponendam, modo id fiat recta & ordinata via, non vero inordinata; neque enim facienda sunt mala, ut eveniant bona.

Instabis 3. Capite *Ex litteris. De conversione Infidelium*, dicitur, *quod infans in tali ætate non debeat manere apud illas personas, de quibus possit esse suspicio, quod vitæ vel saluti infidientur illius*; ergo propter necessitatem spiritualem, sicut & corporalem possunt infantes a parentibus abstrahi.

Resp. nego conseq. Magna quippe disparitas est casus, qui hic proponitur & solvitur, & Conclusionis nostræ. Namque agebatur de infante, quem mater Judæa repetebat, quia minor erat triennio, ac proinde materna cura & solatio egebat; pater econtra ad fidem Christianam conversus filium reposcebat. His in circumstantiis respondet Summus Pontifex: *Cum filius in potestate patris consistat, cujus sequitur familiam, & non matris; & in tali ætate quis non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitæ insidientur, patri eumdem filium esse assignandum.* *Decr. p. 1277. n. 20.*

Unde Concilium Tolet. IV. an. 633. c. 63. statuit sufficere alterutrius parentis, sive patris sive matris, consensum, ut possit infans, alterius renitente, baptizari. *Tom. 5. Conc. p. 1720.*

ADDITIO.

(*)

Instabis 4. Si pater infidelis suam prolem diis immolare paret religione sanguinaria, pium putatur subducere prolem innocentem destinationi crudeli; cur non igitur perinde sit pium abluere, etsi necessitas deposcat ablutam subtrahere, cum prospicitur ad injuriam Christi, & Baptismi educanda? Equidem licet conjuges infideles jus naturale obtineant ad cohabitationem, & convictum, hoc tamen non obligat suscipientem Baptismum, quin deserto infideli transire possit ad alia vota, cum prior conjux non vult cohabitare sine injuria Creatoris: ergo similiter.

Resp. parentes infideles, qui adversantur suorum puerorum Baptismo, potestate patria magnopere abuti; quia tamen abusus ille totus est dumtaxat adversus solam rectitudinem supernaturalem religionis, minime vero oppugnat ipsum debitum justitiæ naturalis, non est, cur eodem dicantur excidisse; quemadmodum

sane

fane patria poteſtate ſpoliantur, qui cædem innoxiæ proli machinantur; nam quocumque etiam ſuperſtitionis obtentu refugit natura a cæde prolis innoxiæ. Jus autem naturale, quo etiam infideles conjuges ad convictum adſtringuntur, non eſt abſolutum, ſed conditionatum, ſub conditione nimirum deſignata ad Apoſtolo 1. Cor. 7. & in objectione attacta; quare inde ductum argumentum nullum eſt ad patriam poteſtatem, quæ eſt juris naturalis abſoluti.

(*)

Inſtabis denique: Poſſunt Reges & Principes Chriſtiani idololatras a ſuis nefandis ſacrificiis celebrandis errore legum ac ſupplicio capitis prohibere. *Quis enim*, ait S. Aug. alloquens Donatiſtas in Epiſt. 93. alias 48. ad Vincentium, *non laudat leges ab Imperatoribus latas adverſus ſacrificia Paganorum?* T. 2. p. 234. C. *Et certe longe ibi pœna ſeverior conſtituta eſt; illius quippe impietatis capitale ſupplicium eſt.* Ergo poſſunt etiam omni falſa Religione a ſuis ditionibus expulſa, ſubditos ſuos ad veram etiam invitos cogere.

Reſp. nego conſequens. Iſta enim duo ſunt plane diverſa, alicui interdicere cultum impiæ Religionis, & ipſum cogere ad cultum veræ Religionis: prius poſſunt, & aliquando tenentur exequi Principes, præſertim cum diſpar cultus ſubditos non raro ad diſcordias ac jurgia incitet, quos in pace, ac unione continere, officium eſt ac jus Principum: at non tenentur, nec debent invitos ac reluctantes Infideles ſibi civiliter tantum ſubditos, ad Baptiſmum ſuſcipiendum, & profitendam Chriſtianam Religionem tormentorum acerbitate compellere. Laudat citato loco S. Aug. legem ab Imperatoribus latam, & quidem æquiſſimam, adverſus ſacrificia Paganorum; quia penes illos erat uſum illorum ſacrificiorum, & cultum idolorum intra limites Imperii ſui prohibere: at non laudat, quod Paganos iſtos ad cultum veri Dei invitos compulerit, quæ duo valde diverſa ſunt.

Quam fidem in infantibus aut ſupponat, aut producat Baptiſmus.

PRÆNOTANDA.

Obſervandum 1. duplicem in Baptiſmo fidem diſtingui poſſe, unam actualem, quæ præcedit Baptiſmum, tamquam diſpoſitio quædam neceſſaria; alteram quæ ſequitur Baptiſmum, & eſt pars eſſentialis juſtificationis, quæ ſolet appellari habitualis fides.

Obſervandum 2. Cum SS. Patres ajunt parvulos baptizari in fide parentum vel Eccleſiæ, eos non loqui de fide habituali, ſed de actuali; & cum dicimus parvulos baptizari in fide parentum, ſenſus non eſt, parvulos juſtificari formaliter, aut eſſe fideles aliena fide, ſicut nobis imponit Kemnitius: neque etiam ſenſus eſt, ut exponit Lutherus, parvulis impetrari fidem, qua juſtificentur, a fide & precibus offerentium & Eccleſiæ; fidem enim juſtificantem habent parvuli infuſam ex opere operato, ſeu vi & efficacia Sacramenti, non ex opere operantis miniſtri. Senſus igitur eſt, fidem actualem, quæ in adultis, cum baptizantur, requiritur tamquam diſpoſitio ad Baptiſmum neceſſaria, in parvulis non eſſe, ſed eam ſuppleri per fidem Eccleſiæ & offerentium. Unde

Obſer-

Observandum 3. triplicem hic excitari controversiam.

Prima est de fide actuali ; an infantes , qui baptizantur , talem habeant actualem fidem.

Secunda est de fide habituali ; an scilicet illa per Baptismum infundatur parvulis , & an fide Catholica certum sit eam infundi.

Tertia est de natura illius fidei , quæ infunditur ; an sit qualitas seu habitus infusus ac permanens , an quidlibet aliud ab actu fluente & transeunte distinctum , & quid ea de re fide Catholica sit definitum . Circa quas quæstiones errarunt Novatores ; & Scholastici orthodoxi in varias abiere sententias.

Errores & opiniones.

Circa primum; Lutherus lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo docere videtur, infantes, cum baptizantur, habere fidem actualem. Cum enim dixisset omnia Sacramenta ad fidem alendam fuisse instituta, atque totam justificationem esse a fide; sibi objicit parvulorum Baptismum, qui fidem habere non possunt : cui objectioni respondet 1. infantes credere . 2. eos fidem acquirere , non vi Sacramenti , sed per orationem Ecclesiæ , & fidem offerentium ; & ita exponit quod vulgo dicitur , parvulis scilicet aliena fide succurri . Quod vero loquatur de fide actuali , suadet exemplum impii quo utitur , cujus nempe cor , verbum Dei dum sonat, potens est immutare, licet non minus surdum sit & incapax, quam parvulus. Et in Libro contra Cochlæum ait , *intolerabile esse mendacium, quando baptizans a parvulo quærit , an credat , & respondetur pro ipso : Credo . Ut quid enim* , inquit , *interrogat an credat , si certum est eos non credere?*

In Conciliabulo Vvittembergensi ann. 1536. Lutherani magistri sui sententiam paullo mitigarunt . Tria circa fidem infantium docent . 1. *Rejiciendum esse errorem illorum , qui imaginantur salvari infantes sine aliqua ipsorum actione . 2. Etsi non satis assequi valeamus*, inquiunt, *qualis illa sit parvulorum actio, tamen certum esse in eis fieri sanctos & novos motus , sicut in Joanne Baptista, quando exultavit in utero. 3. Licet non sit imaginandum, quod infantes intelligant, tamen motus eorum & inclinationes ad credendum & diligendum Deum, similes esse motibus fidei & dilectionis, & hoc intelligendum esse , cum dicuntur infantes credere*. Hanc sententiæ Lutheri mitigationem communiter sequuntur Lutherani.

Calvinus libr. 4. Institutionis c. 16. ad hanc Lutheri sententiam primum inclinavit; eam tamen defendere ausus non est. *Non satis*, inquit paragr. 18, *tutum fuerit hoc adimere Domino, ne sese illis quoquo modo exhibere cognoscendum queat*. Et paragr. 19. *Non quod eadem esse fide præditos temere affirmare velim , quam in nobis experimur, aut omnino habere notitiam fidei similem*. Postea addit: *Deum virtute sua incomprehensa renovare interius infantes*. Omnes Calvini discipuli negant quoque ullam in infantibus baptizatis esse fidem actualem. P. 495. P. 496. *Ib. n. 21.*

Circa secundum , Novatores Calviniste rati hominem justificari per imputationem justitiæ Christi , qua nostra teguntur delicta , consequenter inficiantur formalem, propriam, internam, & inhærentem justitiam infundi parvulis, dum baptizantur.

Tem-

Tempore Magistri Sententiarum, ideſt duodecimo sæculo, excitata est quæstio, sicut ipse observat lib. 4. Sententiarum dist. 4. litt. H. utrum parvulis in Baptismo detur gratia, nempe interior & informans. Fuere enim, qui id negarent, ut colligimus ex Clemente V. in Concilio Viennensi, & Innoc. III. *Contendentes*, ait Vega lib. 7. in Conc. Trid. c. 29. *nullam esse justitiam creatam, a qua formaliter homo sit justus, sicut ab albedine est homo albus; sed perinde esse hominem justum, & amicum, & gratum Deo, ab amore quo Deus illum amat, & ad gratiam suam & beatitudinem acceptat, ac Petrus est Joanni amicus & gratus, ab amore, quo Joannes Petrum prosequitur.* In hanc sententiam inclinare videtur ipse Magister, tum loco mox citato, tum præsertim lib. 1. dist. 17. ubi docet, *charitatem, qua diligimus Deum & proximum, esse Spiritum sanctum, nec illam consequenter esse aliquid creatum*: quæ Magistri opinio tamquam nova & erronea notatur, ac reponitur ad calcem Operis ipsius, inter eos articulos, quos ceteri Doctores in ipso improbarunt & rejecerunt, sicut constat ex Altissiodorensi lib. 3. Summæ Tract. 6. cap. 1. ex Guillielmo Parisiensi lib. de moribus cap. 4. ex Divo Thoma, Alensi, Alberto, & aliis, quamquam Magistrum benigne interpretari conatur Scotus lib. 1. Sententiarum dist. 1. art. 3. Et revera ipse Magister lib. 4. dist. 4. littera H. ait, *de adultis non dubitari quin gratiam operantem & cooperantem recipiant.* Et lib. 2. dist. 27. diserte docet, *virtutem esse qualitatem quæ in anima est tamquam forma, & gratiam esse virtutem nobis a Deo infusam.* Sed quidquid sit de Magistri sententia, S. Thomas 3. par. qu. 69. art. 6. testatur etiam ætate sua nonnullos dubitasse, an infantibus gratia informans & inhærens infunderetur. Fundamentum dubitandi erat, quia inutilis plane ipsis videbatur talis informans & inhærens gratia, quam ad actum redigere, seu qua uti actu non possunt infantes.

Ceteri vero Doctores tamquam rem certam docuere, infantibus, dum baptizantur, concedi fidem & gratiam interiorem informantem, quæ non sit actualis fidei motus, sed aliquid fixum, ac permanens ab actibus distinctum.

Circa tertium, nempe naturam illius gratiæ & fidei interioris, an sit vera qualitas seu habitus infusus, fixus, & permanens, olim quidem disputatum & dubitatum fuit; at nullus jam Orthodoxus absque temeritate posset istud in controversiam adducere. Verum tota lis in eo est, an sit de fide certum, ac definitum, gratiam illam infantibus per Baptismum infusam, esse qualitatem seu habitum supernaturalem animæ inhærentem.

P. 113. Andreas Vega Franciscanus, qui Concilio Trid. interfuit, lib. 7. in illud Concilium c. 24. existimat rem esse a Concilio Trid. definitam, *tametsi*, inquit, *non sub nomine habituum*; adeoque rem esse fidei, sub pœna anathematis tenendam & credendam. Addit ibidem, summa concordia post Magistri tempora Scholasticos Doctores sententiam hanc propugnasse: *non solum ut probabilem, sed ut quidam eorum diserte tradiderunt, ut certam & indubitatam, & ab omnibus propter auctoritatem Scripturæ & Sanctorum amplectendam, ut veritatem fidei.*

Dominicus Soto e familia Prædicatorum, qui eidem quoque Concilio interfuit, & Opus suum *De Gratia* eo stante publici juris fecit, non obscure videtur affirmare, certum quidem esse de fide infundi per Baptis-

mum

mum gratiam interiorem, quæ sit ab actibus aliquid distinctum, sed de fide non esse, eam esse qualitatem seu habitum infusum animæ inhærentem L. 2. de Gratia c. 18. ait, *ingentem quidem temeritatem esse negare gratiam hanc inhærentem, non tamen esse contra fidem.* Et c. 8. ait, *Concilium consulto abstinuisse a vocabulo habitus, ut rem expresse non definiret.*

Idem tamen Theologus scribens in 4. Librum Sententiarum, insinuat, jam ab Ecclesia definitum esse, gratiam hanc qualitatem esse, seu habitum permanentem, quamquam nec ex propria sua natura necessaria sit ad justificationem, nec olim ad fidem pertinuerit. Sic loquitur in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. *Qui sane intelligere cupit, quomodo Sacramenta gratiam conferant, id primum constituat oportet, fingendo nullam ejusmodi qualitatem esse necessariam: nam profecto Patres nunquam de illa disputare cogitarunt, imo res est non adeo antiqua. Enimvero in Concilio Viennensi propter parvulos ante usum rationis sacro fonte intinctos, sanxerunt, ut probabilius, & nuper in Tridentino ut certius, qualitates illas quæ sunt gratia & virtutes, baptizatis infundi; sed hoc tantum a tempore Apostolorum docti, docereque postmodum posteros contendebant, quod Sacramenta novæ Legis in hoc sensu gratiam conferrent, quod homines facerent Dei amicos, sive per qualitatem id fiat, sive sine illa, ut inter homines accidit.* Paullo tamen inferius sibi objicit, *jam constitutum esse ab Ecclesia, hominem non fieri gratum nisi per qualitatem ei inhærentem.* Quam quidem objectionem non refellit, sed hac data & non concessa, solvit argumentum sibi propositum, inde scilicet male inferri, per Sacramenta seu per creaturam illam gratiam seu qualitatem infusa creari.

Et in eumdem Librum 4. dist. 6. qu. 1. art. 3. conclusione 2. sic scribit: *Quod gratia Baptismate ablutis infundatur, duplicem habere potest sensum; unum quod fiant Deo grati, & hic semper fuit habitus tamquam fides catholica; alter vero sensus est, quod illa gratia sit qualitas ab homine distincta, divinitus concreata, qua fiat homo gratus, sicuti est habitus scientiæ & virtutis acquisitæ: atque hic sensus est tamquam de fide usque adeo antiquus, quoniam neque tam plane ex sacra pagina colligitur. Nam ut distinctione 1. q. 3. explicuimus, nihil repugnat hominem esse Deo gratum absque aliqua sibi inhærente qualitate, sicut ego sum gratus amico, eo solum quod diligior ab illo. Et pariter distinguendum est de virtutum infusione: quod enim fides, spes, & charitas sint auxilia quædam specialia Dei, quibus nos supra naturam ad credendum movet, & sperandum & amandum, confessio Evangelica est.... quod autem sint habitus distincti potentiarum, sicuti acquisiti, nec enim plane colligitur ex sacris Litteris, nec est tam antiqua Ecclesiæ confessio; imo gradatim veritas hæc est ab Ecclesia suscepta. Primum enim Innocentius in capite* Majores. De Baptismo. *Tamquam rem inter Theologos dubiam reliquit, utrum hoc secundo modo gratia & virtutes per Baptismum infundantur: postmodum vero in Concilio Viennensi pars hæc affirmativa tamquam probabilior, dictisque Sanctorum & Doctorum magis concors recepta est, quod scilicet tam parvulis, quam adultis infundantur, ut patet in Clementina fidei catholicæ, De summa Trinitate & fide catholica; & hoc potissimum propter parvulos, de quibus majus erat dubium. Nunc autem noviſſime in Concilio Tridentino tamquam certa veritas est sub hoc verborum tenore decreta Sess. 6. Can. 11. Si quis dixerit, hominem vivificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia*

& charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur ; atque illis inhæreat ; aut etiam gratiam , qua juſtificamur , eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit. Hactenus Soto, qui non obſcure docet doctrinam habituum infuſorum ad fidem (nempe explicitam) olim non pertinuiſſe , nunc vero poſt definitionem Eccleſiæ pertinere , quamquam non ſub nomine ſeu appellatione habitus; ideſt , rem nomine expreſſam definitam quidem eſſe, non ipſum nomen.

Melchior Canus ex eadem familia Prædicatorum , qui Concilio Tridentino etiam interfuit & poſtea creatus Epiſcopus Canarienſis L. 7. de Locis c. 2. reponit inter quæſtiones in Scholis ſalva fide agitatas, iſtam:

P. 350. *an gratia qua juſtificamur, ſit quædam qualitas animo impreſſa.*

Idem pariter docent Bannez 2. 2. q. 23. art. 2. Medina in primam 2. qu. 100. art. 2. concluſione 2. Ruardus Tapperus art. 7. qui eſt de libero arbitrio, Thomas Stapleton L. 7. de Juſtificatione c. 8. Albertus Pighius Lib. 5. de libero arbitrio. His hiſtorice præmiſſis, ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Nulla eſt in infantibus, cum baptizantur, fides propria actualis, ſed hæc per fidem Eccleſiæ & offerentium puerum ad Baptiſmum, ſuppletur.

Duæ ſunt Concluſionis partes. Prima pars probatur: Quia fides propria conſiſtit in illuſtratione mentis rebus revelatis aſſentientis, & motione voluntatis: *Credere*, inquit S. Aug. L. de Prædeſt. SS. c. 2. *nihil aliud*

T. 10. p. 792. E. *eſt, quam cum aſſenſione cogitare .* At infantes utriuſque ſunt incapaces :

To. 2. p. 685. G. *Neſcire divina parvulos*, inquit S. Doctor Ep. 187. alias 57. ad Dardanum: *qui nec humana adhuc noverint, ſi verbis velimus oſtendere , vereor ne ipſis ſenſibus noſtris facere videamur injuriam , quando id loquendo ſuademus , ubi omnes vires, officiumque ſermonis facillime ſuperat evidentia veritatis .* Ibid. addit infantes ſuis vagitibus, ac fletibus Baptiſmo potius videri reluctari, quo certe vitio ipſis verti deberet, ſi uterentur rationis & voluntatis arbitrio. *Dicimus ergo*, pergit S. Doctor, *in parvulis baptizatis, quamvis id neſciant, habitare Spiritum Sanctum*. Inde perſpicuum eſt, quam ſolidum ſit Lutheri figmentum circa fidem actualem infantium, vixque ille poteſt e manibus Anabaptiſtarum effugere. Undique illum iſto dilemmate concluſum tenuerunt: Vidiſtis aliquando infantes dum baptizantur , quam refugiant, ejulent, obluctentur. Quæro igitur; vel intelligunt quid agant, vel non intelligunt: ſi non intelligunt, nec credunt; ſi non credunt, perperam baptizantur, & vicerunt Anabaptiſtæ: ſi intelligunt, ſacrilegi ſunt, qui ſic pervicaciter Sacramenta recuſant, nec tam purgantur, quam maculantur: non igitur baptizentur, & vicerunt Anabaptiſtæ.

Ib. p. 686. B. C. Ibid. D.

Tom. 1. p. 367. F. Secunda pars probatur ex eodem S. Aug. L. 3. de libero arbitrio c. 23. n. 67. *Satis pie, rectèque credimus*, inquit, *prodeſſe parvulo eorum fidem, a quibus conſecrandus offertur. Et hoc Eccleſiæ commendat ſaluberrima auctoritas , ut ex eo quiſque ſentiat quod ſibi proſit fides ſua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent , poteſt aliena commodari*. Et L. 1. de

Tom. 10. p. 14. E. Ib. p. 22. F. peccat. mer. & remiſſ. c. 19. probat infantes dici poſſe & debere fideles, etſi ſenſum credendi non habeant: *Quoniam*, inquit, *fidem per verba gestantium quodammodo profitentur* . Et ut loquitur c. 27. *in infantibus credere*,

dere, est baptizari; non credere autem, non baptizari. Nempe fideles appellantur infantes a Sacramento fidei, quod percipiunt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Fide catholica certum est infantibus per Baptismum infundi sanctificantem gratiam & fidem, quæ sit aliquid fixum & permanens ab actibus distinctum, & quæ desinente sæculo duodecimo habitus nomine explicari cœpit: utrum autem sit vera qualitas animæ inhærens, & verus habitus, fide non constat.

Tres sunt partes Conclusionis. Prima pars probatur ex Scriptura, quæ hominis justificationem iis exprimit terminis, quibus fixum aliquid & permanens in anima designatur.

I. Id evincunt ea testimonia, quibus affirmat Deus se permanere & habitare in justis. Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* 1. Cor. 13. v. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.*

II. Probatur ex iis locis, in quibus homo dicitur regenerari, novus creari. 1. Petri 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos.* Ad Titum 3. v. 5. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Ephes. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Porro quemadmodum terminus generationis & creationis est aliquid fixum & permanens, ita & regenerationis.

III. Ostenditur iis locis, in quibus gratia *diffusa dicitur in cordibus per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. v. 5.

IV. Idem probant ea testimonia, quibus gratia dicitur esse *semen Dei*, 1. Joan. 3. v. 9. *pignus hereditatis*, Ephes. 1. v. 14. *signaculum Spiritus Sancti*, ibid. c. 4. v. 30.

V. denique probatur ex iis locis quibus dicitur: *impossibile esse sine fide placere Deo*, Hebr. 11. v. 6. Rom. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem*; ex quibus sic arguimus: Nullus Deo placere potest, ac de injusto fieri justus, absque fide: atqui infantes Deo placere possunt & fieri justi per Baptismum: ergo necesse est infantes habeant aliquam fidem: non habent porro actualem, ut per se clarum est: ergo habent fidem ab actibus distinctam, quæ habitualis, infusa, & inhærens solet appellari.

Probatur 2. ex Conciliis.

I. Ex Viennensi sub Clemente V. Clementina *de Summa Trinitate & fide catholica*, ubi postquam asseruit unicum esse Baptisma omnibus necessarium, loquens de effectu Baptismi varias recenset Theologorum opiniones. *Quibusdam*, inquit, *ex istis dicentibus, per virtutem Baptismi parvulis quidem remitti culpam, sed gratiam non conferri. Aliis e contra asserentibus, quod & culpa eisdem in Baptismo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis,*

vulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes; tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magistrorum magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.

Circa quod Clementis V. testimonium duo sunt observanda.

Primum, Theologos illos, quos ait negasse gratiam infundi per Baptismum, egisse tantum de infantibus, non vero de adultis; nullus enim ex antiquis Theologis legitur hanc gratiæ permanentis infusionem negasse respectu adultorum: unde opinio Magistri, quamvis non quemlibet habitum, sed charitatis tantum, negaret, nova semper visa est, & ab aliis Theologis rejecta.

Secundum, ejusmodi Theologos non negasse in parvulis, cum baptizantur, aliquid internum, fixum, & ab actibus distinctum, per quod formaliter regenerentur; sed tantum negasse illud fixum & ab actibus distinctum, esse habitualem & informantem gratiam, seu qualitatem permanentem & inhærentem per modum habitus. Constat istud ex oppositione sententiæ utriusque, cujus meminit Clemens V. *Quibusdam*, inquit, *ex istis dicentibus, per virtutem Baptismi remitti culpam, sed gratiam non conferri.* Quam? nempe illam, quam admittebant alii Theologi, de quibus statim loquitur, scilicet *informantem & habitualem gratiam.* Idem significat Innocentius III. Extrav. *De Baptismo & ejus effectu. Aliis*, inquit, *asserentibus per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus dimitti peccatum, & virtutes infundi quoad habitum, non quoad usum.* Ergo gratia, quam primi Theologi negabant, & quam alii contendebant infundi, est gratia habitualis, quatenus habitualis; idest, qualitas fixa & permanens animæ inhærens. Cum igitur Clemens V. sacro approbante Concilio, secundam hanc opinionem tamquam probabiliorem adoptat, & suam facit, probabiliorem non appellat eam opinionem quæ justificationem per aliquid internum, ac fixum ab actibus distinctum fieri contendit; hæc quippe non modo intra limites probabilitatis continetur, sed certa est certitudine fidei catholicæ: sed probabiliorem eam appellat, quatenus contendit illud fixum & ab actibus distinctum esse veram qualitatem animæ inhærentem, seu habitum.

Decret. p. 1385. n. 10.

Tom. 14. Conc. p. 759.

II. Probatur ex Concil. Trid. Sess. 6. c. 7. ubi sic loquitur: *In hac impii justificatione per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Charitas vero seu gratia quæ diffundi dicitur, & inhærere, haud dubie est aliquid fixum; permanens, ab actibus distinctum, quod habitus nomine solemus appellare, licet eo uti noluerit Concilium, inquit Soto, ne rem expresse definiret. Sed quidquid istud sit, fatendum est esse aliquid internum, inhærens animæ, ab actibus distinctum, quod unum hic contendimus. Et Sess. 7. can. 13. de infantibus baptizatis sic statuit: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, anathema sit.* Igitur infantes baptizati, juxta Concilium, habent fidem: non habent porro actualem: ergo habitualem, seu eam, quæ ab actibus distincta est, & quæ vulgo solet habitualis appellari.

Ib p. 779. A.

De-

Denique can. 11. Seſſ. 6. ſic ait; *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum diffunditur, atque illis inhæret, anathema ſit.* Quid eſt autem gratia interior, diffuſa & inhærens? niſi gratia fixa, permanens, ab actibus diſtincta, quam dicimus habitualem. Igitur fide catholica certum eſt, juſtificationem hominis formalem fieri per aliquid internum, fixum, & ab actibus diſtinctum. *Ibid. p. 765. C. D.*

Probatur 3. ex conſtanti SS. Patrum traditione. Semper quippe in Eccleſia Chriſti creditum eſt, hominem de injuſto fieri juſtum, de inimico fieri Deo amicum, per aliquid quo interius renovatur & immutatur: ſola quippe peccatorum remiſſio externa eſt, & hominem interius non mutat; ſed illud internum eſt aliquid fixum ab actibus diſtinctum, quod in infantibus, qui ſunt fidei actualis incapaces, & in adultis, cum dormiunt, perſeverat.

Hoc evincunt rationes, & modi loquendi, quibus utuntur SS. Patres, dum ajunt 1. eos eſſe perfectos, qui ſpiritum perſeverantem habent. Ita S. Irenæus L. 5. adverſus hæreſes c. 6. 2. operationem Spiritus Sancti ita eſſe in homine juſto, ſicut videndi facultas eſt in oculo, ſicut ars eſt in artifice. Ita S. Baſilius L. de Spiritu Sancto c. 26. 3. impreſſionem gratiæ ſimilem eſſe picturæ. 4. denique, gratiam eſſe animæ ſanitatem, vigorem, veram libertatem, Dei filiationem, novam nativitatem ac regenerationem; quæ certe omnia vix explicare poſſis per aliquid pure externum: igitur important aliquid internum, formale, permanens, ac fixum, ab actibus diſtinctum. *P. 300. n. 1.* *Edit. vet. T. 2. p. 206. B. C*

Quin S. Auguſtinus gratiam illam infantibus per Baptiſmum infuſam diſerte agnoſcit L. 1. de pec. mer. & remiſs. c. 9. ubi ait: *Chriſtum dare fidelibus occultiſſimam ſui Spiritus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.* Et c. 19. dicit infantes eſſe fideles per Sacramentum fidei. Et Lib. de gratia & libero arbitrio c. 23. de infantibus, qui quando baptizantur, obluctari ſolent, inquit: *Hæret in illis etiam reluctantibus gratia.* *Tom. 10. p. 7. B. Ib. p. 94. Ibid. p. 742. G.*

Hinc non immerito Vega Lib. 7. in Concil. Trid. c. 24. loquens de Decretis ejuſdem Concilii mox citatis, aſſerit: *Patres intelleziſſe hanc fuiſſe communem Eccleſiæ fidem, tametſi non ſub nomine habituum; neque potuiſſe a Catholicis Doctoribus diverſiſſimorum temporum ſumma concordia ſententiam hanc tradi, niſi eſſet a Spiritu Sancto, & digna, quæ ab omnibus reciperetur.*

Tertia pars Concluſionis, nempe fide catholica non eſſe definitum, illud internum ab actibus diſtinctum per quod homo formaliter juſtificatur, eſſe veram qualitatem & habitum inhærentem ad ſenſum Scholæ, probatur: Quia fatentibus Vega & Dominico Soto, Concilium Tridentinum conſulto abſtinuit a nomine *habitus*, ne rem expreſſe definiret. 2. Quia Clemens V. laudatus appellat illam habituum doctrinam *probabiliorem* dumtaxat, non vero certam certitudine fidei. 3. Quia Doctores orthodoxi ſalva fide ita ſentiunt, ut Medina, Canus, Bannez, &c. Igitur ad fidem quidem pertinet, formalem hominis juſtificationem fieri per aliquid internum fixum, ab actibus diſtinctum; verum definitum non eſſe quid illud ſit, an qualitas, & habitus inhærens, an auxilium ſeu motio Dei actus & habitus vices ſupplens: quamquam uſus Eccleſiæ jam invaluit, ut illud internum & fixum, habitum appellemus.

Et vero nullus fingi potest terminus ad id significandum aptior, & modis loquendi, quibus utitur Concilium Tridentinum, magis accomodatus.

Dices 1. Fides illa habitualis, quæ supponitur infundi per Baptismum infantibus, omnino videtur inutilis, cum in actum exire non possit.

Resp. nego ant. Inservit enim maxime, tum ut infantes vere, & formaliter justi sint ac fideles; tum ut suo tempore, beneficio gratiæ actualis, eos ad actus fidei eliciendos inclinet: atque in eo discrepant habitus infusi ab acquisitis, quod isti per frequentes actus comparati sint, illi vero a Deo in nobis sine nobis cooperantibus infundantur.

Dices 2. S. Augustinus frequenter inculcat parvulos dici fideles propter fidem, non quidem propriam sed alienam: ergo nullam in illis agnoscit fidem habitualem: alias dixisset infantes fideles appellari a tali fide habituali. Ita Epistola 23. L. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 19. & 27. Serm. 14. de verbis Apost. & L. 3. de libero arbitrio c. 23.

Resp. nego consequens; in his quippe locis excludit solum a parvulis Sanctus Doctor fidem propriam actualem, non vero habitualem, quam diserte agnoscit L. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 9. & 19. L. de gratia & libero arbitrio c. 22. & præsertim L. 3. de peccat. mer. & remiss. c. 2. ubi sic loquitur: *Sicut ergo eorum, per quos renascuntur, justitiæ spiritus rejicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt; sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt: Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generaverat peccatores.* Quibus sane verbis aperte significat Sanctus Doctor, parvulos, sicut internum ac proprie dictum contrahunt peccatum nascendo, ita internam ac veram fidem iis infundi, quando per Baptismum renascuntur. Cur vero S. Doctor talem fidem habitus nomine non designaverit, hæc certe non improbabilis reddi potest ratio, quod habitus nomine aliquid amplius importet, ex usu Philosophorum, quam nudam & quiescentem qualitatem, nempe promptitudinem, facilitatem, & inclinationem seu expeditam motionem ad agendum, quam constat non esse in parvulis; unde consulto Sanctus Doctor a nomine habitus abstinuit.

T. 10. p. 72. C. D.

Dices 3. Parvuli adepto rationis usu actum fidei exercere non possunt nisi prævia doctrina informentur; ad quid ergo habitualis illa fides, quam supponuntur percepisse in Baptismo?

Jam diximus necessariam illam esse, ut infantes fideles sint & Dei filii non tantum per extrinsecam quamdam imputationem justitiæ Christi, neque per solam peccatorum remissionem, sed per aliquid internum, formale, & proprium, seu per habitum infusum animæ inhærentem, qui ut in actum erumpat opportuno tempore, necessario requirit & prævium doctrinam, & spiritum interius insonantem, & moventem per gratiam suam: in quo discrepant habitus infusi ab acquisitis, quod isti cum sint per frequentes actus comparati, ex sese ad similes actus disponant, moveant, & inclinent, neque tam facile possint a subjecto dimoveri; habitus vero infusi sunt qualitates veluti sopitæ, ac quiescentes, quæ ut in actum erumpant, indigent tum externis, tum internis auxiliis, unde per unum actum contrarium expelluntur. Ita fides per hæresim; spes, per desperationem; & charitas, per peccatum mortale extinguuntur.

De

De Baptismo adultorum.

Circa Baptismum adultorum duo sunt expendenda.

Primum, an aliquæ requirantur in adultis præviæ dispositiones ad percipiendum Baptismum, & quænam illæ sint: ubi antiqua Catechumenatus Historia paucis retexenda erit.

Secundum, an quilibet adultus, sive sanus, sive infirmus, furiosus, amens, mortuus, aut vivus pro mortuis, baptizari possit, & debeat.

An in adultis præviæ ad Baptismum requirantur dispositiones, & quæ.

Dispositiones in adulto requisitæ, necessariæ sunt vel ad veritatem seu valorem Sacramenti, vel ad fructum ejus percipiendum. Consensus seu intentio recipientis Baptismum omnino requiritur, ut vere seu valide percipiat Baptismum, sicut ostendimus in Tractatu de Sacramentis in genere Q. 4. Art. 2. Hic igitur quæstio dumtaxat est de dispositionibus requisitis ad licite, & cum fructu percipiendum Baptismum.

Graviter invehitur S. Basilius Orat. 13. de Baptismo, adversus eos, qui Baptismum ad extremam usque senectutem protrahebant, cum infirmitas premit, nec satis rationis ac libertatis animo permittit, ut sese debite disponat ac præparet: *Quid expectas*, inquiebat, *beneficio febris baptizari, quando nec salutaria verba loqui, nec item audire commode poteris, morbo caput occupante: non manus in cælum tollere, non in pedes erigi, non genua ad orandum flectere, non commode doceri, non secure ac libere confiteri, non cum Deo pasci, non abrenunciare inimico, forte nec scite inter initiandum subsequi; dubitantibus etiam præsentibus, num gratiam sentias, an sine fructu, quæ agantur, accipias.*

CONCLUSIO.

Requiruntur in adultis ad percipiendum cum fructu Baptismum, præviæ dispositiones, nempe fides in Christum, dolor de peccatis, inchoatus Dei amor &c.

Probatur 1. de fide. Tum quia in Scripturis dicitur neminem posse justificari sine fide. Rom. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Heb. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Tum quia Act. 8. v. 37. S. Philippus postulanti Eunucho Baptismum his verbis: *Ecce aqua quid prohibet me baptizari?* respondet: *Si credis ex toto corde, licet.* Tum denique quia idcirco Christus Matth. 28. v. 19. jubet, ut prius Apostoli doceant, quam baptizent; *Docete baptizantes.* Unde Marci 16. v. 15. ait: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.*

De pœnitentia patet ex c. 2. Act. v. 38. ubi S. Petrus plures baptizaturus postulat, ut agant pœnitentiam: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* P. 231. C. Unde & ii qui ad Joannem accedebant ut baptizarentur, *confitebantur peccata sua*, in signum doloris, & pœnitentiæ, ad quam Joannis Baptismus excitabat. Hinc est quod S. Justinus Dialogo cum Triphone asserat: *Baptisma solum purificare potest pœnitentiam agentes.*

De amore Dei patet, tum quia Scriptura declarat neminem justitiam

consequi, nisi Deum amet. 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte*, 1. Corinth. ult. v. 22. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit*. Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro*. Tum quia SS. Patres asserunt pœnitentiam nullam esse sine amore Dei saltem initiali & inchoato: *Pœnitentiam certam facit amor Dei & odium peccati*, ait S. Augustinus; sed de hoc argumento fusius & ex professo, ubi de Sacramento Pœnitentiæ, Deo aspirante, disseremus.

Sufficiat hic unum Concilii Tridentini testimonium ex c. 6. Sess. 6. ubi requirit ad Baptismum, ut qui baptizandus est, fidem habeat, peccatorem se intelligat, Deum timeat, sibique propitium fore speret, eum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat; odio ac detestatione peccatorum moveatur ad pœnitentiam, quam ante Baptismum agere debet: denique dum proponit suscipere Baptismum, inchoet novam vitam, & servet Dei mandata. Harum omnium dispositionum necessitatem adductis Scripturæ testimoniis ibidem confirmat Concilium.

Ratio denique suffragatur; qua qui proprio voluntatis motu a Deo aversus est per actualia peccata, debet propria quoque voluntate ad Deum sese convertere.

Tom. 14. Conc. p. 758. E. Necessitatem illarum omnium dispositionum ad Baptismum semper agnovit Ecclesia, quæ tot præviis Catechesibus ac probationibus informabat eos, qui ad Baptismum aspirabant, sicut constat ex Historia veteris Catechumenatus.

HISTORIA VETERIS CATECHUMENATUS.

Ut clarior sit & brevior narratio, nonnullis interrogationibus ac responsis eam absolvemus.

Quæres itaque 1. quid sit Catechumenus.

Resp. juxta vim nominis græci, Catechumenum eum esse, cui mysteria fidei vivæ vocis ministerio creduntur, ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν, quod est viva voce instruere. Aliis nominibus etiam appellabantur, nempe alumni, audientes, novitioli, catuli adhuc infantiæ recentis, discipuli, tyrones, candidati fidei, genus electum &c.

Quæres 2. an antiqua sit Catechumenatus institutio.

Resp. affirmative; jussit enim Christus Apostolis, ut docerent prius gentes, quam baptizarent. Matth. 28. v. 19. qui ordo respectu adultorum semper fuit observatus.

Quæres 3. quot fuerint antiquitus gradus seu ordines Catechumenorum.

Resp. tres fuisse: primus erat Audientium, eorum scilicet, qui Baptismi desiderio tenebantur, & cœtibus publicis Christianorum, concionibus, institutionibus intererant, ut de mysteriis fidei differentes Pastores audirent, unde Audientes dicti; nondum tamen nomen suum Catechumenorum albo inscribendum dederant. Hi ex conventibus tempore sacrificii cum ethnicis & pœnitentibus ejiciebantur.

Secundus Catechumenorum gradus eorum erat, qui Ecclesiæ nomen dederant, qui genua in Ecclesia flectebant, & super quibus genuflexis preces & orationes pronunciabantur. Hi proprie dicuntur Catechumeni; & illi intelliguntur, cum in Sinaxi Diaconus edicebat alta voce: *Quicumque*

que Catechumeni discedite. Nam priores cum ethnicis sine speciali edicto pellebantur.

Tertius gradus est Competentium seu Electorum, qui scilicet quadragesimali tantum tempore, aut paullo ante Pentecosten, erant in Ecclesiis conspicui; Competentes dicti, *quia*, inquit Isidorus Hispalensis L. 2. de Ecclesiasticis Officiis c. 21. *post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant; ideoque Competentes appellantur, id est, gratiam Christi petentes*. Electi quoque dicebantur, quia post diligens examen exacti Catechumenatus segregabantur, & percipiendo Baptismo idonei judicabantur. *Pag. 610. col. 1. G.*

Simile quid a Paganis observatum legimus erga eos, quos suis mysteriis initiabant. *In sacris*, inquit Olympiodorus, *præcedebant publicæ purgationes, deinde has excipiebant aliæ reconditiores: post has aggregationes: tum sequebantur epoptiæ, idest sacrorum omnium plena participatio*. Solebant etiam nondum mysteriis initiatos ab eorum participatione arcere; hinc sollemne istud: *Procul hinc, procul ite profani*.

Quæres 4. quo ritu Infideles inaugurabantur Catechumeni audientes.

Resp. ritu singulari eos fuisse inauguratos. 1. illis catholica fides exponebatur. 2. exigebatur ab illis vitæ melioris propositum. 3. in illorum ora insufflabatur. 4. frons eorum signo Crucis muniebatur. 5. manus eis cum oratione imponebantur. 6. sal eis degustandum præbebatur. Constant isthæc omnia ex S. Gregorio Magno in suo Sacramento, titulo, *Ad Catechumenum ex Pagano faciendum*. Refert S. Aug. L. de catechizandis rudibus c. 4. Catechumenis datum olim fuisse panem quemdam benedictum, qui vocabatur panis Catechumenorum, & quædam erat Corporis Christi figura.

Quæres 5. quibusnam documentis informarentur Catechumeni proprie dicti, & a quibus; an viri seorsim a mulieribus.

Resp. 1. Catechumenos de fide & moribus fuisse informatos, juxta mandatum Christi Matth. 28. *Docete baptizantes ... servare omnia, quæcumque mandavi vobis*. Profundiora tamen fidei mysteria Catechumenis secundi ordinis non fuisse explicata, sed Competentibus dumtaxat, colligitur ex S. Cyrillo Jerosolymitano. *Pro Catechesi*, inquit, *fueras & tu aliquando Catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur*. Et ex Conc. Agathensi c. 13. *Symbolum etiam placuit omnibus Ecclesiis una die, idest ante octo dies Dominicæ Resurrectionis, publice in Ecclesia Competentibus prædicari*. *In Præf. p. 6. C. Tom. 4. Conc. p. 1385. E.*

Resp. 2. ordinarie Episcopos, Presbyteros, & Diaconos instituendis Catechumenis vacasse; aliquando parentes & susceptores, sicut colligimus ex Concilio Arelarensi Can. 19. & Moguntino c. 47. Fuere etiam in Civitatibus deputati magistri qui Catechumenos edocerent; qualis fuit Carthagine Optatus; & apud Alexandriam, non modo Pantænus, sed etiam Clemens, Origenes, Heraclas, & Dionysius, sicut passim narrat Eusebius.

Resp. 3. mares & feminas distincte ac separatim ad Catechesim admissas fuisse. Ita colligimus ex Ordine Romano.

Quæres 6. an Catechumeni solerent nomen suum dare, ut inscriberentur eorum albo, qui Baptismum exoptabant. *Tom. 2. Conc. p. 1206. A.*

Resp. affirmative. Ita colligimus ex Conc. IV. Carthaginensi Can. 85. *Baptizandi*, inquit, *nomen suum dent*, & diu abstinentia vini, & carnium, *ac manus impositione crebra examinati, Baptismum percipiant*. Ex *Tom. 6. 169. & 170.*

S. Au-

S. Augustino Lib. de fide & operibus, ubi innuit bis nomen dari solitum fuisse. 1. cum quis fiebat Catechumenus. 2. cum erat Competens.

Quæres 7. quænam Competentibus mysteria exponerentur, & quæ laboriosa ab ipsis exigerentur opera.

Resp. ad primum, altissima fidei mysteria, quæ in Symbolo continentur, Competentibus exposita fuisse, eosque debuisse Symbolum memoriter scire, & recitare. Colligitur ex Concilio Laodiceno Can. 46. *Oportet eos, qui illuminantur, fidem discere, & quinta hebdomadis feria Episcopo renunciare, vel Presbyteris.* Ex S. Augustino Serm. 115. de tempore, nunc 241. in Append. *Symbolum*, inquit, *quod vobis tradituri sumus, fratres charissimi, comprehensio est fidei nostræ, atque perfectio.* Ex Isidoro L. 1. de Ecclesiasticis Officiis c. 27. *De Dominica Palmarum*, ait: *Hoc autem die Symbolum Competentibus traditur, propter consinem Dominicæ Paschæ sollemnitatem; ut qui jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem, quam confiteantur, agnoscant.*

Tom. 1. Conc. p. 1503. D. Tom. 5. Append. p. 395. F. P. 589. col. 2. A.

Resp. ad secundum, Competentibus dura & laboriosa pœnitentiæ opera injuncta fuisse: publico scilicet Fidelium cœtui nudis pedibus, tonso capite, cilicio coopertos sistere se præsentes tenebantur; a vino, carnibus, uxoribus abstinere. Constat ex Conc. Carthaginensi IV. Can. 85. ex Tertulliano L. de Baptismo c. 20. *Ingressuros Baptismum*, inquit, *orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum.* Confessio porro illa sacramentalis non erat, cum ante Baptismum nullum percipi possit Ecclesiæ Sacramentum. An vocalis & specialis fuerit, an vero generalis tantum hæc confessio, & quidem ab ipsis operibus laboriosis indistincta, non immerito dubitatur: ipse siquidem Tertull. eodem loco ait, *nobis esse gratulandum, si non publice confiteamur iniquitates aut turpitudines nostras.* Post illa vero laboriosa opera, caput lavabatur Competentibus, ne forte, inquit S. Isidorus L. 6. Originum c. 18. *observatione Quadragesimæ sordidatum ad unctionem accederent.* Dies autem Palmarum, quo solebat fieri ea capitis ablutio, a plebe vocari solebat *Capitilavium*.

P. 232. B. Ibid. P. 80. col. 1. G.

Quæres 8. an fierent scrutinia, & quot, ut vita & mores Competentium probarentur.

Resp. scrutinia celebrari solita fuisse, & quidem numero septem. *Quarta ergo feria*, inquit Rupertus Abbas L. 4. de divinis Officiis c. 18. *novæ Ecclesiæ celebrantur initia, quæ appellantur Scrutinia: Scrutinia vero a scrutando dicuntur, quia perscrutandum erat in his, qui accedebant, ne qua radix amaritudinis subesset, veluti fuit in Simone Mago.* Illa scrutinia appellat S. Augustinus *examen, quod fiebat coram tota Ecclesia*, ut si quis de plebe haberet aliquid contra mores Competentium opponendum, opponeret. Septem numero fuisse colligimus ex Ordine Romano. *Ita tamen agendum est*, inquit, *ut a primo scrutinio, quod incipit tertia hebdomada in Quadragesima, usque in Sabbatum sanctum in vigilia Paschæ, septem scrutinia esse debeant, secundum formam septem donorum Spiritus Sancti.* In illis scrutiniis appellabantur nomina Competentium, & coram omnibus sistebant se, ut deprehendi posset, si quid esset contra eorum mores objiciendum.

Tom. 2. p. 793. col. 2.

Quæres 9. quæ fuerit vetus Disciplina circa eos, qui ad Catechumenatum admissi in crimen aliquod labebantur.

Resp.

Resp. non unam fuisse Ecclesiarum Disciplinam. In Hispania, quinquenium pœnitentiæ imponebatur Catechumeno delatori. Ita Conc. 73. Conc. Eliberitani & can. 45. statuitur, ut *qui Cathecumenus aliquando fuit, & per infinita tempora nusquam ad Ecclesiam accessit*, a Baptismo non excludatur in fine vitæ. Et can. 68. ut Catechumena, quæ per adulterium concepit, & conceptum necavit, in fine baptizetur. In Oriente Competentes, qui graviter deliquerant, in stationem Catechumenorum secundi gradus; Catechumeni vero secundi ordinis, ad Audientium classem remittebantur; Audientes verò si se flagitiis obstrinxissent, ab ipso Ecclesiæ limine pellebantur, & tamquam ethnici habebantur. Constat ex Concilio Nicæno 1. can. 14. *De Catechumenis*, inquit, *& qui lapsi, visum est sanctæ & magnæ Synodo, ut ii tribus tantum annis Audientes, postea orent cum Catechumenis*. Constat etiam ex Conc. Neocæsarienſi can. 5. Quæres 10. an Catechumeni præ infirmitate & mortis periculo ante expletum Catechumenatus tempus baptizati, postquam convaluissent, fuerint ad Catechumenatum remissi.

Tom. 1. Conc. p. 978. C. Ibid. p. 975. D. Ib. p. 977. E.

Tom. 2. Conc. p. 35. C. Tom. 1. Conc. p. 1482.

Resp. negative, quia Ecclesiæ semper fuit persuasum, per Baptismum omnem penitus culpam & pœnam deleri & expungi; adeoque baptizatos nullis pœnis remanere obnoxios pro peccatis ante Baptismum perpetratis. Unde Concilium Laodicenum can. 47. nihil amplius ab ejusmodi baptizatis postulat, quam ut fidem discant: *Oportet*, inquit, *eos, qui in morbo Baptismum accipiunt, & deinde resurgunt, fidem edisce re, & nosse quod divino munere digni habiti sunt*. At non ita judicatum fuit de peccatis Baptismum subsequentibus, utpote gravioribus: pœnitentes enim, qui publicæ pœnitentiæ stadium decurrentes subito morbo correpti absolutionem obtinebant, reddita sanitate ad eum pœnitentiæ gradum remittebantur, in quo morbus eos deprehenderat.

Ibid. p. 1506. A.

Quæres ultimo, quo temporis spatio definitus esset Catechumenatus.

Resp. variam fuisse Disciplinam. Initio Ecclesiæ cum necessitas postulabat, & perspecta erat petentis Baptismum fides & voluntas, statim ei administrabatur Baptismus, ut constat exemplo Cornelii Centurionis, & Eunuchi. Quin aliquando necessitate urgente Baptismus statim conferebatur, & postmodum instructio sequebatur. Constituta subinde Ecclesia & ipsi reddita pace, Concilium Nicænum I. generale can. 2. statuit, ne amplius, ut factum fuerat, exiguo tempore Catechumeni in statione remanerent. Concilium Eliberitanum can. 42. biennium probationis præscribit; Clemens Papa Epist. 3. (si tamen illius est) sex menses determinat; Synodus Agathensis Judæos per octo menses vult probari, c. 34. Vulgo in Oriente & Occidente tempus Catechumenatus quadraginta fuit dierum, ut constat ex S. Hieronymo Epistola ad Pammachium, S. Cyrillo Jerosolymitano Catechesi 1. mystagogica, S. Augustino Serm. 13. de Neophytis, Siricio S. Pontifice Epist. ad Hymerium Episcopum Tarraconensem c. 2. Postea tamen tempus illud ad decem & octo dies contractum fuit, cum feria quarta hebdomadæ quartæ Quadragesimæ Catechismus soleret inchoari. Ita colligitur ex Amalario Lib. de Ecclesiasticis Officiis c. 8. Yvone Carnotensi Sermone de Sacramento Neophytorum, Ruperto Abbate Lib. 4. de Divinis Officiis c. 18. Hugone Victorino Lib. de Sacramentis c. 17. Qui vero in Pentecoste

tecoste baptizabantur, totidem diebus ante præparabantur ad Baptismum.

Hæc satis sint de Historia Catechumenatus: qui plura scire voluerit, legat eruditum Opus Vicecomitis Doctoris Collegii Ambrosiani Lib. 2. de antiquis Baptismi ritibus. (1)

An quilibet adultus, sive sanus, sive infirmus, amens, furiosus, mortuus, vel vivus pro mortuo, possit, & debeat baptizari.

Quæres 1. an quilibet adultus cujuscumque nationis sit, sexus vel ætatis, sit baptizandus.

Resp. 1. affirmative, modo adsint prærequisitæ conditiones. Ratio est, quia in Christo Jesu omnes pares sunt. *Quicumque in Christo baptizati estis*, ait Apostolus Galat. 3. v. 27. & 28. *Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Hinc est, quod Christus indistinctim jusserit omnes gentes baptizari.

Resp. 2. neminem unquam etiam Gentilem a Baptismo repulsum fuisse, si illum in infirmitate peteret, aut aliquando petiisse constaret, etsi inter Catechumenos antea non fuisset adscriptus. Dico si Baptismum peteret; non petenti enim nec desideranti dari non solebat Baptismus, sed petenti nusquam negatus. Colligitur 1. ex Concilio I. Arelatensi Can. 6.

Tom. 1. Conc. p. 1427. B. Ibid. p. 975. A. *De his, qui in infirmitate credere volunt*, inquit, *placuit his debere manum imponi*, ideſt, Confirmationis Sacramentum concedi; quanto magis Baptismi, sine quo nullum aliud conferri potest Sacramentum? Colligitur 2. ex Concilio Eliberitano Can. 39. *Gentiles*, inquit, *si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi & fieri Christianos*, supple perfectos per Confirmationem, de qua hic agitur. Si autem Sacramentum hoc Patres illi non denegant Gentilibus illud desiderantibus, quanto minus Baptismum? Colligitur 3. ex Siricio Epist. 1. ad Hymerium Tarraconensem c.

Tom. 2. Conc. p. 1018. D. 2. ubi sic loquitur: *Quicumque etiam in discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderint, & sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem, quo poscunt, momento temporis expetitæ regenerationis præmia consequantur.*

Quæres 2. an Catechumenis in periculo mortis constitutis & obmutescentibus, Baptismus aliquando negatus fuerit.

Resp. negatum nunquam fuisse, etsi eum præ morbi violentia non possint postulare: ipsa siquidem Catechumeni conditio, quædam est continua Baptismi postulatio.

Probatur 1. ex S. Cypriano Epist. 12. ubi ait; *Si qui fuerint periculo*

P. 25. *præventi, & in exitu constituti, vigilantia vestra non defit.*

2. Ex Conciliis Carthaginensi III. an. 397. Can. 34. ubi ait: *Ut ægro-*

Tom. 2. Conc. p. 1172. A. *tantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi qui*

(1) Martenium, Morinum in operibus postumis, & Cardonium in historia Sacramentorum Lib. 1.

qui sui sunt periculo proprio dixerint, baptizentur. Ex Carthaginensi IV. an. 398. Can. 76. ubi idem statuitur. Ex Arausicano I. ann. 441. Can. 12. *Subito obmutescens*, inquit, *prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis, aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, at præsentis in suo nutu.* *Ibid. p. 1206. A.*

3. Ex SS. Patribus. Cypriano Ep. 12. & 54. Basilio in Exhortatione ad Baptismum, Chrysostomo Catechesi ad Illuminandos, Gregorio Nazianzeno Oratione 40. Augustino Lib. 1. de adulterinis conjugiis, ubi praxim hanc Ecclesiæ diserte confirmat. Sic loquitur c. 26. *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, profit eis quod eorum in fide christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Imo ibid. contendit S. Doctor, Catechumenis, qui ad extremum usque spiritum in crimine vixerunt, *si tamen*, inquit, *desperati jacuerint*, Baptismum dandum esse: *Quis enim*, inquit, *scit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri?* Atque communem ibid. occupans objectionem, moribundos fortasse nolle baptizari, respondet, *non solum incredibile esse, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle; verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius esse nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potius dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.* Observat ibid. S. Doctor, nonnullos, quos damnare pro sua modestia non audet, in oppositam abire sententiam, & praxim. *Tom. 3. Conc. p. 1449. E.* *Vide Mor. L. 10. de pœnit. c. 6. T. 6. p. 403. C.* *Ibid. E.*

Idem quoque docet Augustini discipulus Fulgentius in Responsione ad Ferrandum Diaconum Epist. 12. c. 10. *Proinde*, inquit, *firmissime tenenda est illa Canonum sententia paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizari.* Rationem addit: *Viderunt enim SS. Patres, ream non esse voluntatem quæ impedita cognoscitur, non mutata.* P. 224.

ADDITIO.

(*)

TRia tamen sic baptizatis supererant, scilicet interpretandæ erant illis cæremoniæ, ob quarum neglectum S. Cornelius Novatianum arguit cit. Epist. Quod postquam liberatus est morbo, reliqua non percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus *est. Supplenda quoque fuit doctrina ex Laodic. Syn. c. 41. Demum ad nullum Clericatus gradum admovendus fuit Clinicus, ut constat ex Ep. Cornelii P. ad Fabium; cujus tamen disciplinæ severitatem temperavit postea Neo-Cæs. Concil. a Presbyterio dumtaxat arcens Clinicum baptizatum c. 13. & ne id quidem absque exceptione*: nisi forte propter consequens ejus studium & fidem, hominumque raritatem.

(*)

Quæ-

Quæres 3. utrum Energumeni, amentes, furiosi, sint baptizandi.

Resp. ejusmodi homines, si sani sunt, baptizandos non esse, nisi lucida quædam habeant intervalla, quibus sui compotes facti agnoscant, quid percipiant: si vero sunt infirmi, & antea Baptismum postulaverint, conferri illis debet. Ita colligimus ex Concilio Arausicano I. can. 15. *Energumenis*, inquit, *Catechumenis, quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de Baptismate consulendum*. Et can. 13. *Amentibus quæcumque sunt pietatis conferenda sunt*. Ex Concilio Eliberitano can. 37. *Eos qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet*. Idem colligimus ex Innocentio III. Cap. *Majores. De Baptismo & ejus effectu. Dormientes*, inquit, *& amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione perstiterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti: secus autem si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi; unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare*. Excipiendi tamen sunt ii, qui ab infantia amentes fuere, qui velut infantes haberi debent, & proinde baptizandi.

Tom. 3. Conc. p. 1450. B. Ibid. A. Tom. 1. Conc. p. 974. E. Decret. P. 1387. n. 50.

Quæres 4. an mortui sunt baptizandi, vel vivi pro mortuis?

Resp. negative. Errorem hunc Cataphrygibus tribuit Philastrius; Marcionitis, Chrysostomus Homil. 40. in caput 15. primæ ad Corinth. Cerithianis, Epiphanius hæresi 28. num. 6. quamvis de hoc illorum errore Veteres sileant, ut Irenæus, Justinus, Clemens Alexandrinus, & Tertullianus.

Ratio responsionis est, quia mortui sunt extra viæ statum, adeoque nullius Sacramenti percipiendi capaces: vivi autem, etsi pro mortuis orare possint, ac laboriosa pœnitentiæ opera pro illis sustinere, eorum tamen loco baptizari non possunt, quia Baptismus soli prodesse potest suscipienti; ei vero qui illum non recepit, cum peccatum originale dimissum non fuerit, & omnino sit ab Ecclesia alienus, nec Baptismus, nec alia Fidelium suffragia prosunt.

Quid ergo, inquies, sibi vult S. Paulus primæ Corinth. 15. v. 29. cum ait: *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?*

Resp. in hujus loci expositione multum desudare Interpretes, quorum novem interpretationes adducit Estius in hunc locum. Sunt qui, *baptizantur*, eo loci interpretantur, *affliguntur*. Sunt qui verum Baptismum intelligunt, & volunt baptizari pro mortuis, idem esse, ac baptizari metu mortis, seu propter mortem instantem, quod Clinicis sollemne erat; ex quo S. Paulus argumentum colligit pro demonstranda veritate futuræ Resurrectionis: si enim propter mortem quis baptizatur, ut sibi mortuo bene sit: ergo post mortem homo meliori sui parte superstes est, & carnem, quam moriendo exuit, resurgendo resumet: ergo futura est corporum resurrectio: quod unum demonstrandum suscepérat Apostolus.

AD-

ADDITIO.

(*)

„ TRes tamen mihi libet addere ſententias multo his probabiliores.
„ Cum Calmeto nempe quidam exiſtimant: Paulum iſthic loqui de
„ Baptiſmo, quem aliqui, exemplo Phariſæorum inducti, vivis confe-
„ rebant pro mortuis. Errorem interim hunc non probat Apoſtolus:
„ verum ex erronea eorum conſuetudine arguit dumtaxat contra illos,
„ vel ideo admittere eos oportere futuram corporum reſurrectionem.
„ Hujus opinionis fuit Tertullianus, qui lib. 5. contra Marcion. c. 10. ait, hæc
„ Paulum ſcripſiſſe, *ut tanto magis ſiſteret* (firmaret) *carnis reſurrectionem;*
„ *quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide reſurrectionis hoc facerent.*
„ Alii, Chryſoſtomum ſecuti, *το pro mortuis*, ſumendum putant pro
„ *corporibus mortis obnoxiis*; quaſi nempe Paulus dixerit: ſi caro non re-
„ ſurget, nec immortalitate donabitur, cur in fide & ſpe reſurrectio-
„ nis baptizantur corpora morti ſubjecta, ac certo moritura. Nempe
„ (quod P. Berti Theol. ſuæ l. 22. c. 6. probat, ac iſthic obſervandum
„ eſt) ætate Apoſtoli ante ſuſceptionem Baptiſmi moris erat Catechu-
„ menos recitare illum articulum: *Credo carnis reſurrectionem*. Iſtud di-
„ cendi fundamentum præbet ipſe Chryſoſt. Hom. 40. in 1. ad Cor. Ep.
„ ubi ſimul hæc Apoſtoli verba ita explicat: *hoc ergo*, inquit, *in memo-*
„ *riam revocans Paulus dicebat, ſi non eſt reſurrectio, cur baptizaris pro mor-*
„ *tuis, id eſt, corporibus? propter hoc enim baptizaris mortui corporis credens reſur-*
„ *rectionem, id eſt, quod non maneat mortuum*. Et pro hac quidem Chry-
„ ſoſtomi expoſitione & illud facit, quod ea apprime congruat cum
„ priore Apoſtoli argumento, quod hoc ipſo Cap. a Chriſti reſurrectio-
„ ne ducit, ac demum v. 22. ait: *& ſicut in Adam omnes moriuntur, ita*
„ *in Chriſto omnes vivificabuntur*, tam in anima, quam in corpore; ubi vi-
„ des *το moriuntur*, idem ſignificare, *ac mortales & morti obnoxii ſunt*. Quid
„ quod idem etiam ad Rom. 8. v. 10. *Corpus mortuum pro mortali ſumat*.
„ Tertia, ceteris mihi veriſimilior, Epiphanii eſt n. 28. Poſtquam is
„ docuerat, Cerinthianos Baptiſmum pro mortuis in diſciplina habuiſ-
„ ſe, traditione ſe accepiſſe ait, in hos eoſdem, cum ſimul mortuo-
„ rum reſurrectionem negarent, Apoſtolum argumentatione ex moribus
„ ipſorum ducta, quam ad *hominem* dicimus, pro reſurrectione vindi-
„ canda uſum fuiſſe. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omni-*
„ *no mortui non reſurgunt, ut quid & baptizantur pro illis.*

APPENDIX.

(*)

De Baptiſmo Crucis, & Campanarum.

„ DAmnato *mortuorum, & pro mortuis Baptiſmate*, contemplandus ve-
„ nit *Crucis Baptiſmus*. Sollemnem eum fuiſſe Armeniis perhibent
„ incertus Auctor in collect. T. 27. B. PP. Nicephorus L. 18. c. 53. Ni-
„ con Epiſt. ad Encliſtum T. 25. B. PP. Iſaac Catholicus T. 20. B. PP. c.
„ 10. & Euthymius p. 2. Panop. tit. 20. qui etiam ritum ipſum deſcri-
„ pſit in hæc verba: *Crucem, quacumque ex materia conſtet, non prius ve-*
„ *nerantur, aut adorant, quam eam, tamquam hominem abluerint, & in ejus*

„ *me-*

„ *medium clavum fixerint, & sacrificii sanguine ipsam inunxerint*. Igitur ab-
„ lutione, clavi defixione, & unctione sanguinis ritus omnis absolveba-
„ tur. Ablutionem autem consimilem fuisse illi, quæ fit in Baptismo
„ hominis, clavi defixionem factam in Christi nomine, sanguinem ipsum,
„ ex boum, agnorum, & ovium victimis, quas Judaico cultu Deo im-
„ molabant, haustum esse, ex fide eorumdem Scriptorum exploratum est.
„ Finem explicat Euthymius dicens: *Clavum ideo figunt in Cruce in Christi*
„ *nomine; ut ostendant unum Sanctæ Trinitatis esse crucifixum, id est divinam ejus*
„ *naturam, quo quidem Patrem, & Spiritum S. cum Christo crucifigunt*. Quid
„ porro a celebrato ritu agant, deinceps explanat Nicon. *Postquam autem*
„ *clavo fixa, & baptizata crux fuit, & alterum duorum lignorum divisum fue-*
„ *rit, rectum scilicet, vel transversum; id solum, quod relictum est, adorant*.
„ Jam, quamquam disciplinæ hujus superstitio seipsa in propatulo
„ sit, sive tot Scriptorum auctoritatem spectes, qui eamdem hæresibus
„ connumerarunt; sive dogma impium, quod clavi defixione Armenii ani-
„ mo designant, sive Sacrificia ipsa, ex quibus sanguinem hauriunt, sive
„ denique finem, ad quem ritum omnem referunt, qui est crucis expia-
„ tio, quam in numero rerum profanarum habent; tacenda nihilomi-
„ nus non sunt argumenta, quibus præterea Eutymius, atque Isaacus ri-
„ tum eumdem impugnarunt. *Euthymii* argumenta sunt: crux manu de-
„ scripta sanctificat omnia, quibus adhibetur, aquam, oleum, panem, &c.
„ nequit ergo ipsa esse profana. Cerce crux, in qua mysterium Redem-
„ ptionis consummatum est, sancta est, ac habenda in pretio, ac cultu,
„ igitur & figura, ac imago ejus, seu deinceps manu efformetur, sive constet
„ materia; *honor namque*, ut ait Basil. *qui habetur imagini, ad exemplar tran-*
„ *sit*. Profecto Magnæ Armeniæ Præsul D. Gregorius, honori, & perfugio
„ cruces constituit, quin ante duxerit ablutione, clavo, aut sanguine ex-
„ piandas. *Isaacus* hæc præterea adversus eumdem ritum congessit, quod
„ vel crux expressione ipsa, ac similitudine vivifici ligni, in quo Salvator
„ pensus est, jam sancta sit, & principium, quo cetera sanctificantur; &
„ ita a nullo alio sanctitatem mutuare potest; vel si per se imbecillis,
„ profana, ac immunda habetur; immunda pariter futura sunt cuncta,
„ quæ cruce sanctificantur, atque sic rei nullius interventu ipsa sanctificari
„ poterit. Demum, si, quemadmodum ait Apost. ad Hebr. 7. v. 7. *Quod*
„ *minus est, a meliori benedicitur*, dicant Armenii quid cruce sit augustius,
„ quid sanctius, a quo sanctitatem debeat ipsa repetere? Profecto non dicent
„ sanctiorem esse boum sanguinem, quem sacrilego cultu eliciunt, non
„ clavum, quem hæretico animo defigunt, non aquam ipsam, quam
„ Judaica superstitione a Baptismate calicum, urceorum, æramentorum,
„ lectorum, ad crucem ipsam transtulerunt.

„ Porro, quemadmodum nos Catholici *Crucis Baptismum* ad superstitio-
„ nes relegavimus, ita prorsus, eodemque nomine fugillant, & damnant
„ in nobis *Campanarum Baptismum*. Magdeburgenses cent. 10 c. 6. Hospi-
„ nianus L. 1. de templis. Vossius Tr. Theol. T. 6. Schleidanus, Vergerius,
„ aliique passim hæretici, quorum prius, quam rationes inducam, & dis-
„ solvam, lubet quædam ad Campanarum historiam spectantia, atque de ea-
„ rum baptizatione præfari. *Tintinnabula*, quæ minores *Campanæ sunt*, jam He-
„ bræos ex Dei præscripto in infima Pontificiæ vestis parte gestasse notum est

ex

„ ex cap. 28. Exodi v. 33. Apud veteres Romanos quoque eorumdem „ usum prodit Plinius lib. 36. c. 13. Plutarchus autem lib. 4. Sympos. „ qu. 5. & Strabo lib. 4. Geogr. sonitu eorum homines ad mercatum „ piscium acciri perhibent. Ab Augusto vero suspensa esse tintinnabula „ ex fastigis ædis Jovis Capitolini, ad sacros utique usus, memorat Sue- „ tonius. Christianos sonoris ejusmodi signis ante pacatas res Ecclesiæ „ ad sacra mysteria convocatos non esse persuadet & infesta gentilium „ ferocia, & Christianorum latendi studium. Quare perturbatis illis „ temporibus vel ad finem Synaxeos, vel destinatis fidis cursoribus lo- „ cus, diesque ad sacra officia condicebantur. At ubi ad nos Constan- „ tinus Aug. transitionem fecit, & Christus palam, ac sine periculo coli „ est cœptus, ut publicis signis ad Ecclesias fideles convocati sint viden- „ tur deposcere & ipsa pacis tempora, & mire auctus Christianorum nu- „ merus. Nec tamen idem, & constans ubique terrarum signum fuit. „ Pachomium more ab Hebræis ex Num. 10. vers. 1. accepto, tubarum „ clangore congregasse Monachos legimus c. 3. Regulæ; & apud Cli- „ macum gradu 19. Græci more antiquissimo, cujus testimonia profert „ Bona lib. 1. Litur. c. 22. ligneis tabulis malleo duplici instructis ad „ Divina evocabant; delineavit instrumenta Hier. Mag. & σύμανδρον „ dicta ait, quibus hodieque sub Turcarum jugo utuntur. Nonnullis ta- „ men vice lignorum servivit olim lamina ferrea similis materiæ mal- „ leo armata, hanc ἁγιοβίδηρον nuncuparunt; neque campanæ apud eos „ prius auditæ sunt, quam eas Venetiarum Dux Ursus Participa- „ tius sub Ann. 865. ad Michaelem Aug. dono destinavit.

„ Quo autem ævo, & auctore in Occidente primum campanarum „ pulsu ab Officia Divina fidelis populus evocatus sit, lis est, quam, „ cum nemo finierit, præstabit nec inchoasse. Sunt qui supposito S. „ Hier. testimonio nixi cum Angelo Roccha, & Magrio in Hierolex. „ S. Paulino Episc. Nolano in Campania id tribuant, atque idcirco „ *campanas*, *nolasque* dictas velint, quod Nolæ in Campania primum in „ sacris saltem officiis insonuerint. Verum hos refellit recentissime San- „ dinus in notis ad Sabinianum P. & recte, nec enim coævum Paulino „ testem, qui id affirmet, proferunt, nec Paulinus ipse simile quid de „ se commemorat, cum tamen in Epist. ad Severum, in qua partes „ omnes Ecclesiæ a se structæ nominatim laudat, celebrandæ huic suæ „ inventioni, aut destinationi, si illa erat, locus aptissimus oblatus sit. „ Sunt rursus alii, qui secuti Polydorum, Virgilium, Genebrardum, „ Panvinium, & Ciaconium, dicant campanarum usum acceptum a gen- „ tilibus, ad Ecclesiam a Sabiniano P. translatum; porrigit huic suæ „ sententiæ argumentum Torrigius de cryptis Vaticanis, ubi narrat, de- „ molito An. 1710. veteri campanili Basilicæ S. Petri, in fundamentis „ deprehensum esse numisma Heraclii Aug. qui imperare cœpit Ann. „ 610. hoc est quadriennio post Sabiniani P. decessum, cui campana- „ rum ad Ecclesiasticos usus accomodatio a dictis Scriptoribus in ac- „ ceptis refertur. Verum, cum neque hoc argumentum pondus habeat, „ præstat, ut in re utrinque momento destituta, suspenso judicio per- „ manere. Illud autem non ex vano dicitur, gentilium exemplo cam- „ panas ad Ecclesiam transductas esse; neque usum campanarum in

„ Ecclesia ultra sæculum septimum differri posse persuadet vita Sancti
„ Eligii a S. Audoeno sub anno 650. conscripta ; tum & ordo Rom.
„ titulo de Sabb. S. ubi his verbis campanarum meminit : *Jussi inci-*
„ *piunt in Ecclesia Litaniam , Tertiam , & campanæ tanguntur , & ingre-*
„ *diuntur ad missam* . Et Vener. Beda lib. 4. Histor. Anglic. cap. 23.
„ Denique machinis his , quas Franci *Clocas* dicunt , *Campanarum* , &
„ Nolarum nomen ab aere Campano , Nolanoque præstantissimo , ex
„ quo conflabantur, accessisse.

„ Quam autem incertum est , quis primus campanas ad Ecclesiasti-
„ cos usus accomodaverit , tam est anceps , quo auctore benedictio ,
„ consecratio , & ut ajunt, Baptizatio campanarum invecta sit . Ejus
„ initia immerito Hospinianus sub Caroli M. tempus constituit ; im-
„ merito etiam Joannem XIII., qui sedere cœpit 965. eo nomine la-
„ cessit, quod primus campanis nomina indiderit. Nam benedictionis ,
„ ablutionis , & unctionum ritum jam ordo Rom. exhibet ; & Alcui-
„ nus , qui Carolo M. suppar floruit Sæc. VIII. hæc omnia , ut quid
„ vetus diserte agnoscit : *neque novum* , inquit , *videri debet , campanas*
„ *benedicere , & ungere , eisque nomen imponere* . Talem autem nobis ri-
„ tum *benedictionis campanarum* depingit ordo Rom. Fit primum exor-
„ cismis salis, & aquæ, tum utriusque benedictio, & commixtio, mox
„ aqua eadem campana abluitur , atque extergitur ; extersæ septenæ
„ cruces a parte extima , ab interiore autem quaternæ Chrismate im-
„ primuntur. Et tandem erectum æs campanum , thymiamate, thure ,
„ & myrrha sic incensatur , ut parte cava fumum capiat : Ultra quæ
„ Pontificale Rom. a Clemente VIII. recognitum , exhibet etiam hæc
„ sequentia : *Sancti✠ficetur , & Conse✠cretur Domine signum istud in no-*
„ *mine Patris , ✠ & Filii , ✠ & Spiritus ✠ Sancti . In honorem*
„ *Sancti N. Pax tibi* . In quibus omnibus nil superstitionis Catholici
„ inveniunt .

„ At e contrario hæretici , ut loquitur Gretserus noster T. S. voci-
„ ferando ramices propemodum rumpunt , nec hanc tantam blasphe-
„ miam , rituumque perversionem ulla granditate , & acrimonia ver-
„ borum digne exagitari posse existimant . Et primo quidem Baptis-
„ mum , quem solius hominis saluti instituit Deus , ad æs campanum
„ animæ , & rationis expers impie transferri nobiscum expostulant .
„ Verum esse illum Baptismum inde concludunt, quod campanæ exor-
„ cizantur, abluuntur, unguntur, & cruce signantur, patrinis muniun-
„ tur, nomine donantur, & veste candida induuntur. Demum ut id a
„ vero Baptismo deficiat , superstitione ajunt carere non potest tanta
„ analogia rituum, quæ est in hominis, & campanæ Baptismo, tum &
„ effectus, quos eis Catholici deferunt , hocque metro explicat Glosa
„ cap. 1. Extrav. de off Custodis.

„ Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum,
„ Defunctos ploro, nimbum fugo , festaque honoro.

„ Quare jure optimo eumdem ritum proscripsit Carolus M. Capitu-
„ larium An. 18. in hæc verba : *Clocas non baptizent, nec chartas per per-*
„ *ticas suspendant propter grandinem* .

„ Ut autem hæretici temere affirmant , ita Catholici jure negant ,

„ad

„ ad veri a Christo instituti Baptismi rationes pertingere, quidquid il-
„ lud est, quod circa campanas geritur. Ubi enim occurrit Baptismi
„ forma præscripta, ubi est intentio? deest præterea Catechismus, seu
„ instructio. Dici ergo *Baptismum* ritum illum solum μεταφορικῶς, &
„ ob analogiam quarumdam cæremoniarum ablutioni junctarum, quam-
„ quam nec hæc tanta est, quantam fingunt hæretici; nec enim Ponti-
„ ficale Romanum a Clemente recognitum, aut de nominis impositio-
„ ne, aut de patrinis, vel veste quidquam habet, & illud, quod Al-
„ cuinus, aliique de nominis impositione ferunt, inde fluxit, quod ad
„ honorem certi Sancti consecretur campana. Quam vero vestem di-
„ cunt hæretici, linteus forte est, quo in venerationem Chrismatis cam-
„ pana abstergitur. Catalani quidem *Patrinos* adhibent; sed nec hi sunt
„ aliud, quam custodes, aut præfecti campanarum custodiæ. Effectu
„ etiam demum benedictio campanarum longe a vero Baptismo distat;
„ & quod campana *nimbum fugat, imo pestem* etiam, dæmonemque, non
„ habet id ex sono præcise, sed Ecclesiæ precibus; quamquam neque ex
„ his semper, & ex pacto, aut consecutione quadam infallibili, sed cum
„ Deo exaudire pias preces lubuerit. Quare cum Amerbachio Scholia-
„ sta dico: a Carolo M. *prohibetur hic superstitio, non aliqua legitima, &*
„ *Ecclesiastica benedictio, vel consecratio non superstitiosa*; qui enim inhibeat
„ Carolus, quod Alcuinus Magister, ut sic dicam, Caroli inter vetustas
„ Ecclesiasticas consuetudines retulit?

(*)

QUÆSTIO QUARTA.

De effectibus Baptismi.

MUlta hic quærit S. Thomas, quæ ad duo generatim capita revocari possunt, in quibus omnis Baptismi effectus continetur: nempe ad gratiam sanctificantem, & ad characterem per Baptismum productum. Supra jam ostendimus Baptismum producere in infantibus fidem, ac gratiam sanctificantem habitualem; hic itaque generatim de utroque Baptismi effectu duobus sequentibus diseremus Articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

An Baptismus gratiam sanctificantem, & plenam, tum quoad culpam, tum quod pœnam, peccatorum remissionem conferat.

ERRORES.

CIrca effectus Baptismi errarunt Hæretici per defectum & per excessum: primi veros effectus Baptismo denegarunt, alii falsos affinxerunt.

Quantum ad primum, nonnulli Origenistæ, teste Proclo Origenista, apud S. Epiphanium hæresi 64. docuerunt peccata sopiri & tegi, non vero radicitus tolli per Baptismum.

Massaliani dixere, Baptisma suscipientibus nihil prodesse. Ita refert Theodoretus lib. 4. hæretic. fabul.

Nonnulli ætate S. Gregorii M. idem censuere, sicut colligitur ex l. 9. Epist. 39. nunc lib. 11. Epist. 45. ubi ait multos accusatos fuisse, quod dicerent Baptisma peccata penitus non auferre.

Pelagiani negantes originale peccatum, consequenter negabant illud per Baptismum tolli: imo calumniabantur Catholicos, quasi docerent Baptismum non conferre indulgentiam omnium peccatorum, nec auferre crimina, sed radere. Calumniam refert S. Aug. l. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 13.

Novatores Lutherani ajunt quidem peccata per Baptismum non imputari, sed negant ea vere tolli, & deleri. *In puero*, inquit Lutherus art. 2. ex iis, quos Leo X. damnavit, *post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.* *Tom. 14. Conc. p. 392. B.*

Calvinus in Antidoto Conc. Trident. sess. 5. *Neque per Baptismum*, inquit, *statim uno die extinguitur peccatum; sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.*

Quantum ad secundum, Jovinianus existimavit ita radicitus evelli peccatum per Baptismum, ut nunquam possit repullulare; adeoque legitime baptizatum peccare non posse.

Novatores superioris sæculi istos quinque effectus Baptismo affingunt: 1. quod baptizatus damnari non possit, etiamsi velit, nisi nolit credere. 2. quod Baptismus liberet ab obedientia divinæ legis. 3. quod liberet ab observandis legibus humanis. 4. quod liberet ab omnibus votis. 5. quod sola memoria Baptismi justificet a peccatis, quæ fiunt post Baptisma. Huic quintuplici errori totidem Canones opponit Conc. Trid. sess. 7. de Baptismo, nempe Canonem 6. 7. 8. 9. & 10. Non est hujus loci eos omnes errores & expendere & refellere: legatur Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 12. & sequentibus. *Inter Opusc. Ed. Gen. 1554. p. 687.*

PRIMA CONCLUSIO.

Baptismus confert gratiam interiorem sanctificantem, per quam baptizatus renascitur, regeneratur, innovatur, fit Dei filius, Christi membrum, unius cum eo spiritus, vitæ æternæ compos &c.

Probantur hi Baptismi effectus ex Scriptura.

Primæ ad Cor. 6. v. 11. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.*

Ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.*

Joann. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Cujus novæ nativitatis rationem exponens Christus, ait: *Non mireris quia dixi; Oportet vos nasci denuo. Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Unde baptizati dicuntur infantibus modo genitis similes, ob vitæ scilicet novitatem & interiorem mutationem. *Sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite*, inquit S. Petrus primæ Epistolæ cap. 2. vers. 2.

Galat.

Galat. 3. v. 26. *Omnes filii Dei estis ... Christum induistis.*

Rom. 8. v. 17. *Si autem filii & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.*

Rom. 6. ver. 3. & 4. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Ephes. 4. vers. 3. *Solliciti*, inquit Apostolus, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma: unus Deus & Pater omnium.*

Clariora sunt hæc Scripturæ testimonia, quam ulla interpretatione nostra possit lux ipsis afferri.

Hos omnes Baptismi effectus eleganter enumerat S. Chrysost. Homil. ad Neophytos. *Ecce*, inquit, *libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paullo ante captivi; & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti, non tantum sancti, sed & justi; nec solum justi, sed & filii; nec solum filii, sed & heredes; nec solum heredes, sed & fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed & coheredes; non solum coheredes, sed & membra; non tantum membra, sed & templum; non tantum templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sint Baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur cælestem gratiam in peccatorum tantum remissionem consistere; nos autem honores computavimus decem.* Et Hom. 1. ad illuminandos, ait Baptismum appellari lavacrum regenerationis: *quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat; sed ita id præstat, ac si denuo generati essemus.* Ed. Par. 1621. Tom. 2. App. p. 51. A. Ed. nov. T. 2. p. 229. E.

Fœcundissimi sunt SS. Patres in enumerandis & extollendis Baptismi effectibus: eorum plurima testimonia supra retulimus, ubi de necessitate Baptismi agebamus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Baptismus perfecte tollit omnia peccata, tam ratione culpæ, quam pœnæ.

Probatur 1. Ex Scriptura. Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Act. 22. v. 16. Paulo dicitur: *Exsurge, & ablue peccata tua.*

Quod vero illa peccatorum remissio plena sit atque perfecta, constat ex eadem Scriptura.

Joan. 13. v. 10. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu.* Quod testimonium intelligitur a Concilio Trid. de iis, qui sunt baptizati: porro *qui baptizati sunt, Christum induerunt.* Galat. 3. v. 27. *& in morte ipsius baptizati sunt, ac consepulti cum ipso, justificati a peccato.* Rom. 6. ver. 3. Et primæ Cor. 6. v. 11. post enumerata gravissimorum peccatorum genera, sic pergit Apostolus: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis; sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Denique primæ Joan. 1. v. 8. *Sanguis Jesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato.*

Plenam autem esse etiam quoad pœnam remissionem illam peccatorum, colligitur ex iis testimoniis prima Conclusione citatis, in quibus homo dicitur per Baptismum *renasci*, *regenerari*, *renovari*, *ac velut infans modo genitus*. Cum vero nova illa nativitas & renascentia omnem penitus culpam abradat & deleat, nihilque veteris hominis remanere permittat, omne quoque pœnæ persolvendæ debitum extinguit. Ita vero perfectam esse hanc peccatorum remissionem, ut non modo non teganturpropter non imputationem, sed etiam radicitus tollantur & deleantur, constat ex modo loquendi ejusdem Scripturæ; tum quia verbum, *renasci*, *regenerari*, *renovari*, quo utitur, hoc importat: tum quia ait, nos aqua baptismali *mundari*. Sicut igitur aqua sordes corporis non tegit, sed diluit & mundat, ita aqua baptismalis sordes animæ non tegit, sed omnino abstergit, penitusque tollit. Ephes. c. 5. v. 26. *Christus mundavit Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Hebr. 10. v. 22. *Abluti corpus aqua munda*. Hoc pronunciaverat Ezech. c. 36. ver. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Tum denique, quia id manifeste important exempla, quibus Deus utitur apud Isajam c. 1. ver. 18. *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*.

P. 224. Probatur 2. ex SS. Patribus. Ex infinitis propemodum, quæ adduci possent testimoniis, expressiora nonnulla seligemus.

Ibid. B. P. 225. C. Ex Tertulliano lib. de Baptismo cap. 1. *Felix*, inquit, *Sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur*. Et postea: *Quid ergo? Nonne mirandum, & lavacro dilui mortem?* Et c. 4. *Spiritus*, inquit, *supervenit de Cælis, & aquis supereft sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt*. Et c. 5. *Exempto reatu, eximitur & pœna. Ita restituitur homo Deo, ad similitudinem ejus qui retro ad imaginem Dei fuerat*.

P. 226. C.

Ex S. Clemente Alexandrino lib. 1. Pædagogi c. 6. *Multis modis*, inquit, *vocatur hoc opus: gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. Lavacrum quidem, per id quod peccata abstergimus: Gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur: Illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur; hoc est, per quam id, quod est divinum, perspicimus: Perfectum autem dicimus; cui nihil deest*.

P. 69. A.

Ex S. Gregorio Nazianz. Orat. 40. *Donum*, inquit, *vocamus gratiam, Baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quovis nomine appellamus*. Ac postquam uniuscujusque nominis rationem reddidit, sic concludit: *Hæc Baptismi gratia & facultas est, non Orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, sed uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones, vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens*.

T. 1. p. 638. D.

Ibid. p. 641. A.

Ex S. Gregorio Nysseno Oratione in Baptismum Christi, ubi sic loquitur: *Compunctum notis peccatorum, & malis moribus inveteratum gratia regia eo redigimus, ut innocens fit sicut infans. Ut enim modo natus puellus a criminibus & pœnis liber est, ita etiam regenerationis puer non habet, cujus nomine caussam dicat, ut qui regio dono caussæ dictioni exemptus, & a rationibus vitæ reddendis liberatus sit*.

Ed. Par. 1615. T. 2. p. 801. A.

Ex S. Hieronymo Epist. 82. ad Oceanum: *Omnia scorta*, inquit, *& publicæ*

blicæ colluvionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriuſque ſexus mutata natura, Chriſti fonte purgantur &c. Omnia nobis Baptiſmate condonata ſunt crimina; nec poſt indulgentiam, Judicis metuenda eſt ſeveritas, dicente Apoſtolo: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis &c. T. 4. p. 2. p. 648. Ibid. p. 649.

Ex S. Aug. in Enchyridio ad Laurentium c. 64. *Baptiſmatis munus*, inquit, *contra originale peccatum donatum eſt, ut quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur; & tamen activa quoque peccata quæcumque corde, ore, opere, commiſſa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua ſolvitur omnis reatus &c.* Et lib. 3. ſeu Serm. de Symbolo ad Catechumenos c. 10. *Omnia*, inquit, *prorſus delicta delet ſanctum Baptiſma, & originale & propria; dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta. qui non quærit merita.* Denique lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 28. *Si*, inquit, *continuo poſt Baptiſmum ſequatur ex hac vita emigratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant.* T. 6. p. 220. E. Ibid. p. 574. D. T. 10. p. 65. A.

Denique ex Innoc. III. Elucidatione in quartum Pſalmum Pœnitentialem. *Sciendum eſt*, inquit, *quod fides Chriſti, quæ juſtificat impium, revera mundat a culpa, ſed non ſemper ab omni pœna. Sacramentum vero Baptiſmi, ſi digne ſumatur, liberat omnino a culpa pariter, & a pœna.* Op. Inn. Ed. Col. 1575. T. 1. p. 272.

Tam certa & conſtans fuit hæc apud Veteres fides, ut baptizatis nulla imponerent opera laborioſa & ſatisfactoria. Ita colligimus ex S. Clemente lib. 2. Conſtitutionum cap. 41. S. Baſilio in Exhortatione ad Baptiſmum. S. Ambroſio cap. ult. lib. de Elia & jejunio. S. Chryſoſtomo Hom. 1. ad baptizandos, & S. Gregorio Nazianz. in Orat. 40. ubi ſic loquitur: *Ecquando tantum laboris ſuſceperis, quantum Æthiopum Regina &c. Et ecce pluſquam Salomon hic &c.* Hoc argumento, adverſus eos, qui Baptiſmum differunt, amplificato, ſic colligit; *Cum autem tibi nec labore ullo, nec opera ulla ſuſcepta, rei expetitæ compotem fieri liceat, quæ tandem ſtultitia eſt, donum in aliud tempus rejicere? Sitientes venite ad aquas, hortatur Iſaias &c. O ingentem benignitatis celeritatem! O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum ſola voluntate venale tibi proponitur; cupiditatem ipſam Deus ingentis pretii loco habet. Sitit ſitiri; bibere cupientibus potum præbet; cum ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur.* T. 1. p. 657. E. Ibid.

Probatur denique ex Conciliis Florentino & Tridentino.

Florentinum in Decreto Eugenii, ait morientes poſt Baptiſmum ſtatim ad Regnum Cælorum pervenire, atque idcirco nullam baptizatis pro peccatis præteritis imponendam eſſe ſatisfactionem. Tom. 13 Conc. p. 535. E.

Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. ſic decernit: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originali peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema ſit.* T. 14. Conc. p. 752. E.

Dices 1. Remanet in baptizatis concupiſcentia; ſed illa, teſte Apoſtolo Rom. 7. verſ. 20. peccatum eſt.

Reſp. cum S. Aug. lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 23. concupiſcentiam (ſecluſo voluntatis conſenſu) non eſſe formaliter peccatum; ſed eam ab Apoſtolo appellari peccatum, quia eſt a peccato, &

ad peccatum inclinat : *Sicut*, inquit S. Doctor, *vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus*. Relinquitur
T. 10. p. 299. C. autem in baptizatis concupiscentia ad agonem & exercitium virtutis. Audiantur Patres Tridentini Sess. 5. in Decreto de peccato originali. *In renatis nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Cæli remo-*
Tom. 14. Conc. p. 753. A. *retur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet: quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Dices 2. Si remittitur in Baptismo omnis peccati reatus, omnisque pœna, quomodo supersunt pœnalitates, quibus baptizati obnoxii sunt; quales sunt, morbi, fames, sitis, mors ipsa, quæ est stipendium peccati; sublata quippe causa, deberet omnis effectus consequens tolli.

Resp. plures a SS. PP. rationes & causas afferri, cur omnes illæ pœnalitates relictæ sint in baptizatis.

T. 7. p. 377. D. E. Prima, ut Deus ostenderet, quid hominis culpa mereatur, & quid sua gratia donetur. Ita S. Aug. lib. 14. de Civ. Dei c. 26.

T. 6. p. 206. Secunda, ut sicut homo in Paradiso deliciarum habuit umbram æternæ felicitatis, ita hac in valle miseriarum umbram haberet damnationis æternæ, S. Aug. in Enchyridio c. 25.

T. 7. p. 328. A. Tertia, ne si adderetur carni felicitas, imminueretur fidei fortitudo.

T. 10. p. 1343. F. Idem S. Aug. lib. 13. de Civ. Dei c. 4.

G. & p. 1358. E. Quarta, ut virtus in infirmitate perficeretur, & circumferret homo testimonium sui peccati. Idem S. Aug. lib. 6. Operis imperfecti contra Julianum c. 26. & 29.

Quinta, ut intelligeremus totum Sacramentorum fructum, non ad hanc præsertim vitam temporalem, sed ad æternam referri debere. Idem S. Aug. in Enchiridio c. 6. Eamdem rationem adducit Magister lib. 4. dist. 4. litt. F.

Ad rationem subjunctam, nempe sublata causa debere tolli omnem effectum, dico id quidem aliquando verum esse posse de causa physica & necessaria, cujus influxus actualis necessarius est ad effectum conservandum; non vero de causa dumtaxat morali & meritoria, qualis est peccatum: secluso siquidem originis peccato, potuissent istæ pœnalitates esse in statu puræ naturæ, non quidem quatenus pœnalitates, sed ut appendices naturæ, ut esse possent, & *proficiendi admonitio, & perfectionis*
T. 1. p. 633. A. *exordium*, ait S. Aug. lib. 3. de libero arbitrio c. 20.

Dices 3. Peccata ante Baptismum commissa puniuntur a Magistratibus Christianis; non ergo per Baptismum omnis pœna remittitur.

Resp. dist. cons. non remittitur apud homines, quorum interest publica peccata, quæ communitatem & pacem perturbant, castigare, ac reprimere, concedo: apud Deum, nego.

Quæres 1. utrum effectus Baptismi æqualis sit in omnibus baptizatis.

Resp.

Resp. 1. erga infantes propriæ dispositionis incapaces æqualem omnino esse Baptismi effectum.

Resp. 2. erga adultos æqualem esse effectum, quantum ad characterem; quantum vero ad gratiam, dico æqualiter affectis & dispositis æqualem conferri; inæqualem vero, si inæqualiter sint affecti. Colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 7. ubi asserit in baptizatis justitiam recipi, secundum mensuram, quam Spiritus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Ratio est, quia quæ agunt juxta dispositionem subjecti, æqualem vel inæqualem producunt effectum, pro æquali vel inæquali dispositione subjecti: atqui sic agunt Sacramenta. Etsi enim vi propria, & ex opere, ut dicitur, operato gratia producant, in adultis tamen prævias exigunt conditiones, ut suum in illis effectum sortiantur. Sicut enim agentia naturalia, quæ toto suo impetu agunt, ubi major occurrit in subjecto dispositio, fortius, & intensius operantur, ita & nostra Sacramenta. *Tom. 14. Conc. p. 759. C.*

Quæres 2. quid efficiat Baptismus in homine jam per charitatem perfectam justificato. *Ibid. p. 817. D.*

Resp. 1. ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 4. contingere aliquando posse contritionem esse charitate perfectam, & hominem Deo reconciliare, priusquam percipiatur Sacramentum, quo casu docet idem Concilium, reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Resp. 2. hoc in casu sex bona enumerari posse quæ ex reali Baptismi perceptione consequuntur. Primum est character baptismalis, quem nemo sine Baptismo realiter percepto consequitur. Secundum, gratiæ augmentum. Tertio, remissio peccatorum, quæ post justificationem interim committi potuerunt. Quartum, plena remissio pœnæ temporalis. Quintum, securitas remissionis peccatorum. Cum enim nemini de sua justificatione, nondum percepto Baptismi Sacramento, facile sit præsumendum, securitatem quamdam, idest bonam confidentiam cum tranquillitate conscientiæ præstat Sacramentum, etiam iis, qui jam ex contritione perfecta cum voto Sacramenti justificati sunt. Sextum denique, externa seu visibilis incorporatio hominis in Ecclesia Christi.

ARTICULUS II.

De charactere Baptismi, & de Baptismo ficte suscepto; an recedente fictione reviviscat.

OBservandum 1. de charactere, qui per tria Sacramenta imprimitur, & quæ idcirco iterari non possunt, nos generatim jam egisse in Tractatu de Sacramentis in genere, ubi loquendo de celebri controversia Cypriani, Firmiliani, & aliorum Rebaptizantium, observavimus eos non idcirco rebaptizasse ab Hæreticis baptizatos, quod existimarent Baptismum, cum validus est, non imprimere characterem, sed quod contenderent nullum plane esse Baptismum ab Hæreticis datum; unde non tam iteratus ipsis videbatur Baptismus, quam primo legitimæ collatus.

Observandum 2. fictionis nomine hic non intelligi simulationem, qua

quis

quis dum exterius baptizatur, intra se tamen reluctatur Baptismo, nec intendit baptizari; sed intelligi pravam animi dispositionem, qua gratiæ baptismali obicem & impedimentum opponit.

Observandum 3. verbum istud *revivisere*, denotare effectum Baptismi, qui spectari potest sive respectu peccatorum, quæ Baptismum præcesserunt, sive respectu ipsius fictionis, idest peccati, quod in ipsa Sacramenti perceptione committitur, sive denique respectu peccatorum subsequentium ipsum Baptisma: & quæritur, an recedente fictione, & accedente pœnitentia, Baptismus suum plenum & integrum consequatur effectum. Qua in controversia dissentiunt more suo Scholæ Theologi. Sunt qui omnia peccata, sive ante, sive post Baptismum commissa, velint, recedente fictione, virtute Baptismi deleri: sunt qui censent ea per pœnitentiam auferri: sunt qui distinguunt inter pœnam & culpam, ac volunt virtute Baptismi, recedente fictione, deleri quidem peccata quoad culpam, sed non deleri quoad pœnam, saltem ea, quæ post Baptismum perpetrata sunt per pœnitentiam: sunt denique, qui facta distinctione peccatorum, quæ ante & post Baptismum commissa sunt, aut simul cum ejus perceptione, docent peccata Baptismum antecedentia, recedente fictione, deleri virtute Baptismi; peccata vero subsequentia deleri per pœnitentiam. His observatis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Baptismus imprimit animæ indelebilem characterem, quo fit, ut non possit iterari.

Prob. 1. tribus potissimum Scripturæ testimoniis, quæ SS. Patres de non iterando Baptismo interpretantur.

I. Ex capite quarto Epistolæ ad Ephesios v. 5. *Unus Dominus*, ait Apostolus, *una fides, unum Baptisma*, quia scilicet semel tantum conferri potest. Sic exponunt S. Cyrillus Jerosolymitanus Præfatione in Catecheses, S. Leo ut colligitur ex Gratiano in Decreto: *De consecratione*, dist. 4. can. *Non licet*, S. Thom. in 4. dist. 3. Hugo l. 2. de Sacramentis p. 6. c. 13.

Neque dicas, non minus fidem unam appellari, quæ tamen potest amitti & reparari; namque fides una dicitur ratione objecti, & motivi, non ratione sui; Baptismus vero dicitur unus ratione sui, quia semel hominem consecrat, nec potest iterari.

II. Ex c. 13. Joan. v. 10. ubi Christus ait: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*, quem locum de Baptismo nusquam iterando interpretantur Optatus l. 4. S. Ambrosius L. de initiandis c. 6. S. Aug. l. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 14. & Tract. 57. in Jo. c. 13. S. Bernardus sermone de Cæna Domini.

III. Ex cap. 6. Epist. ad Hebr. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati ... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*, quem locum SS. Patres intelligunt de renovatione per alterum Baptismum plane impossibili. Ita Sanctus Ambrosius l. 2. de Pœnitentia c. 2. Sanctus Epiphan. hæresi 59. quæ est contra Catharos, S. Hieronymus l. 2. contra Jovinianum, S. Augustinus in inchoatione Commentarii in Epistolam ad Roma-

manos, S. Cyrillus l. 5. in Joan. c. 17. S. Damascenus l. 4. de fide c. 10. S. Chrysostomus, Theodoretus, Sedulius, Haimo, Theophilactus, Oecumenius in hunc locum.

Confirmatur ex eo, quod Novatianis citatum Apostoli testimonium opponentibus, ut probarent semel lapsis post Baptismum non posse Ecclesiam per Pœnitentiam veniam indulgere, respondent Ecclesiæ Doctores, Apostolum eo loci loqui de Baptismo, qui non potest iterari, non vero de Pœnitentia, quæ toties potest & debet iterari, quoties peccatum fuit.

His testimoniis positivis addi potest & negativum istud argumentum: scilicet, Multi leguntur in sacris Litteris baptizati: at ne unus quidem legitur iterum baptizatus, saltem eorum, qui Baptismo Christi tincti fuerant: ergo evidens est argumentum, expresse voluisse Christum, ut qui semel rite & debite baptizatus est, iterum non baptizetur.

Prob. 2. perpetua Ecclesiæ Traditione, unanimi SS. Patrum consensu, & Conciliorum auctoritate firmata. Multa in Tractatu de Sacramentis in genere adduximus SS. Patrum, Ecclesiæ tum Græcæ tum Latinæ, testimonia, quæ hic rursus exscribere opus non est: unum tantum addam, nempe Baptismi semel rite collati iterationem instar sacrilegii semper in Ecclesia habitam fuisse, sicut videre est apud Gratianum causa 1. quæst. 1. & *De Consecratione* dist. 4. Quin etiam legibus Imperatorum ultimo supplicio, & Canonibus Ecclesiasticis pœna depositionis, & irregularitatis puniebantur, qui Baptismum iterare ausi fuissent. Unde S. August. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 11. ait: *Quid sit perniciosius, omnino non baptizari, an rebaptizari, judicare difficile est.* T. 9. p. 107. A.

Hac inspecta & probata perpetua Traditione tum scriptis, tum viva voce ad nos usque propagata, Ecclesia, quæ est columna, firmamentum veritatis, adversus quam portæ inferi nusquam prævalebunt, in Conc. Trid. sess. 7. can. 11. sic definivit: *Si quis dixerit, verum & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.* Et can. 9. de Sacramentis in genere, eadem Sessione: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Idem edixerat Concilium Florentinum in Decreto. Tom. 14. Conc. p. 788. B. Ib id. p. 777. C.

Probatur denique rationibus quas adducunt SS. Patres.

Prima petitur ex duplici comparatione, qua utitur S. Aug. Sicut enim (inquit) regale signum monetæ impressum manet etiam inter hostes, & peregrinos atque a Rege remotissimos; ita signum Christi impressum per Baptismum remanet in iis, qui Christi castris derelictis, & abnegata fide, tenentur sub potestate dæmonis. Hac comparatione utitur S. Doctor l. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. Altera comparatio sumitur ex charactere militari, quam ibidem affert: *An forte*, inquit, *minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota, cum videamus, nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur.* T. 9. p. 45. C.

Secunda ratio est, quia Baptismus est regeneratio & nova quædam nativi-

T. 3. p. 2. p. 383. tivitas spiritualis, Joan. 3. v. 5. Sicut igitur una est generatio, ita & regeneratio. Ita sanctus Aug. Tract. 12. in c. 3. Joannis.

Tertia; quia Baptismus est similitudo, & repræsentatio mortis Christi, quod probat S. Aug. c. 52. Enchiridii, ex Apostolo Rom. 6. v. 3. & 4. At Christus, ut ibidem ait Apostolus, *semel mortuus est*. Ita S. Basilius T. 6. p. 215. L. de Spiritu sancto c. 15. Isidorus l. 2. de Officiis Ecclesiasticis c. 24. Damascenus l. 4. de fide c. 10.

Quod si dicas, Eucharistiam esse pariter repræsentationem mortis Christi, quæ tamen multoties potest percipi, respondet Estius l. 4. dist. 4. §. T. 2. p. 57. tol. 1. C. 14. *Sacrificium Eucharistiæ repræsentare mortem Christi absolute, & quidem eo pacto, ut illa repræsentatio ordinetur ad commemorationem mortis Dominicæ, & gratiarum actionem, quæ frequens, & quotidiana debet esse, ideoque ipsum rectissime frequentari; Baptismo autem non absolute repræsentari mortem Christi, sed quatenus eam semel passus postea resurrexit ad vitam beatam, amplius non moriturus. Repræsentatur autem non in imagine aut in sacrificio, sed in nobis ipsis, qui proinde per Baptismum commori Christo dicimur. Unde & exhortationis materiam accepit Apostolus, offendens eum, qui semel baptizatus est, & per Baptismum peccato mortuus, non debere amplius in veterem relabi servitutem, sed deinceps in novitate vitæ ambulare.*

Quarta: quia peccatum originale semel contractum & deletum nunquam revocatur: ergo nec remedium ad illud expungendum institutum repeti debet.

Quinta: Circumcisio quæ fuit Baptismi figura, repeti non poterat: ergo nec Baptismus.

Sexta: Per Baptismum homo Deo consecratur: at quod semel est consecratum, iterum non consecratur. Has rationes attingit S. Thom. 3. p. q. 66. art. 9. in corpore.

Quæres, an sint baptizandi ii, de quorum Baptismo dubitatur.

Resp. si legitimum sit dubium, posse eos baptizari sub conditione, de qua forma conditionali lege, si vacat, quod diximus in Tractatu de Sacramentis in genere q. 2. art. 6.

SECUNDA CONCLUSIO.

Baptismum tum in hæresi, tum in schismate, tum in Ecclesia ipsa catholica ficte susceptus, recedente fictione, omnia peccata, quæ ipsum præcesserant, penitus tollit; peccata vero Baptismum subsequuta, delentur per Pœnitentiam.

Tres sunt Conclusionis partes.

Prima pars de Baptismo in hæresi aut schismate percepto, probatur T. 9. p. 114. C. ex S. Aug. l. 3. de Baptismo c. 13. ubi sic loquitur: *Si autem quamvis apud Hæreticos vel Schismaticos idem fit Baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum, propter eamdem discordiæ fœditatem & dissensionis iniquitatem; tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint: non ut jam vere dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tra-* Ib. p. 118. 416. & 89. *datur, sed ut ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Similia legi possunt c. 18. ejusdem Libri & lib. 1.

lib. 1. contra Creſconium c. 12. & lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 12.

Secunda pars, quæ eſt de Baptiſmo ficte in Eccleſia catholica percepto, probatur ex eodem S. Aug. l. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 12. *Sicut autem*, inquit, *in illo, qui fictus acceſſerat, fit ut non denuo baptizetur, ſed ipſa pia correctione & veraci confeſſione purgetur, quod non poſſet ſine Baptiſmo, ut quod ante datum eſt, tunc valere incipiat, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Et lib. 7. c. 53. inquirens in validitatem Baptiſmi in Eccleſia ficte dati vel accepti, contendit nihil intereſſe, an hoc fiat in Eccleſia, an extra Eccleſiam: in Eccleſia autem ſi factum fuerit, cum hoc proditur, neminem Baptiſmum repetere, ſed culpa aut excommunicatione puniri, aut Pœnitentia ſanari: *An plus valent*, inquit, *ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad fruſtrandum illi fallaces, a quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamen ſi poſtea prodatur, nemo repetit, ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo ſanatur.* *Ibid. p. 89. C.* *Ibid. p. 102. A. B.*

Quin & ipſi Donatiſtæ, etſi concederent Baptiſmum apud ſe cum perverſa diſpoſitione perceptum, expertem eſſe gratiæ, eum tamen non repetebant, cum ſublata fictione vires ſuas exercet. Inde S. Aug. argumento ad hominem eos premit, & oſtendit non eſſe quoque repetendum Baptiſma datum ad Hæreticis, etſi gratia ſit deſtitutum.

Ratio etiam ſuffragatur. Namque peccatum originale ceteraque ante Baptiſmum, & ſimul cum perceptione Baptiſmi commiſſa, non ſubjacent Eccleſiæ clavibus: neque enim Sacramentum Pœnitentiæ eſt per ſe inſtitutum in remedium peccati originalis, aut actualium, quæ antecedunt Baptiſmum, ſed eorum tantum, quæ ſubſequuntur; igitur ſi remittuntur ejuſmodi peccata, ut de facto ea remitti docet S. Auguſtin. per virtutem Baptiſmi remitti neceſſe eſt, qui velut flumen, repagulis remotis exundat, ac omni obice ſublato, ſopitam antea & quaſi ſuſpenſam efficaciam ſuam ſortitur.

Unde immerito Vaſq. diſp. 159. c. 3. n. 35. ait S. Aug. nullum ex Scripturis, aut Traditione, aut Eccleſiæ definitione, aut ratione argumentum habere, ut Baptiſmo tribuat privilegium quo poſſit, recedente fictione, reviviſcere. S. quippe Doctor non ex ſe tale excogitavit & finxit privilegium, ſed quod a ſuis prædeceſſoribus certa traditione acceperat, hoc ipſe propugnavit & aſſeruit. Inde eſt, quod S. Greg. Magnus l. 9. Epiſtolarum Epiſt. 61. nunc l. 9. Epiſt. 67. ait, *ab antiqua Patrum inſtitutione manaſſe, ut qui in hæreſi baptizati fuerint, aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manuum, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum matris Eccleſiæ revocentur.* Et mox ſubjungit: *Quia ſanctum Baptiſma, quod apud Hæreticos ſunt conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum illi vel per impoſitionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel iſti propter confeſſionem veræ fidei, ſanctæ, & univerſalis Eccleſiæ viſceribus ſunt uniti.* *T. 2. p. 1167. B.*

Tertia pars Concluſionis, nempe peccata poſt Baptiſmum commiſſa remitti per pœnitentiam,

Probatur: Quia Sacramentum Pœnitentiæ, non vero Baptiſmi a Chriſto inſtitutum eſt in remedium peccatorum, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt, iſta enim ſubjacent clavibus Eccleſiæ; alias Pœnitentia lapſis poſt Baptiſmum non eſſet abſolute neceſſaria, utpote qui poſſent, fictione

recc-

recedente, virtute Baptismi peccatorum veniam consequi; atqui tamen hoc falsum est: ergo &c.

Idem judicandum de peccato ipso fictionis in quo quis Baptismum percipit; deleri quippe debet per pœnitentiam: tale siquidem peccatum natura posterius est ipso Baptismo; adeoque verum sacrilegium ex indigna Baptismi perceptione: quamobrem necesse est illud per pœnitentiam expiari ac deleri.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam & secundam Conclusionis partem. Sanctus Augustinus citato c. 12. l. 1. de Baptismo tribuit remissionem peccatorum pœnitentiæ, seu *piæ correctioni & veraci confessioni*: non ergo Baptismo redivivo tribuenda est.

Resp. dist. ant. Tribuit pœnitentiæ, tanquam removenti prohibens, seu obicem, concedo: tamquam causæ effectrici, nego. Eodem quippe modo peccatorum remissionem in Baptismo ficte in Ecclesia percepto, recedente fictione, tribuit ipsi Pœnitentiæ, quo professioni fidei, in Baptismo extra Ecclesiam percepto, quando baptizatus sese ad Ecclesiam recipit: atqui ita tribuit fidei professioni hanc peccatorum remissionem, ut velit illam se habere tantum per modum removentis prohibens, non vero per modum causæ vere effectricis; siquidem in utroque isto casu S. Doctor asserit, eumdem esse Baptismum, qui incipit prodesse propter fidei professionem, & conversionem, qui antea inefficax fuerat; igitur virtutem illam adscribit S. Doctor Baptismo tanquam causæ vere effectrici, conversioni autem, & pœnitentiæ, tamquam conditioni obicem removenti.

Objicies 2. Non amplius existit Baptismus, quando fictio per conversionem tollitur; quomodo igitur potest esse vera causa efficiens remissionis peccatorum.

Resp. 1. Baptismum esse dumtaxat causam moralem efficientem, quæ potest agere etsi actu non existat. Sic v. g. mors, & passio Christi semel peracta, causa est moralis meritotia sanctificationis nostræ.

Resp. 2. Baptismum non quidem existere in se, cum sit actio fluens, sed in aliquo suo effectu, nempe charactere, qui, in multorum sententia, tunc Baptismi vices quasi supplens, causa est vera, & efficiens renovationis, & remissionis peccatorum, quæ recedente fictione homini conceditur.

Objicies 3. Inde sequitur Deum bis contulisse homini eamdem facilitatem consequendi per Baptismum plenam, & perfectam peccatorum remissionem. 1. quidem cum actu ei confertur Baptismus. 2. cum recedit fictio, in qua receptus fuerat. Atqui tamen Sancti Patres affirmant semel in unico Baptismo facilitatem hanc nobis esse a Deo concessam.

Resp. nego sequelam majoris. Cum enim unus, & idem sit Baptismus, unus & idem ejus effectus respectu eorumdem peccatorum, quæ ante Baptismum commissa sunt, sive nulla sit fictio, sive cum ea sublata vires suas exerit; non bene infertur, semel, & iterum nobis concessam esse facilitatem illam, qua per Baptismum ab omni peccato perfecte mundamur. Huic quidem objectioni locus foret, si contende-

remus

remus omnia peccata post Baptismum commissa deleri virtute Baptismi, quod certe non contendimus, ut ex dictis constat.

Objicies 4. contra tertiam Conclusionis partem. Eadem gratia, quæ virtute Baptismi, remota fictione, confertur ut deleantur peccata ante Baptismum commissa, deleri quoque debent ea, quæ Baptismum subsecuta sunt: impossibile quippe est, ut unum peccatum sine alio remittatur: ergo peccata quæ post Baptismnm commissa sunt, tolluntur per Baptismum non per Pœnitentiam.

Resp. dist. antecedens. Eadem gratia formaliter sumpta, concedo: principiative, seu sumpta in ratione causæ ac principii illius productivi, nego. Est igitur eadem formaliter gratia, per quam delentur peccata quæ Baptismum sive præcesserunt, sive secuta sunt; non potest quippe peccatum sine alio dimitti: cum igitur per Baptismum confertur gratia, per quam formaliter delentur peccata quæ ipsum præcedunt, eodem prorsus instanti confertur gratia, qua formaliter remittuntur peccata subsequentia Baptismum; sed illa gratia ab eodem effectivo principio non procedit: prior est a Baptismo, altera vero a Pœnitentia; est igitur eadem gratia formaliter quoad suum formalem effectum, sed non eadem quoad principium, seu causam illius productivam.

Objicies 5. Baptizati in hæresi aut schismate olim recepti sunt ab Ecclesia, vel per manus impositionem, vel per confessionem fidei, non vero per Pœnitentiam; ergo censebat Ecclesia, omnia peccata, sive quæ ante Baptismum, sive quæ post commissa sunt, deleri per Baptismum redivivum, non vero per Pœnitentiam.

Resp. neg. ant. cujus falsitas patebit ex dicendis in Tractatu de Sacramento Confirmationis; semper enim præcedebat Pœnitentia, saltem privata, ipsis Hæreticis aut Schismaticis redeuntibus imposita. Unde S. Augustinus ait *eos aut excommunicatione puniri, aut pœnitentia sanari.*

Objicies 6. cum S. Augustinus agit de reviviscentia Baptismi, inter peccata non distinguit, sed omnia indiscriminatim, sive quæ præcesserunt, sive quæ subsecuta sunt Baptismum, deleri ait per Baptismum, fictione recedente.

Resp. Reipsa S. Doctorem distinctionem hanc non adducere, quia ad scopum disputationis quam habebat cum Donatistis, necessaria non erat, neque opportuna: necessaria tamen est illa distinctio ob rationes adductas.

Objicies ultimo: Peccatum fictionis, in quo quis Baptismum percipit, non potest deleri per Pœnitentiam; siquidem tale fictionis peccatum natura prius est Baptismo, ac directe opponitur dispositioni necessariæ ad legitimam ejus perceptionem, quæ Baptismum antecedit.

Resp. nego ant. ejusque probationem. Non enim opponitur tale fictionis peccatum dispositioni necessariæ ad validam Baptismi perceptionem, sed tantum dispositioni necessariæ ad licitam ejusdem perceptionem, quæ natura posterior est valida Baptismi susceptione.

Instabis: Voluntas indigne accedendi ad Baptismum, (in qua consistit fictionis peccatum) natura prior est ipsa susceptione Baptismi, quam voluntas illa imperat.

Resp. dist. ant. Voluntas spectata secundum se, concedo: voluntas ut consummata exterius per indignam Sacramenti perceptionem, nego.

Hoc

Hoc vero posteriori sensu peccatum fictionis completum est; nam essentialiter includit actualem Baptismi profanationem.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Cæremoniis Baptismi.

INtegro, eoque prolixo tractatu hic opus foret, si singulas Baptismi cæremonias, & numero plures, & antiquitate sua venerandas, & significatione graves ac sanctas exponere vellemus. Legi potest eam in rem Opus eruditum Libris quinque distinctum Josephi Vicecomitis Doctoris Collegii Ambrosiani, cui titulus est: *De antiquis Baptismi ritibus ac cæremoniis*. De iis agunt pariter Ordo Romanus, Alcuinus in Libro de divinis Officiis c. de Sabbato sancto, Amalarius lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis, Babanus de Institutione Clericorum lib. 1. Catechismus Conc. Trid. p. 2. num. 6. & Libri omnes Rituales; & inter Recentiores P. Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus.

Inter Veteres quoque de iisdem passim mentionem faciunt Tertullianus, qui Lib. de Corona militis c. 3. sua ætate istas Baptismi cæremo-
P. 101. A. nias solitas observari recenset: *Aquam adituri*, inquit, *aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus. Debinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.*

Similia passim narrant S. Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesibus, S. Ambrosius in Libris de Sacramentis & de Mysteriis, S. Augustin. in Libris contra Pelagianos, ubi exorcismis, aliisque Baptismi cæremoniis probat originalis peccati veritatem.

Sufficiat igitur nobis eas cæremonias strictim delibasse; atque ut commodius id exequamur, eas distribuemus in tres classes, quarum aliæ antecedunt, aliæ comitantur, aliæ sequuntur Baptismum.

Cæremoniæ, quæ præcedunt Baptismum.

Prima eos spectat, qui ad Baptismum vel afferuntur, quales sunt infantes: vel accedunt, eumque postulant, quales sunt adulti. Erga istos multa fieri antiquitus solebant quæ supra exposuimus, cum Historiam Catechumenatus percurrimus.

I. Nomen suum dabant.

II. Catechismo seu doctrinæ sacræ elementis imbuebantur.

III. Multis ac laboriosis operibus probabantur.

IV. Scrutinia instituebantur numero septem, quibus vitæ eorum probitas cognoscebatur.

V. Satanæ, & pompis, & Angelis ejus renunciabant.

VI. Variis pulsabantur interrogationibus, an crederent in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum sanctum.

VII. Signum Crucis in fronte & pectore imprimebatur: quin in singulis scrutinis, vel a Presbyteris, vel a Clericis imprimebatur illud signum cru-

crucis. Hujus cæremoniæ meminit sanctus Basilius lib. de Spiritu sancto c. 27. sanctus Augustinus lib. de catechizandis rudibus c. 20.

VIII. Exorcismis, id est adjuratione quadam certis precibus facta, dæmon ab homine baptizando abigebatur. Hujus cæremoniæ mentionem faciunt sanctus Justinus Dial. cum Tryphone, Tertull. de Præscriptionib. c. 41. sanctus Cyprianus Ep. 2. sanctus Augustinus lib. 2. de Gratia & peccato originali c. 40. & l. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 26.

IX. Exsufflatio quædam exorcismis addebatur: namque & verbis exorcismorum pelluntur dæmones; & exsufflatione, eorum expulsio, simulque afflatio boni Spiritus denotatur. Ita sanctus Augustinus l. 6. contra Julianum c. 2. & lib. de peccato originali c. 40. & l. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 17.

X. Sal degustandum datur; quo significatur vitæ incorruptio ac bonorum operum sapor. Ritum hunc referunt Origenes Hom. 6. super Ezechielem, & Conc. Carthaginense III. can. 5. Alicubi dabatur panis benedictus, ut antea observavimus ex sancto Augustino l. 2. de pecc. mer. & rem. c. 26.

XI. Nares & aures saliva tanguntur, & dicitur *Ephetà*, id est; *adaperire*. Hujus ritus meminit sanctus Ambrosius l. 1. de Sacramentis c. 1. & de iis, qui initiantur c. 1.

XII. Sacerdos manus imponit & benedicit. Ita Conc. IV. Carthaginense c. 85. sanctus August. l. 2. de peccat. mer. & rem. c. 26.

XIII. Unguntur Catechumeni oleo benedicto ante Baptismum in pectore & scapulis, ungendi postea chrismate post Baptismum in vertice. Ita sanctus Clemens lib. 3. Recognitionum. sanctus Chrysostomus Homil. 6. in c. 2. Epistolæ ad Colossenses, sanctus Ambrosius lib. 1. de Sacramentis c. 2. & lib. 2. c. 7.

Cæremoniæ, quæ Baptismum comitantur.

Prima est aquæ baptismalis consecratio; de qua sanctus Cyprianus Epistola 70. ad Januarium. *Oportet ergo*, inquit, *mundari & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Ejusdem consecrationis meminere Tertullianus lib. de Baptismo c. 4. sanctus Cyrillus Jerosolymit. Catechesi 3. sanctus Gregor. Nyssenus Oratione de Baptismo, sanctus Epiphanius hæresi 30. sanctus Chrysostomus in Psalm. 22. sanctus Ambrosius l. 1. de Sacramentis c. 5. sanctus Augustinus lib. 6. de Baptismo c. 25. p. 115.

ADDITIO.

(*)

Consecrabatur autem a Græcis in Theophaniis, a Latinis sabbato Paschatis, aut Pentecostes. Aquam porro in Theophaniis benedictam, non minorem illam, sed quam Græci appellant μέγαν ἁγιασμὸν grandi prodigio, longo annorum curriculo incorruptam, & sine vitio stare, habemus testem locupletissimum D. Chrysostomum Hom. de Bapt. Christi; sic autem ait: In hac

sollemnitate sub mediam noctem omnes ὑδρευσάμενοι, cum aquam acceperint, domum latices referunt, ac recondunt, & per integrum annum conservant; utpote quod hodierna die sanctificatæ sunt aquæ, *scilicet Christi Carnis contactu in Jordane*. Fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno, atque adeo biennio triennioque sæpe, quæ hodie fuit hausta, incorrupta, & recens permanet, ac post tantum temporis, cum iis, quæ nuper fuerint e fontibus eductæ certat. *Prodigium postrema hac etiam ætate renovatum fuisse Romæ memorat Leo Allatius, ipsos triginta annos servata absque omni labe aqua. In civitate vero Aquensi consecratam ritu Græcorum aquam an. 1676. a Josepho Georgerino Archi-Episcopo Samos insulæ, stetisse multis annis integerrimam refert Pagius ad annum Christi 29. Cum vero hæc testimonia, & exempla ad quotidianum pietatis adminiculum, alendamque popularem devotionem, & Sacramentum aquæ commendandum valeant magnopere; græci inde latinis struxere calumniam, nec consimili prodigio aquam ritu ipsorum benedictam a Deo illustrari in vulgus sparserunt: quo fiebat ut rudis plebecula in sacrorum Latinorum contemptum simul adduceretur, simul in ritu Græco atque erroribus, & schismate animum obfirmaret.*

Occurit primus, quod sciam, calumnia Manuel Calecas l. 4. contra Græcos, cujus vestigiis diligenter inhæsit Richardus lib. de sacra expeditione in insulam S. Irenes, & calumniam retudit. Manuel ait primum, illa jactatione impotente aquæ incorruptæ, nil Græcos aliud efficere, quam ut Eucharistiæ mysterium, cujus species corruptioni obnoxias esse novimus, in periculum, & suspicionem adducat. Deinde aquæ etiam Latinorum ritu consecratæ sabbato Paschatis, aut Pentecostes, quæ in secreto tutoque loco asservatur, prærogativam eamdem vindicat. Ad extremum prodigium id omne, quod jactatur, elevat, & naturali quadam percolatione fieri asseverat, ut non modo pura perstet, sed limpidior etiam in dies evadat: cujus rei argumentum ex vino ducit, cui quamquam crassioris materiæ sit, id ipsum usuvenire solet. Raynaudus quoque Tom. 13. evenire hoc totum ex accurata vasorum obturatione ait, quodque æri accessus non pateat. At nos non detrahemus Græcis prodigium, quo tantopere lætantur; dabimus hoc, quidquid est, precum virtute contingere, in hunc exim modum precatur in Euchologio & menœis ad 6. Januarii apud ipsos Sacerdos: Da huic aquæ benedictionem Jordanis, incorruptionis fontem; *neque tamen sic etiam est, cur Ecclesiæ latinæ detrahant; quando nec nobis plurima desunt testimonia, quæ in nostris etiam Ecclesiis idem sive naturæ, sive precum prodigium frequentari ostendant. Gretserus l. 2. de benedictionibus c. 10. narrat Annam Netken Parthenonem Rigensem in Livonia, post regionis defectionem ad Lutherum constantissimam in fide catholica heroinam, ipsos 40. annos, mundam, nitentemque asservasse aquam Ecclesiæ precibus consecratam, atque hoc præsidio ægritudines ipsaque dæmonia exegisse corporibus. Et Christianus Lupus P. 5. in canones, in Monasterio Haldeslebiensi prope Magdeburgum refert fontem baptismalem annis sexaginta incorruptum stetisse. Atque, ut domestico finiamus exemplo, prodigium consimilis ad posterorum memoriam transmisit Jacobus Collegiatæ Canonicorum Ecclesiæ Stainzensis Præpositus doctrina ac pietate illustris. Narrat is lib. Reformationis Styriacæ p. 1. c. 9. Cum commissarii, quibus Hæreseos expellendæ cura demandata fuit, Vveissenfelsiam accessissent, deprehensum in æde S. Laurentii Baptisterium clausum, plenumque, prout scilicet inde ab annis 29. a Catholico Sacer-*

dote

dote consecratum consignatumque fuerat. Referato vero manu Episcopi Baptisterio, cum nitida, ac illimis apparuisset, non minus, quam quæ recens ex fonte purissimo hauritur, aqua, Episcopum omnemque, qui circumstabat, populum, tantæ rei prodigio defixum, dignas Deo laudes accinuisse, atque Ecclesiæ nostræ, quam Hæretici perinde ac Schismatici oppugnant, integritatem hinc etiam concluſisse.

(*)

Secunda spectat locum, & tempus Baptismi.

Quantum ad locum, tempore Apostolorum quolibet in loco Baptismus conferebatur, ut constat exemplo Eunuchi, qui a Philippo dum iter facerent, baptizatus est; & exemplo S. Pauli, qui Stephanæ domum baptizavit. Idem observatum fuit sæviente persecutione, cum nondum licitum erat Christianis templa publica habere, in quibus Sinaxes suas celebrarent. Reddita autem Ecclesiæ pace, non omnibus in locis, sed in iis tantum, quæ Baptisteria dicuntur, licitum fuit baptizare; secluso tamen casu necessitatis.

Quantum ad tempus sollemniter administrandi Baptismum, varia fuit Disciplina.

I. Ecclesia Romana & Africana, aliæque adjacentes, in sollemnitate Paschatis & Pentecostes tantum Baptismum conferre solebant. Constat ex Tertulliano lib. de Baptismo c. 20. ex Siricio S. Pontifice Epistola ad Himerium Tarraconensem, ex sancto Leone Epistola ad Episcopos per Siciliam constitutos, ex sancto Gregorio Magno in Sacramentorum Libro. In Ecclesia tamen Africana additus est dies Epiphaniæ, ut testatur Victor Vitensis l. 2. de persecutione Vandalica.

II. In Ecclesia Gallicana aliquando soli dies Paschæ & Pentecostes deputati sunt sollemni administrationi Baptismatis, ut colligimus ex Gregorio Turonensi l. 5. Hist. Francorum c. 11. & l. 6. c. 27. & l. 8. c. 4. & l. 10. c. 15. & ex Fortunato l. 2. carmine 7.

In eadem tamen Ecclesia sexto sæculo addita est dies sacra Natalis Domini, & Joannis Baptistæ. Ita colligimus ex Avito Viennensi Episcopo Ep. 41. ex Gregorio Turonensi l. 8. Hist. c. 9. Eumdem morem ostendit miraculum quod Ebroduni in Natali Domini, & in Cœna Dominica quotannis circa Baptisterium a S. Marcellino in ea Urbe erectum, teste Gregorio Turonensi lib. de gloria Confessorum c. 6. contingebat.

Baptizandi in Natalitiis Christi, Apostolorum ac Martyrum festivitatibus praxis, sexto labente sæculo a Patribus alterius Concilii Matisconensis an. 581. abrogata est, quæ abrogatio extra Gallias vim non habuit.

Apud Hibernos & Anglos sollemnior Baptismus olim traditus fuit in Paschate, Pentecoste, Natali Domini, & Epiphania. Constat ex Synodo altera S. Patricii c. 19. ex S. Gregorio Magno l. 7. Epistolarum Epist. 30.

Apud Hispanos præter Pascha & Pentecosten, Natalis dies Domini Baptismo consecratus fuit. Patet ex Valafrido L. de divinis Officiis c. 26.

Disciplinam quam hactenus indicavimus, ante duodecimum sæculum apud Occidentales desiisse, fidem facit Rupertus Abbas, qui an. 1135. obiit lib. 4. de divini s Officiis cap. 18. *Postquam*, inquit, *Christianitas crevit . . . . quia periculosum erat tantam multitudinem differre, pro-* T. 2. p. 792. col. 1.

pter occasiones mortis .... visum est sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentia baptizandi concessa, imo oblata, cuncta antevenire pericula.

In Ecclesia Orientali dies sollemnis Baptismi erant Pascha, Pentecostes & Epiphania Domini. Constat ex sancto Hieronymo Ep. 61. ex sancto Chrysostomo Serm. 36. de Pentecoste sancto Gregorio Nazianz. Oratione 39. Lege Goarium in suis ad Euchologium Græcorum notis, eo præsertim loco, quo majoris aquæ benedictæ in sanctis Theophaniis ritum describit.

P. 232. B. Omni porro tempore valide posse Baptismum conferri, observat Tertullianus l. de Baptismo c. 19. *Ceterum*, inquit, *omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo: si de sollemnitate interest, de gratia nihil refert.*

Tertia cæremonia est nominis impositio.

Quarta, ut essent susceptores qui baptizatum de sacro Fonte levarent, & postea diligentius eum de fide instituerent. Tertullianus L. de Baptismo eos appellat *sponsores*, quia fidem suam pro baptizato obligant. Vide sanctum Basilium Epist. 128. sanctum Chrysostomum Hom. 12. in primam ad Corinthios c. 4. S. Augustinum Serm. 116. de tempore.

Quinta, est trina immersio, vel infusio aquæ, de qua superius satis dictum fuit.

Cæremoniæ, quæ sequuntur Baptismum.

Prima videtur fuisse osculum pacis, in signum unionis, ac fraternitatis cum baptizato. S. Cyprianus Epistola ad Fidum.

Secunda, est unctio chrismatis in vertice. Damasus in vita Sylvestri, Innocentius I. Epistolæ 1. c. 3. S. Ambrosius l. 3. de Sacramentis c. 1. sanctus Hieronymus Dial. contra Luciferianos.

Tertia, est cereus accensus, qui datur baptizato in signum fidei & gratiæ acceptæ, & translationis ipsius a potestate tenebrarum ad lumen & sortem Sanctorum. S. Gregor. Nazianz. Oratione in sanctum Lavacrum, sanctus Augustinus in Psalm. 65.

Quarta, est vestis candida, quam ferre solebant a Sabbato sancto usque ad Dominicam in albis. Illius mentionem faciunt S. Dionysius, aut quisquis auctor est Libri de Ecclesiastica Hierarchia c. de Baptismo, sanctus Ambrosius lib. de iis, qui initiantur c. 7. sanctus Augustin. Serm. 157. de tempore.

Ultima, fuit delibatio lactis & mellis, quæ jam in usu non est. Illius cæremoniæ meminere Tertull. lib. de Corona militis c. 3. & sanctus Hieron. Dial. adversus Luciferianos, ubi ait id fieri solitum in signum novæ infantiæ in Christo. Unde in Missa Dominicæ in Albis legitur propter Neophytos istud ex Epist. S. Petri: *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.*

Quæres, an si cogente necessitate Baptismi cæremoniæ omissæ fuerunt, illa recedente supplendæ sint.

Resp. mentem, ac praxim Ecclesiæ semper fuisse, ut supplerentur; habent enim illæ omnes utilitatis plurimum, ac pietatis, nec frustra eas Ecclesia instituit, ac jussit observari.

Dices: Nonnullæ ex illis, v. g. exorcismi, inutiles prorsus videntur post Baptismum, omnique sensu & effectu carere. Ad quid enim illi instituti sunt, nisi ad expellendum, ac fugandum dæmonem? *Exi ab eo, immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto paracleto*, ait minister. Atqui per Baptismum jam expulsus fuit dæmon, jam in baptizato Spiritus san-

sanctus inhabitat: quam ergo efficaciam, quam significationem habere possunt illi exorcismi? Nonne Spiritu sancto injuriam inferre potius videri possunt, quasi cum ipso dæmon in homine baptizato cohabitaret? *Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum sanctum?* inquiebat Optatus l. 2. de Schismate Donat. n. 21.

Resp. 1. Ecclesiæ imperanti prompto animo obsequendum esse, tametsi causas & rationes rei imperatæ ignoremus. Velle autem Ecclesiam, ut exorcismi omissi suppleantur, ex Rituali Romano ceterisque aliis fere omnibus particularium Ecclesiarum Libris, ac Provincialibus statutis, ita compertum est, ut negari non possit.

Resp. 2. S. Thomam propositæ objectioni sic respondere 3. p. q. 71. art. 3. ad 3. *Ea*, inquit, *quæ aguntur in exorcismo, ordinantur ad removendum impedimenta, & ideo sine eo potest aliquis consequi effectum Baptismi. Non tamen sunt hujusmodi prætermittenda, nisi in necessitatis articulo; & tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in Baptismo. Nec frustra supplentur post Baptismum: quia sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur; ita potest impediri, postquam fuerit perceptus.* Et in 4. lib. Sent. dist. 6. q. 2. art. 3. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quod ad hoc quod uniformitas Baptismi observetur, oportet quod exorcismus, si prætermissus fuerit, post Baptismum suppleatur, & tunc tantum signat, vel forte additur etiam aliqua cohibitio ab impugnatione diaboli. Nec hoc est inconveniens, cum etiam per aquam benedictam, qua post Baptismum aspergimur, aliqua potestas dæmonis reprimitur.* Hæc sanctus Thomas. Sicut igitur gratia virtute Baptismi collata, non obstat, quin per cæremonias, quæ Baptismum sequuntur, beneficii aliquid spiritualis percipiamus: ita etiam tametsi jam per Baptismum expulsus sit ac conjuratus dæmon, nihilominus cum accedunt subinde exorcismi, qui omissi fuerant, inutiles omnino, ac superflui non sunt; licet enim dæmonem non expellant, qui jam expulsus est, vires tamen ipsius reprimunt, vim elidunt tentationis, & ardorem concupiscentiæ temperant. Adde, quod quemadmodum iis, qui ex charitate perfecta jam sanctificati accedunt ad Baptismum, inutilis non est Baptismus, imo cum percipi potest, necessarius, quia nonnisi per ordinem ad illum, & ex voto illius gratia concessa fuit; ita & expulsio dæmonis jam facta, exorcismo subsequenti, quem respiciebat, suo modo tribuenda est.

Optatus loco citato ne verbum quidem habet de Baptismo, & exorcismis illi annexis. Unice invehitur in audaciam & furorem Donatistarum, qui Catholicos Episcopos & Sacerdotes de gradu suo, infando, ac sacrilego ritu, contra jus omne dejecerant; sicque vel ipsimet Spiritui sancto, a quo illi ordinati fuerant, injuriam intulerunt, seu, ut loquitur Optatus, ipsum *Spiritum sanctum exorcizarunt, quo nihil iniquius. Perfecti fuerant illi*, ait Optatus, *opere scilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati, & vos contra opus Dei hostiliter militatis. Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum sanctum, altaria frangere, Eucharistiam animalibus projicere? Docete, ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum, cum e contrario sint tot exempla proposita fieri non debere.*

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS.

QUinque de Sacramento Confirmationis quæstiones proponemus.

Prima erit de natura & partibus, quibus constat.

Secunda, de necessitate.

Tertia, de causis.

Quarta, de effectibus.

Quinta denique, de cæremoniis Sacramenti Confirmationis.

In ipso vero harum Prælectionum limine more nostro præmittimus Canones Tridentinos circa Confirmationem Sess. 7.

Can. 1. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

QUÆSTIO PRIMA.

De natura, seu partibus, quibus constat Sacramentum Confirmationis.

UT natura, & partes, quibus constat Confirmationis Sacramentum, recte, ut par est, intelligantur, quatuor sunt totidem Articulis expendenda.

I. Nomen & definitio Sacramenti Confirmationis.

II. An Confirmatio verum sit, & proprie dictum novæ Legis Sacramentum.

III. Quæ sit ejus materia.

IV. Quæ ejusdem forma.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & definitione Sacramenti Confirmationis.

VAria ſunt apud Auctores Eccleſiaſticos hujus Sacramenti nomina: alia petuntur ab ejus materia, alia a forma, alia denique ab ejus effectu: A materia.

Dicitur 1. *manus impoſitio*. Fundamentum habet in Actibus Apoſtolorum c. 8. v. 17. *Imponebant* (nempe Apoſtoli) *manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. Ita paſſim Veteres, ſanctus Cyprian. Ep. 73. ad Jubajanum, ſanctus Hieronymus Dial. adverſus Luciferianos, ſanctus Auguſt. l. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 16. & alii.

Dicitur 2. *Sacramentum chriſmatis & unctionis*, nempe ab unctione & chriſmate, quod ſolet in illo uſurpari. Ita S. Aug. L. contra Litteras Petiliani c. 104. *Unguenti myſterium*, a S. Dionyſio lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 4. *Chriſma ſpiritualis unguenti*, a Theodoreto ad c. 1. Cantici Canticorum: *Chriſma ſanctum, & ſupercæleſte*, a Concilio Laodiceno can. 7. & 48. Denique, *Chriſma ſalutis*, a S. Leone Serm. 4. de nativitate Domini c. 5.

A forma, aut quaſi forma qua adminiſtratur, dicitur *Signaculum* a Cornelio S. Pontifice in ſua ad Fabium Antiochenum Epiſtola apud Euſebium l. 6. Hiſt. c. 43. ubi loquens de Novato, qui in lecto baptizatus, Sacramentum Confirmationis ſubinde percipere neglexerat, ait: *Hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere?* Ita pariter appellatur a S. Cypriano Epiſt. 73. ad Jubajanum, a S. Ambroſio L. de Myſteriis ſeu de Initiandis c. 7. a S. Leone Sermone 4. de nativitate. Communis eſt apud Græcos præſertim hæc nuncupatio, a quibus Confirmatio σφραγὶς *ſignaculum* dicitur. Hinc iſta ſollemnis apud eos inter ungendum forma uſurpata: *Signaculum doni Spiritus ſancti*. P. 244. B.

Ab effectu dicitur *perfectio*, a Concilio Eliberitano c. 38. a ſancto Ambroſio l. 3. de Sacramentis c. 2. Ratio eſt, quia homo baptizatus fit perfecte, ac plane Chriſtianus per acceſſionem gratiæ roborantis, ac confortantis, quæ propria eſt Sacramenti Confirmationis. Dicitur 2. *Conſummatio* a ſancto Cypriano Epiſtola citata. Unde S. Th. 3. p. q. 72. art. 1. ad 2. appellat Confirmationem, Sacramentum *plenitudinis gratiæ*. Et in 4. diſt. q. 1. art. 1. q. 2. ad 1. *Eſt*, inquit, *plenitudo gratiæ Chriſtianæ ſufficiens ad ſalutem, & hæc datur in Baptiſmo; & plenitudo gratiæ ad fortiter reſiſtendum, & hæc datur in Confirmatione*.

Dicitur 3. uſitato & communi nomine, *Confirmatio*, quia robur & vires ſubminiſtrat ad fidem Chriſti intrepide profitendam. Ita Catechiſmus Conc. Trid. parte 2. n. 17. *Chriſmatis Sacramento*, inquit, *adverſus omnes carnis, & mundi & diaboli impetus robuſtiores fiunt* (baptizati;) *& eorum animus fide omnino confirmatur ad confitendum & glorificandum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo etiam nomen ipſum inventum eſſe, nemo dubitat*. Ita quoque Conc. Senonenſe an. 1528.

Recens non eſt iſtud Confirmationis nomen, ſed jam pridem a Veteribus uſurpatum: a Concilio I. Arauſicano an. 442. a tertio Arelatenſi an. 455. a ſancto Hilario Arelatenſi, qui ſubſcripſit Concilio I. Arauſic.

Homil. de Pentecoste, quæ vulgo cum ceteris sub nomine Eusebii Emisseni laudari soleat. Et antea a. 315. a Synodo Romana sub Sylvestro, si fides habeatur Actis, quæ Sylvestri nomine circumferuntur. Unde Beda qui an. T. 8. p. 735. extremum diem obiit, Commentario in Psal. 26. testatur suo tem- 558. a. pore unctionem, quæ per manuum impositionem datur ab Episcopis, vul- 70.] go Confirmationem appellari solitam fuisse; quo etiam nomine a Conciliis Florentino, & Tridentino, & a tota Ecclesia solet appellari.

Definitur aut potius describitur Confirmatio, Sacrum & sensibile signum a Christo Domino institutum, a solis Episcopis tamquam ordinariis ministris collatum, in Religione perpetuum, ad conferendam homini baptizato gratiam roborantem ac confirmantem, qua Christi fidem constanter, & intrepide profiteatur.

Nihil in hac descriptione continetur, quod ad fidem Catholicam non pertineat; ac consulto abstinuimus a facienda mentione vel materiæ, vel formæ, de quibus litigant inter se Scholæ Theologi.

Omnes hujus definitionis partes facile constant ex iis, quæ generatim diximus de definitione Sacramenti. Aliæ quippe tenent locum generis, & communes sunt omnibus Sacramentis, nempe quod sit signum sacrum sensibile a Christo Domino institutum, perpetuum in Religione, gratiæ productivum, aliæ vero locum tenent differentiæ, nempe quod producat gratiam roborantem, & confortantem, ad fidem Christi constanter profitendam.

Brevius Confirmatio definitur: Sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizatis datur Spiritus sanctus, ad fidem Christi constanter, & intrepide profitendam.

ARTICULUS II.

An Confirmatio sit verum, & proprie dictum novæ Legis Sacramentum.

ERRORES.

INter veteres Hæreticos soli Novatiani veniunt in suspicionem negati Sacramenti Confirmationis: dico in suspicionem; res enim satis explorata non est, ut pro certa & judicata habeatur. Cornelius quidem S. Pontifex in sua ad Fabianum Antiochenum Epist. apud Eusebium l. 6. p. 224. D. c. 43. narrat, Novatum, postquam a morbo liberatus est, ab Episcopo consignatum non fuisse; an vero ex errore, aut ex sola negligentia omiserit ille percipere Sacramentum Confirmationis, non exponit S. Pontifex. Solus Theodoretus l. 3. hæreticarum fabularum, de Novatianis ait: T. 4. p. *Iis, quos baptizant, Sanctissimum Chrisma non præbent. Quapropter eos qui* 229. D. *ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt.* Verum alii Scriptores, qui de Novatianis locuti sunt, ut Philastrius, sanctus Epiphanius, sanctus Augustin. sanctus Damascen. sanctus Pacianus, de hoc illorum errore prorsus silent; nisi velis sanctum Pacianum Ep. 3. ad Sympronianum hunc Novatianorum errorem indigi- Bibl. PP. tare, cum ait: *Vestræ plebi unde Spiritus, quam non consignat unctus Sacer-* T. 4. p. *dos?* Et ante hos omnes Concil. Nicænum I. Can. 8. Novatianorum er- 309. G. rores perstringens, omnino silet errasse illos circa Confirmationem.

Dallæus l. 3. de Sacramento Confirmationis c. 17. non altius originem, veri-

veritatem, & præsidium sententiæ Lutheri circa Confirmationem repetit, quam a Valdensibus, Vviclefitis, & Hussitis. Præclara vero antiquitas, quæ undecimum sæculum non antecedit! Præclarum præsidium, quod a Novatoribus rogatur! tales Dallæo anteceſsores ac patronos non invidemus.

Quamquam neque Valdenſes, neque Vviclefitas, neque Huſſitas eo in errore Novatoribus noſtris præiviſse facile concedimus.

Non Valdenſes, qui in ſua ſollemni profeſſione fidei Uladislao Regi Hungariæ oblata, agnoſcunt *ſeptem numero Sacramenta*; & de noſtro Sacramento Confirmationis ajunt: *Fide ex divinis Scripturis ſumpta profitemur temporibus Apoſtolorum illud obſervatum fuiſſe*. Et apud Reinerum c. 5. gloriantur Valdenſes, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum conferant. Itaque non circa veritatem Sacramenti Confirmationis erraruntilli, ſed 1. circa ejus miniſtrum, quem ordinarium volebant eſſe Presbyterum. Ita colligitur ex Reinero. 2. circa conſecrationem chriſmatis & aquæ baptiſmalis, quam dicebant omnino ſuperfluam. Ita Phlichdorfius. 3. circa unctionem, quam humanum eſſe inventum aſſerebant. Ita Æneas Sylvius. Adde, quod apud Reinerum non legi, Valdenſes Sacramentum Confirmationis reprobant; ſed, *non curant*. Ait quidem eos *omnia Sacramenta damnare*: non quod omnia rejiciant, niſi velit Dallæus eos, & Baptiſmum, & Euchariſtiam pariter rejeciſſe, quod ille haud dubie non fatebitur; damnant vero in iis multa, quæ immerito inducta eſſe contendunt, v. g. in Baptiſmo Catechiſmum, ſuſceptores, & alia hujuſmodi.

Bibl. PP. T. 25. p. 265. E.

Tom. 12. Conc. p. 46. E.

Non Vviclefitas, a Vviclefo ſic dicti, Lollardi vulgo nuncupati, qui circa annum Chriſti 1370. extorti ſunt. Namque inter articulos Vviclefi in Concilio Conſtantienſi Seſſione 8. damnatos, ſemel tantum mentio fit Confirmationis, art. nempe 28. in quo non veritas hujus Sacramenti, ſed miniſter tantum impetitur. En verba hujus articuli: *Confirmatio juvenum, locorum conſecratio reſervantur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris*. Quapropter Guillelmus Vvidefordus qui ex profeſſo errores Vviclefi confutavit, iſtum dumtaxat 28. articulum circa Confirmationem carpit, & impugnat.

Non etiam Huſſitas, qui & Thaboritæ dicti ſunt; quia, teſte Ænea Sylvio, iſti eamdem cum Vviclefo docuere: at Vvicleſus non circa ſubſtantiam Sacramenti Confirmationis, ſed ejus tantum miniſtrum, quem volebat eſse ſimplicem Sacerdotem, erravit.

Petrus Vallecernenſis Monachus Ciſtercienſis eum errorem adſcribit Albigenſibus, Hiſtoriæ ſuæ Albigenſium c. 2. ſicut & Alanus ipſi coætaneus.

Itaque inter Novatores, Lutherani, & Calviniſtæ aperta fronte veritatem Sacramenti Confirmationis aggreſſi ſunt, quam dicunt meram eſſe ac otioſam Baptiſmi cæremoniam, ſeu Catechiſmum quemdam, quo baptizati ab Epiſcopo interrogati, fidei ſuæ rationem reddere tenentur.

Ex Can. 1. Conc. Trid. ſeſs. 7. aperte cognoſcitur, quis ſit error Novatorum circa Confirmationem. Inverecunde omnino ac impie Calvinus *oleum Confirmationis pollutum* appellat *diaboli mendacio*; *abortivam Sacramenti larvam; atque inter exitiales ſatanæ præſtigias recenſendum eſſe*, contendit. Novatoribus ea quoque in parte adhæſit Antonius de Dominis l. 5. de Republ. Eccleſ. c. 5.

Inſt. L. 4. c. 19. p. 538.

Inter recentiores Calviniſtas nullus majori doctrinæ apparatu adverſus Confirmationis Sacramentum ſcripſit, quam Joannes Dallæus, editis eam

in

in rem tribus Libris, in quorum primo totus est, ut probet Sacramentum Confirmationis nulla arte posse ex Sacris Litteris inferri, in duobus vero postremis, omnia Catholicorum argumenta ex SS. Patribus, & constanti Traditione Ecclesiæ deprompta, elevare, & alio plane inflectere nititur: sed conatu plane infelici, ut in decursu hujus Tractatus ostendemus. Quod ut distinctius exequamur, duo hic sejunctim exponenda sunt.

Primum, utrum veritas Sacramenti Confirmationis possit efficaciter probari ex Scripturis.

Secundum, utrum possit probari ex constanti, & perpetua Ecclesiæ totius Traditione.

Utrum veritas Sacramenti Confirmationis efficaciter probari possit ex Scripturis.

Opiniones Scholasticorum.

Inter Scholæ Magistros, qui existimant Sacramentum Confirmationis non fuisse a Christo, neque ab Apostolis institutum, sed ab iis rem Sacramenti sine Sacramento fuisse collatam, ii consequenter putant, ex Scripturis colligi non posse veritatem Sacramenti Confirmationis. Ita Alexander Alensis Summæ par. 4. quæst. 9. membro 1. *Sine præjudicio*, inquit, *dicendum, quod Dominus neque hoc Sacramentum, ut est Sacramentum, instituit, neque dispensavit, neque Apostoli. Intelligendum est igitur, quod post Ascensionem Domini congruebat Apostolos confirmare, & illi Spiritum sanctum dari ad robur .... unde Apostoli confirmati sunt a Spiritu sancto immediate, sine ministerio, & Sacramento; & ipsi deinde confirmabant sine Sacramento ... Sed postquam Apostoli... defecerunt, institutum fuit hoc Sacramentum Spiritus sancti instinctu in Concilio Meldensi, quantum ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus sanctus contulit virtutem sanctificandi.*

T. 4. p. 198. col. 1.

Hujus opinionis (certe improbabilis, ne quid amplius dicam) meminit S. Th. 3. par. quæst. 72. art. 1. ad 1. *Circa institutionem hujus Sacramenti*, inquit, *triplex est opinio. Quidam enim dixerunt, quod hoc Sacramentum non fuit institutum nec a Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio. Alii vero dixerunt, quod fuit institutum ab Apostolis. Sed hoc non potest esse; quia instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo. Et ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo... & hoc ideo quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem.*

Inter eos vero, qui existimant Confirmationis Sacramentum fuisse a Christo institutum, alii negant id posse ex Sacris Litteris demonstrari, sed ad unam confugiunt Ecclesiæ Traditionem, ut Scotus in 4. dist. 7. ad 1. Gabriel eadem distinctione qu. unica. Alii putant ex Scripturis colligi id quidem posse, sed inefficaciter, ut Dominicus Soto in 4. dist. 7. art. 1. Gregorius de Valentia Tom. 4. disp. 5. q. 1. pun. 1.

Inter illos autem, qui contendunt probari posse efficaciter ex Scripturis veritatem Sacramenti Confirmationis, alii probant ex c. 19. S. Matth. v. 15. ubi Christus pueris manus imponit. Alii ex c. 1. v. 21. 2. ad Cor. ubi Apostolus ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Verum

rum dissimulandum non est, infirmum admodum esse genus hoc argumenti ex istis testimoniis depromptum, atque adversariis nostris cavillandi, ac triumphos agendi locum submini strare: tum quia manus illa impositio, qua usus est Christus erga pueros nondum baptizatos, confirmatoria non erat, sed simplex benedictio, quæ hoc ritu solebat a Judæis impendi: tum quia verbum, *confirmare*, & *ungere*, apud S. Paulum usurpatur pro interna gratiæ Confirmatione, & unctione, ut 1. Cor. 1. v. 6. Coloss. 2. v. 7. Hebr. 2. v. 3. Quamquam dici non immerito posset, Apostolum citato c. 1. 2. ad Cor. alludere ad externam unctionem, sicut revera interpretantur aliqui e SS. Patribus; sed cum argumentum istud efficax non sit ac peremptorium, omittendum duximus. Alii denique utuntur aliis Scripturæ testimoniis, quæ mox proferemus.

Neque est, quod Dallæus nobis objiciat hanc nostrorum Theologorum discordiam. Namque illi omnes unanimi consensu fatentur Confirmationem verum esse Legis novæ Sacramentum, licet disputent de materia, & forma, & de ministro, & de genere probationum, quibus confirmari potest dogma Catholicum. Deinde vero fides Ecclesiæ Romanæ non æstimari debet ex placitis Doctorum particularium, sed ex publicis fidei professionibus ab Ecclesia universa probatis, & ubique receptis; atque in hoc luto semper hæret Dallæus, quod privatas nonnullorum Scholasticorum opiniones, tamquam placita, & definitiones Ecclesiæ Romanæ nobis obtrudat. His præmissis, sit

CONCLUSIO.

Veritas Sacramenti Confirmationis efficaciter probatur ex Sacris Litteris.

Ex c. 8. Actor. v. 14. & sequentibus: *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

Et c. 19. v. 5. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.*

Inde sic efficaciter arguimus: Ad verum & proprie dictum novæ Legis Sacramentum quatuor potissimum requiruntur conditiones. 1. ut sit signum sensibile. 2. ut sit a Christo Domino institutum. 3. ut vim habeat producendi seu conferendi gratiam. 4. ut sit perpetuum in Christiana Religione. Atqui quatuor illæ conditiones apprime conveniunt Sacramento Confirmationis, & recte inferuntur ex duplici citato Scripturæ testimonio.

I. Habemus signum sensibile, scilicet *manus impositionem, & orationem.*

II. A Christo Domino institutum esse ritum hunc sensibilem, ipso facto & exemplo Apostolorum constat; neque enim illi nisi jussi, talem ritum usurpassent, & Ecclesiis, quæ fundarunt, reliquissent. Ut enim recte ait Tertull. lib. de Præscriptionibus cap. 21. *Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit.* P. 209. B

III. Si-

III. Signum illud sensibile vim habet conferendi gratiam: *Imponebant manus, & accipiebant Spiritum sanctum*, ait sacer Textus. At nemo est in Sacris Litteris vel tantisper versatus, qui nesciat per *Spiritum sanctum* intelligi (ubi de effectibus Sacramentorum agitur) gratiam sanctificantem, cujus productio per quamdam appropriationem Spiritui Sancto tribuitur.

IV. Denique, signum illud non transitorium & ad tempus institutum fuisse, sed permanens atque perpetuum in Ecclesia, invicte demonstratur ex praxi & usu Ecclesiæ nusquam interrupto, atque ex S. Patribus inferius laudandis, qui testantur idem ætate sua conferri per *impositionem manuum*, quod in Actibus Apostolorum collatum legimus ab Apostolis.

Ritum autem hunc non meram fuisse Baptismi cæremoniam, ut placet Novatoribus, vel ex hoc uno satis declaratur, quod solis Apostolis ejus administratio concessa fuerit, ut iis nempe, qui a Philippo fuerant baptizati, darent per manus impositionem Spiritum sanctum. At si mera fuisset Baptismi cæremonia, quare Philippus, qui Baptismum dederat Samaritanis, eam cæremoniam non usurpasset? An majus quidquam est cæremoniam alicujus Sacramenti celebrare & administrare, quam Sacramentum ipsum?

Solvuntur Objectiones Dallæi adversus probationem ex Scripturis.

Objicit 1. Dallæus l. 1. c. 6. se in laudatis Scripturæ locis nullum oleum sentire, nullum odorari balsamum, quibus tamen nostra constat Confirmatio.

Resp. 1. de fide non esse, oleum & balsamum, seu unctionem, esse materiam essentialem Sacramenti Confirmationis; satis ergo est ad adstruendam veritatem hujus Sacramenti, quod ex Scripturis habeamus signum aliquod sensibile, quale profecto reperitur in manus impositione; & quamquam nostri Theologi disputent inter se de illa materia essentiali, omnes tamen consentiunt esse aliquam determinatam.

Resp. 2. argumentum illud negativum nullius esse ponderis; certum quippe est multa fecisse & usurpasse Christum & Apostolos, quæ litteris consignata non sunt, ut testatur S. Joannes cap. 20. ver. 30. Ergo licet nulla fiat in Scripturis mentio chrismatis, non tamen bene infertur eam ab Apostolis usurpatam non fuisse, nec ab Ecclesia usurpari debere, cum Traditio, quæ altera est fidei nostræ regula, doceat constantem fuisse illius usum in Ecclesia, sicut constabit ex dicendis infra, ubi de materia Confirmationis.

Objicit 2. eodem lib. c. 9. Per Spiritum sanctum, quem Apostoli imponendo manus conferebant, intelligi non debet gratia interior sanctificans, sed tantum donum linguarum, charismatum, & miraculorum, quod primis illis temporibus necessarium erat ad confirmandam fidem, & primordia Ecclesiæ dilatanda. Probat ex c. 2. Joelis ubi dicitur: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri.* Et ex c. ult. S. Marci: *Signa autem eos, qui crediderint*, inquit, *hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient.* Et ex Actibus Apostolorum, ubi passim observatur quod ii, in quos descendebat Spiritus sanctus, loquerentur linguis &c.

Resp. nego ant. Uterque enim designatur effectus Spiritus sancti, & gratia gratum faciens seu sanctificans, & gratia gratis data, seu donum linguarum, miraculorum: atque in eo perpetuo versatur Dallæi fallacia, quæ

a falso

à falso supponente dicitur, ut utrumque aut dividat, aut rejiciat effectum; interiorem a donis separat in primis Christianis, a nobis vero utrumque excludit. Sed immerito prorsus. Prior effectus, præcipuus est, permanens, ac perpetuus, ideſt Sacramento semper annexus, si cum legitima præparatione percipiatur; posterior vero transitorius fuit & ad tempus concessus, ad commendationem rudis fidei, & primordia Ecclesiæ dilatanda. Ita diserte S. Aug. l. 3. de Baptismo c. 16. *Neque enim*, inquit, *temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationes rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari*, Igitur ex S. Augustino, etsi jam desierint dona illa linguarum & miraculorum, quæ primis Fidelibus simul cum gratia sanctificante per Sacramentum Confirmationis conferebantur, ipsa tamen charitas latenter, ideſt sine signis illis conspicuis, in cordibus diffunditur: quæ signa, ait idem S. Doctor Tract. 6. in Joannis Epistolam primam, erant tempori opportuna. *Oportebat enim*, inquit, *ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & transiit.* Male igitur infert Dallæus, aut primis Fidelibus sola dona linguarum & miraculorum data esse per impositionem manuum Apostolorum sine interiore, ac sanctificante gratia, aut jam sanctificantem illam gratiam per eamdem impositionem manus non conferri; quia donis illis conspicuis destituta est. Si distinxisset ille inter effectus Confirmationis permanentes, ac perpetuos, & fluentes, transitorios & tempori accommodatos, objectionem hanc tanta pompa non amplificasset. T. 9. p. 106. F. T. 3. par. 2. pag. 868. C.

Ipsis vero primis Fidelibus cum donis linguarum, etiam interiorem seu sanctificantem gratiam concessam esse per impositionem manuum Apostolorum constat: tum quia eumdem acceperunt Spiritum sanctum qui datus erat Apostolis, teste S. Petro Act. 11. v. 15. *Cum autem*, inquit, *cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut in nos in initio.* At Spiritus sanctus datus Apostolis complectebatur non sola charismatum dona, sed præcipue interiorem gratiam, qua subito mutati sunt in viros alteros, & intrepidi redditi ad fidem Christi profitendam. Tum quia est ille ipse Spiritus, quem Christus promiserat Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Atqui ejusmodi Spiritus non consistit in solis illis donis linguarum, quæ diuturna non fuere. Tum quia ejusmodi dona & gratiæ gratis datæ etiam peccatoribus dari possunt: at isti manentem in se non habent Spiritum sanctum. *In malevolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Habere igitur donum linguarum, & habere in se Spiritum sanctum duo sunt maxime distincta. Tum denique, quia in novo Testamento nusquam dona Spiritus sancti, seu gratiæ gratis datæ, simpliciter & absolute vocantur Spiritus sanctus: ergo ubi legimus datum simpliciter Spiritum sanctum, non sola illa dona intelligenda sunt, sed præsertim gratia interior sanctificans. Sap. 1. v. 4.

Instat 1. Baptizati a Philippo in Samaria, eum Spiritum sanctum acceperunt per impositionem manus Apostolorum, quo antea caruerant: atqui non caruerant

rant Spiritu ſancto, prout importat gratiam ſanctificantem, qua procul dubio in Baptiſmo donati fuerant: ergo acceperunt tantum gratiam gratis datam.

Reſp. diſt. min. Atqui non carnerant gratia ſanctificante regenerante, qua omnia peccata, originale, & actualia perfecte mundantur, concedo: gratia roborante & confortante ad intrepidam & conſtantem fidei profeſſionem ordinata, nego. Hanc enim gratiam, ſive ſpecie diſtincta ſit a gratia baptiſmali, ſive tantum gradu & intenſione, quod hic non inquirimus, ante illapſum Spiritus ſancti non perceperunt Apoſtoli, neque primi Fideles ante impoſitionem manus Apoſtolorum. De illa autem gratia ſingulari loquitur Chriſtus Act. 1. v. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa.*

Inſtat 2. Adventus Spiritus ſancti in Samaritanos exprimitur voce græca ἐπιπεπτωκός, quæ ſignificat, *irruere, illabi, incidere*; at Spiritus ſanctificantis donatio nuſquam in Scripturis iis verbis exprimitur, quæ propria ſunt Spiritus prophetici.

Reſp. non immerito S. Lucam eo verbo uſum fuiſſe, ut nempe utrumque gratiæ genus Apoſtolis datum, nempe gratis datæ, & gratum facientis, ſignificaret. Verbum quippe, quo utitur, ſignificat *irruere, illabi*, ſeu *deſcendere*; utrumque autem apprime illis donis congruit. Irruere quippe idem eſt, ac cum impetu deſcendere; Spiritus enim ſanctus dicitur per modum venti vehementis adveniſſe: illabi vero eſt leniter, ac ſine ſtrepitu deſcendere, quod gratiæ gratum facienti recte adaptatur. Unde Jacobi 1. v. 17. dicitur: *Omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum.*

Inſtat 3. Spiritus ille ſanctus a Philippo nec datus eſt, nec dari potuit, ut Chryſoſtomus, Oecumenius, & alii contendunt: atqui nulla idonea ratio & cauſſa fingi poteſt, cur ab ordinario, eoque excellenti Chriſti ſervo, dari non potuerit ordinarium Spiritus ſancti donum.

Reſp. nego min. Ratio eſt, quod Philippus Epiſcopus non erat, ſed tantum Diaconus; ſoli vero Epiſcopi a Chriſto inſtituti ſunt miniſtri ordinarii Sacramenti Confirmationis: quapropter miſſi ſunt Petrus & Joannes, qui manus imponerent iis, qui a Philippo baptizati fuerant.

Inſtat 4. Qui ab Apoſtolis dabatur Spiritus, movit Simonem magum, ut oblata pecunia cuperet talem ſibi ab Apoſtolis conferri facultatem: at ſi nihil aliud actum eſſet, quam quod in Confirmatione fieri vulgo videmus, non ita fuiſſet affectus Simon.

Reſp. argumentum iſtud fallaciam eſſe, quæ dicitur a falſo ſupponente: ſupponit enim nos concedere primis Fidelibus ſolam interiorem gratiam, ut modo fit, ſine donis conſpicuis datam fuiſſe, quod certe falſum eſt; agnoſcimus enim utrumque gratiæ genus primis illis Fidelibus conceſſum. Simon autem magus avaritiæ & turpis lucri ſtimulis agitatus, ubi vidit mira illa linguarum & miraculorum dona per impoſitionem manus data, ea ſibi oblata pecunia comparare cogitavit, nihil ſollicitus de gratia interiori.

Inſtat 5. Act. 19. Apoſtoli dabant dona linguarum & prophetiæ: ergo erat ille ſolus effectus impoſitionis manuum.

Reſp. eodem vitio laborare argumentum iſtud: quaſi dona illa linguarum & prophetiæ excluderent interiorem gratiam ſanctificantem: utrumque gratiæ genus, & gratis datæ, & gratum facientis, agnoſcimus datum per Apoſtolos, cum baptizatis manus imponebant.

Utrum

Utrum veritas Sacramenti Confirmationis possit efficaciter probari ex constanti & perpetua Ecclesiæ Traditione.

Traditionem hanc duobus Libris integris impugnat Dallæus, in quibus totus est, ut ostendat illam tum manus impositionem, tum unctionem, cujus tam frequentem apud Veteres mentionem occurrere non dissimulat, post annum dumtaxat Christi 160. inductam esse, tamquam meram Baptismi appendicem, seu ritum & cæremoniam. Econtra ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione, ac praxi demonstramus, ritum hunc ab Apostolis ad subsequentes ætates derivatum pro vero Sacramento habitum semper fuisse. Traditionem vero nostram ex quinque fontibus hauriemus.

1. Ex Conciliis.
2. Ex SS. Pontificibus.
3. Ex SS. Patribus.
4. Ex praxi, & usu Ecclesiæ non interrupto.

CONCLUSIO.

Veritas Sacramenti Confirmationis invicte probatur ex perpetua, & constanti totius Ecclesiæ praxi & Traditione.

PRIMA PROBATIO EX CONCILIIS.

Ex Eliberitano in Hispania versus annum 305. Duobus in Canonibus meminit Sacramenti Confirmationis. Canone 38. *Peregre navigantes*, inquit, *aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse Fidelem qui lavacrum suum habet integrum, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum; ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum producat, ut per manus impositionem perfici possit.* *Tom. 1. Conc. p. 974. E.*

Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizavit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si ante de sæculo recesserint, sub fide, qua quis credidit, poterit esse justus.* *Ib. p. 578 F.*

Habemus in hoc duplici Canone, baptizatos debere ad Episcopos duci, ut per manus impositionem & benedictionem perficiantur; idest perfecti Christiani fiant per accessionem gratiæ confortantis & roborantis, qua instructi possint firmi, & intrepidi stare adversus omnes carnis, mundi, & dæmonis tentationes: at hoc ipsum est Sacramentum Confirmationis.

Reponit 1. Dallæus lib. 2. cap. 9. ejusmodi baptizatos, etiam antequam manus ipsis impositæ fuissent, justos fuisse; adeoque illam manus impositionem fuisse tantum meram cæremoniam, non vero Sacramentum necessarium ad obtinendam justitiam.

Refellitur: Quia justi illi quidem erant justitia & innocentia baptismali, quæ sufficit ad vitam æternam; at non justitia illa perfecta, quæ necessaria est ad fortiter sustinendas tentationes omnes, & impetus contra fidem, de qua solum hic agimus.

Reponit 2. in illis Canonibus altum esse de unctione silentium.

Ita est: verum aut ignorat, aut dissimulat Dallæus, non esse apud nos rem ex fide certam, illam unctionem partem esse essentialem Sacramenti Confirmationis, de qua libere & salva fide inter se disputant

Theo-

Theologi. Satis est ad rationem Sacramenti, quod signum aliquod sensibile cum effectu gratiæ interioris habeamus ex duplici illo Canone.

Reponit 3. citato Can. 77. innui Presbyterum, imo & Diaconum in necessitate, absente Episcopo, posse manus imponere, quod certe non permitteret Concilium, si de vero & proprie dicto Confirmationis Sacramento loqueretur.

Verum ne leviſſimum quidem est talis licentiæ Presbyteris vel Diaconibus concessæ vestigium in citato Canone.

Addit Spalatensis lib. 5. cap. 5. n. 35. ista verba Canonis 38. *Qui lavacrum integrum habet*, non obscure significare Confirmationem esse ritum seu cæremoniam & complementum Baptismi.

Verum aberrat ille: verba enim citata referuntur ad laicum, qui in necessitate Baptismum administrat, in quo requirit Canon, ut Baptismum integrum habeat; idest, ut nec inter pœnitentes publicos recenseatur, nec sit bigamus: erat enim hæc duplex causa irregularitatis quæ laicum a sacris Ordinibus arcebat.

Ex Concilio generali Nicæno I. ann. 318. can. 8. & ex Laodiceno ann. 363. can. 48.

T.2.Con. p.31.E. Conc. Nicænum I. Can. 8. decernit: *Novatianos ad Ecclesiam redeuntes recipiendos esse per manus impositionem*. Hanc vero vere confirmatoriam fuisse colligi potest, quia, teste Theodoreto antea citato, ubi de erroribus circa veritatem Sacramenti Confirmationis, Novatiani Sacramentum Confirmationis non conferebant: inde jubet Concilium ipsis redeuntibus manus esse imponendas.

T.1.Con. p. 1514. A. Concilium Laodicenum Can. 48. juxta versionem Dionysii Exigui sic decernit: *Oportet eos, qui baptizantur, post lavacrum chrisma Ecclesiæ accipere, & Regni Christi participes inveniri*. Non potest Confirmationis Sacramentum clarioribus verbis designari.

Atque vana & futilis profecto est Dallæi observatio, Canonem scilicet agere de baptizando, non de baptizato; unde infert unctionem illam esse Baptismi cæremoniam: namque agit Canon de unctione conferenda post Baptismum, ergo homini baptizato.

Ex Arausicano I. an. 441. can. 2. juxta lectionem doctissimi Sirmondi T. 1. Conciliorum Galliæ. *Nullum*, inquit Canon, *ministrorum, qui baptizandi*

P. 71. *recepit officium, sine chrismate unquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem qui in Baptismate quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est, non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Scio quidem graves excitatas esse contentiones inter Jacobum Sirmondum & Petrum Aurelium, circa particulam negantem in ultima parte apponendam vel tollendam, tum circa sensum illius, de qua controversia suo loco inferius, ubi de materia Confirmationis diſseremus: verum sepositis jam his contentionibus, ex ipso Canone manifeste colligitur, Confirmationem esse ritum a Baptismo distinctum, quod unum hic contendimus.

Ex Hispalensi II. an. 619. cap. 7. ubi enumerans ea, quæ Presbyteris

T.5.Con. p. 1666. B. simplicibus non licet administrare, ait: *Nec per impositionem manus Fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare.*

Ex

Ex Cabillonensi II. an. 813. can. 27. *Dictum nobis est*, inquiunt Patres, *quod quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus eisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est, eamdem Confirmationem sicut nec Baptismum iterari minime debere.* Tom. 7. Conc. p. 1278. A.

Ex Parisiensi VI. an. 829. L. 1. c. 33. sic legitur: *Perlatum est ad nos, quod in quibusdam Provinciis plerique Episcopi post perceptionem cibi & potus soleant per impositionem manuum tradere & Spiritum sanctum, quod tam excellenti ministerio prorsus non convenire, & ita deinceps fieri non debere omnibus nobis visum est .... Sicut enim Baptismus, excepta infirmorum causa, nonnisi a jejunis celebratur Sacerdotibus; ita etiam traditio Spiritus sancti .... nonnisi a jejunis celebranda est Pontificibus.* Ibid. p. 1621. D. E.

Denique ex Tridentino Sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam esse cæremoniam, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Ita Lutheri & Calvini figmenta damnat Sancta Synodus. Eadem Sessione Can. 1. de Sacramentis in genere, definit septem esse numero Sacramenta, inter quæ secundo loco Confirmationem recenset. Tom. 10. Conc. p. 779. C.

Secunda probatio ex Summis Pontificibus.

Ex Cornelio in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Euseb. lib. 6. c. 43. de Novato ait, *eum postquam a morbo liberatus fuit*, (propter quem in lectulo jacens baptizatus fuerat) *reliqua non percepisse, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatum fuisse. Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo*, inquit, *Spiritum sanctum potuit accipere?* Signaculum autem illud, quod ab Episcopo confertur, & Spiritum sanctum confert, nonne est ipsummet Confirmationis Sacramentum, quod, si fides Theodoreto habeatur, Novatiani suis non administrabant? Obiit an. 255. P. 254. C. D.

At reponit Dallæus, Ecclesiasticam regulam laudat Cornelius, non Christi institutionem; igitur non de vero Sacramento loquitur, sed de mera cæremonia Baptismi. Præclara vero consecutio! Quasi ea, quæ Christus præscripsit, Ecclesia suis Canonibus, ac Legibus non commendaret, ac præscriberet. Præterea vero, Ecclesiastica illa regula ad quam provocat Cornelius, non spectat institutionem, sed perceptionem Sacramenti Confirmationis, quod primis temporibus ex lege & usu Ecclesiæ cum Baptismo simul & Eucharistia administrabatur; atque conqueritur summus Pontifex, quod Novatus neglexisset illud percipere. Figmentum autem Dallæi est plane absurdum, ea nempe, quæ Novatus percipere neglexit, fuisse lactis & mellis degustationem: de hanc enim ne verbum quidem in Epistola Cornelii, sed de signaculo dumtaxat, quod Episcopus baptizatis imponit, ut accipiant Spiritum sanctum, & quod quidem Novatus neglexit.

At, reponit iterum Dallæus, non obscure colligitur ex eadem Cornelii Epistola, Novatum in Presbyterum ordinatum fuisse a Fabiano Cornelii prædecessore: probabile autem non videri, Fabianum Novato Sacramentum illud Confirmationis non contulisse, si illud pro vero Sacramento agnovisset.

Verum, unde habet Dallæus 1. Fabianum cognovisse Novato in lecto baptizato administratum non fuisse Sacramentum Confirmationis? Nonne

id potuit ignorare, simulata hominis pietate deceptus? 2. Si cognovit, unde habet reipsa Fabianum illud Novato non dedisse, antequam enm in Sacerdotem ordinaret? Cornelius enim de duobus tantum expostulat, quod nempe statim a morbo liberatus cetera non percepisset, quæ juxta regulam Ecclesiasticam percipi debebant; & quod contra Canones fuisset ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus, utpote irregularis propter Baptismum in lecto perceptum.

Obiit an. 417. *Tom. 2. Conc. p. 1246. B. C.*

Ex Innocentio I. Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum c. 3. ubi sic loquitur: *De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrant, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam Presbyteri, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.*

Ex quo S. Pontificis præclaro testimonio tria colligi possunt. Primum, unctionem baptismalem plane diversam esse a confirmatoria: illa enim fit in vertice, hæc in fronte; illam Sacerdotes conferunt, istam soli Episcopi. Secundum, manus impositionem, de qua mentio fit in Actibus Apostolorum, eamdem esse cum confirmatoria, quæ frequentabatur sub finem quarti & initio quinti sæculi. Tertium, per illam manus impositionem & unctionem dari Spiritum sanctum.

Obiit an. 461. *T. 1. p. 156.*

Ex S. Leone Serm. 4. de Nativitate, cujus hæc verba sunt: *Permanete stabiles in ea fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per aquam & Spiritum Sanctum, accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ.* Duplex ibi S. P. Sacramentum distincte commemorat, Baptismum scilicet & Chrisma, seu Confirmationem.

Objicit an. 604. *Tom. 2. p. 1279. C. D.*

Ex S. Gregorio Magno Lib. 14. Epistolarum, Epist. 17. alias Lib. 12. Epistolarum Epist. 32. *Nos*, inquit, *ab antecessoribus nostris traditum accepimus, ut quoties tam de Baptismo aliquorum vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, utrum baptizati vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.*

Et Homil. 17. in Evangelia, *Per nos*, inquit, *fideles ad sanctum Baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionem nostrarum manuum in Deo Spiritum Sanctum percipiunt.*

Libro vero Sacramentorum, in ordine Sabbati sancti, describit idem Summus Pontifex ritum administrandæ Confirmationis.

Tertia probatio ex SS. Patribus.

Infiniti essemus, ac plus æquo crescret volumen istud, si vellemus singulos SS. Patres avitæ fidei testes, ac vindices per ætates singulas percurrendo hic proferre. Nonnullos tantum ex primis sæculis appellabimus, ex quibus catholicum de Sacramento Confirmationis dogma adversus vanos Dallæi impetus asseremus, ac vindicabimus.

Ex

Ex S. Irenæo Lib. 4. adversus hæreses c. 38. alias 75. ubi ait, *Apostoles per manus impositionem dedisse Spiritum Sanctum*. Et c. 18. Libri primi referens impium quoddam Gnosticorum dogma, dicit eos solitos esse ungere baptizatos opobalsamo. Si conjecturæ locus hic esse potest, Gnostici, ceterorum Hæreticorum more, qui omnes fere Ecclesiæ ritus sacrilega imitatione ad se trahebant, hanc unctionem, in similitudinem unctionis confirmatoriæ tunc temporis apud Catholicos usurpatæ, usurparunt. Obiit Martyr an. 202. *Pag.* 284. *n.* 2. *P.* 96. *n.* 3.

Ex Tertulliano Lib. de Baptismo c. 7. sic loquitur: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur. Debinc manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum Sanctum.* Floruit an. 215. P. 226. D.

Lib. de Resurrectione carnis c. 8. *Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* P. 330. B.

Lib. de Præscriptionibus c. 40. observat dæmonem in idolorum mysteriis æmulari res Sacramentorum nostrorum. *Tingit*, inquit, *& ipse quosdam utique credentes, & fideles suos; expiationem delictorum de lavacro repromittit, & si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem.* P. 216. D.

Aperte inde colligitur, Tertullianum agnovisse Sacramentum Confirmationis a Baptismo plane distinctum, quod gratiam conferret; ejusque materiam esse, vel impositionem manus, vel unctionem, vel utramque simul: de hac enim quæstione nondum disputamus, ac satis nobis est ad revincendum Dallæum, nos ex Tertulliano habere signum aliquod sensibile distinctum a Baptismo, cui annexa sit gratiæ productio.

Ex S. Cypriano. (Martyr occubuit an. Christi 258.) Epist. 73. apud Jubajanum loquens de manus impositione a Petro & Joanne Apostolis facta supra recens baptizatos, idem apud nos quoque fieri testatur: *Quod nunc quoque*, inquit, *apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* P. 124.

Et Epist. 7. ad Januarium sic loquitur: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* P. 117.

Ex Firmiliano in Epistola ad S. Cyprianum, inter Cyprianicas 75. *Quando omnis potestas*, inquit, *a gratia in Ecclesia constituta sit, ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi possident potestatem. Hæretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare.* Et postea significat se loqui de Confirmatione, cum ait se loqui de illa manus impositione, quam Paulus imposuit eis, quos baptizaverat. P. 145.

Ex S. Cyrillo Jerosolymitano. (Floruit 4 sæculo) Catecheses scripsit, cujus tertia mystagogica tota est de Confirmatione, sicut duæ præcedentes totæ sunt de Baptismo, & aliæ duæ sequentes de Eucharistia, quia tunc temporis ex recepto usu tria hæc Sacramenta simul conferebantur. In illa itaque tertia Catechesi fuse exponit S. Doctor Sacramentum chrismatis seu

P. 254. C. Confirmationis. *Vobis*, inquit, *postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus: hoc autem est Spiritus sanctus. Et sicut Christus vere crucifixus & sepultus est, atque resuscitatus, vos vero per Baptismum in similitudine quadam, una crucifigi, consepeliri, simulque secum voluit resurgere; ita fit & in hoc chrismate. Ille spiritali oleo exultationis unctus est, hoc est Spiritu sancto; qui idcirco oleum exultationis vocatur, quia est auctor & causa exultationis. Vos vero uncti estis unguento, facti participes & consortes Christi.*

Plura alia ex eodem S. Doctore prætermittimus: satis etenim ex citatis verbis compertum habemus, unctionem illam, cui effectus spiritalis annexus est, a Baptismo distingui, nec meram esse illius cæremoniam, sicut Dallæo placet, nisi pariter velit ille Eucharistiam Baptismi cæremoniam esse.

Ex S. Ambrosio.

Tom. 2. p. 336. A. Lib. de Initiandis c. 7. *Repete*, inquit, *quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris, & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti.*

Et L. 2. de Sacramentis c. 7. *Ergo mersisti*; inquit, *venisti ad Sacerdotem:* Ib. p. 360. D. *quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.*

Ib. p. 61. B. Et L. 3. c. 1. *Accipit autem*, inquit, *mysterium, hoc est unguentum supra caput.* Et c. 2. *Sequitur spiritale signaculum quod audistis hodie legi; quia post* Ibid. p. 363. E. *fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Spiritus sanctus infunditur.* Nihil certe clarius & expressius potest proferri.

Ex S. Hieronymo, Dialogo adversus Luciferianos, Luciferianum sic loTom. 4. part. 2. p. 294. quentem inducit: *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit in Actibus Apostolorum? Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Istud autem ultro Ib. p. 295. fatetur & concedit S. Hieronymus: *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat .... Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem non asserimus in vero Baptismate tribui, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem.*

Ed. Com. p. 580. E. Ex S. Chrysostomo Hom. 18. in Acta, de Philippo ait: *Ideo baptizans* Ibid. *Spiritum sanctum non dabat, neque facultatem habebat: hoc enim donum solorum Apostolorum erat.* Et postea: *Virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare; unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere .... Vides* (ad hæc P. 581. A. verba, *oraverunt pro eis*) *quod non simpliciter hoc fit, sed multa opus est virtute, ut detur Spiritus sanctus? Non enim idem est assequi remissionem peccatorum, & accipere virtutem illam.*

Denique ex S. Augustino. Multis in locis de Sacramento Confirmationis

nis mentionem facit sanctus Doctor, quod quidem modo per manus impositionem, modo per unctionem designat.

De impositione manuum loquitur L. 3. de Baptismo c. 26. verba supra laudavimus in responsione ad secundam Objectionem adversus probationem ex Scripturis. Eadem fere repetit Tractatu sexto in primam Epistolam S. Joan. *Si vis nosse*, inquit, *quia accepisti Spiritum Sanctum, interroga cor tuum: ne forte Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas.* *Tom. 3. part. 2. p. 868. F.*

Lib. 3. de Baptismo c. 16. *Spiritus autem Sanctus*, inquit, *quod in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* *T. 9. p. 106. D.*

Et Lib. 15. de Trinitate c. 26. postquam dixit Apostolos orando & manus imponendo dedisse Spiritum Sanctum, ait, *eumdem morem in suis Præpositis etiam nunc servare Ecclesiam.* *To. 8. p. 999. A. Ib. B. C.*

De unctione vero loquitur mox citato capite L. 15. de Trinitate. *Unxit eum*, inquit, (nempe Christum) *Deus Spiritu Sancto. Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ-quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* *Tom. 9. p. 293. B. Tom. 3. part. 2. p. 815. E.*

Et Lib. 2. contra Litteras Petiliani c. 104. *In hoc unguento*, inquit, *Sacramentum chrismatis vultis interpretari; quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

Tract. 3. in primam Epistolam S. Joannis. *Unctio spiritualis*, inquit, *ipse Spiritus sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* Et infra: *Unctionis Sacramentum est, virtus ipsa invisibilis: unctio invisibilis, Spiritus Sanctus: unctio invisibilis, charitas illa est.* *Ibid. p. 849. C.*

Denique in Psal. 141. *Multa*, inquit, *Sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam, sicut nostis, ore accipimus; quædam per totum corpus accipimus; quædam in fronte per signum Crucis.* *To. 4. p. 1583. D.*

Quarta probatio ex usu & praxi Ecclesiæ perpetua.

Usum hunc colligimus, non modo ex citatis SS. Patrum testimoniis, & aliis bene multis, quæ adduci possent, sed præsertim ex iis omnibus Auctoribus, qui de Officiis Ecclesiasticis scripserunt, omnibusque Libris Ritualibus. Ii scilicet omnes describunt ritus, quibus administrari in Ecclesia per Episcopos debet Sacramentum Confirmationis, quam & per impositionem manus, & per unctionem designat. Ita

Sacramentarium S. Gregorii, ubi fuse describitur quomodo Pontifex protensa super infantes manu, tincto pollice in chrismate, singulos confirmat, facta oratione qua Spiritum Sanctum advocat.

Ordo quoque Romanus ante nonum sæculum scriptus, in Sabbato sancto eumdem ritum describit iisdem fere verbis, quibus Sacramentarium S. Gregorii.

Venerabilis Beda in Psal. 26. ait, *unctionem illam, quæ per impositionem manuum fit, ab Episcopis Confirmationem appellari.* *T. 8. p. 558. n. 70.*

Valafridus Strabo L. de rebus Ecclesiasticis, c. 26.

Amalarius L. 1. de Officiis Ecclesiasticis c. 27.

Rabanus Maurus L. de institutione Clericorum, c. 30.

Alcuinus Epistola ad Oduinum Presbyterum, & alii repetunt & Commentariis suis illustrant, quod in Ordine Romano de ritu administrandi

Confirmationem præscribitur. Videntur illi hoc habere proprium & singulare, quod velint manus impositionem non esse actionem distinctam ab ea, per quam unctio fit, quam quæstionem postea expendemus. Sufficit præsenti nostro instituto, eos omnes noni sæculi Auctores expressam mentionem facere Sacramenti Confirmationis.

Solvuntur Objectiones Dallæi adversus probationem ex Traditione Ecclesiæ.

Objicit 1. Lib. 2. cap. 2. silentium veterum Scriptorum, quorum genuina extant Opera, ut Clementis in Epistola ad Corinthios, Justini, Athenagoræ, Theophili, Tatiani, Irenæi, apud quos altum de Sacramento Confirmationis silentium.

Resp. 1. argumentum negativum nullius ponderis esse quæstionibus facti, cum alia non desunt positiva, & quidem bene multa.

2. Ad confirmandam alicujus dogmatis veritatem, necesse non est, ut omnes & singuli cujuslibet ætatis Scriptores de illo mentionem faciant. Sic v.g. Clemens Romanus, Athenagoras, Theophilus, Tatianus a Dallæo citati, de Baptismo siluerunt in his, quæ nobis supersunt eorum Operibus: an inde inferet Dallæus, Scriptores illos Baptismum pro vero Sacramento non agnovisse? non certe. Ita pariter de Confirmatione sentiendum.

3. Non ignorat Dallæus multa illorum Scriptorum Opera desiderari, quæ temporum incuria ad nos usque pervenire non potuerunt: quin & ipsa Clementis ad Corinthios Epistola de qua Irenæus L. 3. c. 3. Eusebius Lib. 3. c. 16. & 28. S. Hieronymus L. de Scriptoribus Ecclesiasticis, mutila est, ac imperfecta, sicut fatetur ipse Junius, *qui ex laceris*, ut loquitur, *reliquiis vetustissimi exemplaris Bibliothecæ Regiæ eam eruit, lacunas explevit, latine vertit, notis brevioribus illustravit, & Oxonii publici juris fecit an. 1633.* Plura scripsit Irenæus, quæ periere referente Eusebio L. 5. Hist. c. 26. & S. Hieronymo L. de Scriptoribus Ecclesiasticis; & ita de aliis bene multis Veterum lucubrationibus. Qua vero arte augurari potuerit Dallæus, in illis Scriptis nullam Sacramenti nostri factam esse mentionem, vix scio: quamquam non facile concedimus, S. Irenæum de illo tacuisse in his, quæ nobis supersunt illius Libris.

4. Scopus & institutum alicujus Scriptoris tale aliquando est, ut non exigat omnium nostrorum Sacramentorum mentionem ab ipso fieri. Sic v.g. qui ex Veteribus Apologias pro Christianis scripsere, in eo toti erant ut Gentilium calumnias adversus Religionem nostram invidiose confictas propulsarent, potius quam singula nostra Mysteria figillatim exponerent; quorum proinde silentium, tamquam argumentum denegati ab ipsis alicujus mysterii seu dogmatis, opponi merito non potest. Ita est de Justino, Athenagora, Theophilo, & aliis.

Objicit 2. eodem Libro 2. c. 17. & L. 2. de cultibus Latinorum religiosis, Græcam Ecclesiam in numero Sacramentorum non recensere Confirmationem, quod probat his momentis.

I. Ex Euchlogiis, ubi non duo, sed unum est Officium Baptismi, & Unctionis, cui titulus est: *Ordo Baptismatis*; igitur unctio illa est cæremonia, non Sacramentum diversum.

II. Quia neminem Græci admittunt ad sacram mensam, nisi qui fuerit chrismatus: atqui certum est neminem unquam rite baptizatum, repulsum fuisse a

se a sacra communione, nisi propter aliquod grave peccatum, aut infantilem ætatem; idcirco igitur Græci ad sacram mensam non admittunt eos, qui chrismati non fuere, quia unctio hæc pertinet ad cæremonias Baptismi.

III. Quia Græci a quacumque hæresi conversos recipiunt per unctionem; at ista haud dubie non est Sacramentum Confirmationis, quod iterari non posse dogma est catholicum, est igitur mera cæremonia.

IV. Græci Presbyteri ungunt baptizatos in fronte: at simplex Sacerdos non potest esse minister ordinarius Sacramenti Confirmationis; unctio ergo illa non est verum Sacramentum.

Resp. nego ant. Ecclesia enim Græca, sive antiqua sive recentior, semper in numero Sacramentorum habuit Confirmationem. Pro veteri testantur Concilium Laodicenum, Firmilianus, Cyrillus Jerosolymitanus, Chrysostomus antea citati, quibus & alios plures inferius, ubi de materia Confirmationis, adjungemus. Pro recentiori vero testes sunt Simeon Thessalonicensis in Libris de Sacramentis, Jeremias in sua catholica Responsione, Gabriel Philadelphiensis, Synodus Constantinopolitana an. 1642. Præside Parthenio Patriarcha, in qua Calvini errores damnantur. Numero enim 15. damnat Synodus in hunc Heresiarcham, quod quinque Sacramenta expungeret.

Synodus Bethlemitica an. 1672. sub Dositheo Patriarcha Jerosolymitano c. 15. ubi fidem Ecclesiæ Græcæ circa Sacramenta sic exponit: *Credimus esse in Ecclesia Legis novæ Sacramenta, eaque septem, non minorem, aut majorem numerum admittimus.* (1) Deinde secundo loco enumeratur Sacramentum Confirmationis.

Denique ipsa Latina Ecclesia, quoties unionem tentavit aut perfecit cum Græca, nusquam ei objecit rejectum ab ipsa Sacramentum Confirmationis.

Ad singulas igitur probationes respondeo.

Ad primam, idcirco officium seu ritum administrandi Sacramentum Confirmationis sub Officio Baptismatis contineri, quia statim post Batismum conferri solebat. Ex hoc autem inferre Confirmationem esse ritum Baptismi, quid aliud est, quam velle quoque inferre Eucharistiam, quæ simul cum Baptismo, & Confirmatione solebat antiquitus administrari, esse pariter Baptismi ritum? quo nihil posset fingi absurdius. Unctionem vero illam distinctam esse a Baptismo, nec ad illius cæremonias pertinere, manifestum est ex ipso Euchologio: tum quia peculiarem habet annexam orationem, qua invocatur septiformis Spiritus Sanctus ad robur baptizati: tum quia confertur post perfectum, & absolutum Baptismum: tum denique, quia Episcopus illam unctionem ministraturus, & vestes quibus, dum baptizaret, erat indutus, & locum mutat.

Ad secundam: Ille potest a sacra mensa legibus Ecclesiæ merito repelli, qui ea non percepit, quæ ex usu & praxi Ecclesiæ debent percipi: at in Ecclesia Græca lex erat, & consuetudo, simul cum Baptismo dandi Confirmationem, & Eucharistiam; merito igitur Græci a sacra mensa excludunt eos, qui sacro chrismate post Baptismum inuncti non fuerunt.

Ad tertiam: Constabit ex dicendis, unctionem illam per quam redeun-

(1) Confer Renaudotium T. 4. & 5. *perpetuit. fidei.*

tes Hæretici recipiebantur, puram fuisse cæremoniam, non Sacramentum Confirmationis.

Ad quartam: Pertinet hæc Objectio ad quæstionem de ministro Confirmationis, de qua inferius suo loco.

Objicit 3. Sacramentum Confirmationis incognitum est multis Ecclesiis, v.g. Æthiopicæ, ut testatur Alvarez Hispanus Monachus in suo Itinerario; Armenicæ, teste Guidone Carmelita; Chaldaicæ, ceterisque Christianis longe lateque per Arabiam, Mesopotamiam, Assyriam, Persidem, ipsamque Ægyptum diffusis.

Resp. 1. ex illis particularibus Ecclesiis, quæ schismate a Romana divisæ sunt, nihil adversus veritatem inferri posse; error enim ex schismate plerumque nascitur.

Resp. 2. certum non esse eas omnes Ecclesias non agnoscere Sacramentum Confirmationis: imo de Ecclesia Æthiopica fidem facit Ordo mysteriorum, sive administrationis Sacramenti Confirmationis secundum usum Æthiopum excusus Tom. 6. Bibliothecæ Patrum. De Ecclesia Armenorum testatur Uscanus Episcopus Sancti Sergii in magna Armenia, in responsione ad varias quæstiones sibi propositas circa fidem Armenorum, data Lugduni Batavorum 21. Februarii an. 1667. testatur, inquam, apud Armenos in usu esse Sacramentum Confirmationis: (1) unde Guido Carmelita non de omnibus, sed de aliquibus dumtaxat Armenis loquitur. Quod vero spectat ad Ecclesias Chaldæorum per regiones supradictas dispersorum, habemus insigne testimonium fidei Cophtorum, & Ægyptiorum circa omnia Sacramenta, Tomo tertio de perpetua Ecclesiæ fide circa Eucharistiam Lib. 8. c. 19. nimirum professionem fidei quam litteris consignatam Matthæus Alexandrinus Patriarcha ad Regem nostrum Christianissimum misit. (2) Syros vero agnoscere Sacramentum Confirmationis, testatur Jacobus de Vitriaco Lib. 1. Historiæ Jerosolymitanæ c. 74. (3)

Objicit 4. Lib. 3. c. 14. Noni sæculi Scriptores eodem plane loco habuere unctionem, quam Sacerdos adhibet in Baptismo, cum ea quam Episcopus facit in Confirmatione, & istam per aliam suppleri posse affirmant. Sic I. Valafridus Strabo L. de rebus Ecclesiasticis c. 26. ait, *Sylvestrum S. Pontificem instituisse, ut Presbyter baptizatum chrismate liniat propter occasionem*

(1) Patet etiam ex epist. Gregorii VII. an. 1080. data ad Synnadensem Archiepiscopum, ubi id unum reprehendit, quod contra veterem morem S. Ecclesiæ Armenorum chrisma non de balsamo, sed butyro conficiant; ex silentio Jacobi Cardinalis de Vitriaco in catalogo errorum & prævarum consuetudinum Armeniæ; ex eorumdem unione cum Romanis Pontificibus Eugenio III. a. 1145. Innocentio III. a. 1199. Joanne XXII. a. 1318. ex Epistola Benedicti vulgo XII. ad Regem & Patriarcham Armen. apud Raynaldum ad an. 1341. n. 118. & ex Fidei demum Professionibus Jacobi Armenorum Patriarchæ, & Onuphrii Archiepiscopi Ametensis, quas Renaudotius profert.

(2) Vide etiam litteras Vanslebii, Bichoti, & Bernati apud Cl. Sollerium in appendice ad Historiam Chronolog. Patriarch. Alexandrin.

(3) De Syris, imo & de Nestorianis confer Assemanum T. III. par. II. Bibliothecæ Orientalis, & rituales ipsorum Codices apud Assemanum Juniorem in Codice Liturgico universæ Ecclesiæ.

Atque ut generatim de toto Oriente concludam, audiendi sunt Patres in Cypria Synodo collecti a. 1668. c. 5. ubi postquam veris Sacramentis connumerassent sacratissimum chrisma; *hæc est*, inquiunt, *Orthodoxæ Ecclesiæ Orientalis fides; hanc tuentur quatuor Sanctissimorum Orientalium venerabilium fratrum nostrorum, ac Comministrorum sedes &c.*

nem transitus mortis. Quod si a Diacono vel quolibet alio homine baptizatus; casu ante Confirmationem transierit, credendum non est perire propter hoc. Quo loco eos solum ante Confirmationem ex hac vita transire docet Auctor ille, qui a Diacono vel quolibet alio homine, id est laico, baptizatus fuerit, & non consignatus; ergo qui sunt a Sacerdote baptizati, cum unctionem baptismalem perceperint, non censentur sine Confirmatione recedere ex hac vita. Censet igitur unctionem illam baptismalem ejusdem esse virtutis cum ea quam confirmatoriam appellamus.

II. Idem Valafridus, Amalarius, & Rabanus tradunt præceptam a Sylvestro Presbyteris chrismationem, ne quis sine Confirmatione moreretur. *Legimus & in gestis Patrum*, inquit Rabanus Lib. 1. de institutione Clericorum c. 28. *quod Sylvester Papa in Ecclesia Romana constituerit, ut sicut potestas & privilegium apud solum Episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, & baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet propter hæreticam suasionem; Ita Presbyter eodem chrismate liniat baptizatum levatum ex aqua propter occasionem transitus mortis .... Ac deinde profecto patet, quia quicumque non est Christi, Regni sui particeps fieri nequit: ideoque necessarium est, ut statim succurratur baptizato cum chrismatis unctione, ut Spiritus Sancti participationem accipiens, alienus a Christo non existat.* In casu igitur necessitatis vim eamdem tribuit Rabanus unctioni baptismali & confirmatoriæ. T. 6. f. 9. H.

Confirmat Dallæus objectionem hanc: 1. quia utriusque unctionis eadem est materia, & eadem consecratio. 2. quia idem est effectus, ut patet ex orationibus quibus consecratur chrisma, quibus a Deo postulatur, *ut chrisma sit omnibus perunctis propitiatio & custodia salutaris, & in adoptionem filiorum.*

Resp. nego ant. Triplex enim discrimen assignant Scriptores noni sæculi inter unctionem baptismalem & confirmatoriam. Primum, quia baptismalis fit in vertice, & confirmatoria in fronte. Ita Valafridus & Rabanus mox citati. Secundum, quia baptismalis fit per simplicem Sacerdotem, confirmatoria per Episcopum. Ita expresse mox laudatus Rabanus. Tertium, quia unctio confirmatoria adjunctam habet manus impositionem, non vero baptismalis. Ita idem Rabanus in eodem loco.

Ad primam igitur probationem ex Valafrido, quidquid sit de illo Sylvestri decreto, quod multis videtur suppositicium, dico mentem illius Auctoris hanc esse, nimirum unctionem baptismalem adhibendam quidem propter occasionem mortis, ut aliquo pacto suppleat unctionem confirmatoriam, si forte contingat aliquem morte præveniri, priusquam ab Episcopo consignatus fuerit; nihilominus neutram necessariam esse absolute ad salutem: unde si quis ex hac vita discedat baptizatus a quocumque, nec consignatus, non idcirco perire credendus est. Falso igitur supponit Dallæus, eos, qui sunt a Presbyteris baptizati, sine Confirmatione non discedere ex hac vita, quamvis non sint ab Episcopi consignati.

Ad secundam: Falso etiam supponit Dallæus, unctionem baptismalem idcirco institutam, & necessariam esse, ne quis sine Confirmatione discedat ex hac vita; istud non ait Rabanus citatus, sed tantum *propter mortis periculum necessariam esse unctionem baptismalem, ut quis unctus seu Christi esse dici possit*: scilicet ad significationem chrismatis, & unctionis alludit

ibi

ibi Rabanus. Et rursus c. 30. *Signatur*, inquit l. 1. de institutione Clericorum c. 30. *baptizatus chrismate per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem vero in fronte, ut priori unctione significetur Spiritus Sancti super ipsum descensio, ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur.* Istud autem discriminis est inter modum, quo utraque unctio effectum spiritualem significat, quod unctio confirmatoria practice, & ex opere operato significat effectum gratiæ spiritualis, quem producit; unctio vero baptismalis significat tantum, non vero producit, saltem ex opere operato, & tanquam verum Sacramentum a Baptismo distinctum, unctionem interiorem gratiæ.

Tom. 6. p. 10. C.

Ad primam confirmationem, dico eamdem quidem esse materiam remotam utriusque unctionis, nempe chrisma, sed non eamdem esse materiam proximam: unctio enim confirmatoria, teste ipso Rabano, adjunctam habet manus impositionem, non vero unctio baptismalis. Præterea non sufficit ad perfectam utriusque unctionis paritatem, quod sit eadem materia, sed eadem quoque deberet esse forma, & idem effectus: porro & in forma, & in effectu, & in ministro multum discrepant duæ illæ unctiones; unde patet responsio.

Ad secundam confirmationem: Etsi enim sit eadem utriusque consecratio, non tamen idem modus, quo applicatur unctio, non eadem forma, non idem effectus, neque idem minister.

Objicit 5. Magna est inter nostros Theologos discordia circa partes substantiales Sacramenti Confirmationis, nempe ejus materiam, & formam; non igitur consentiunt inter se de veritate seu existentia illius: qui enim de natura seu essentia rei alicujus dubitat, ejus quoque existentiam in dubium revocare censetur.

Resp. nego conseq. Disputant v.g. quotidie Philosophi de natura Solis; an ejus existentiam in dubium revocant? absurdus esset, qui id inferret. Disputant Novatores de Baptismo, & Eucharistia; nec tamen duo ista Sacramenta rejiciunt. Pariter igitur nostri Theologi de partibus substantialibus Sacramenti Confirmationis inter se dissentiunt, nemo tamen unus est inter illos, qui veritatem seu existentiam illius in controversiam adducat; quisque aliquam materiam, & formam sensibilem assignat, licet pro varietate opinionum variam atque diversam.

Objicit 6. Patres eumdem effectum tribuunt Baptismo, & Eucharistiæ, quem nostræ Confirmationi, nempe ut muniat nos, confirmet, roboret, perficiat. Ita in primis S. Cyprianus loquens de Eucharistia Ep. 54. & 56.

Resp. nego ant. Gratia quippe baptismalis gratia est innovationis, filiationis, & regenerationis ætati infantili accomodata: gratia Eucharistica est gratia augmenti personæ spiritualiter provectæ, ad reparandas vires animæ spirituales per quotidianos lapsus imminutas, & debilitatas: gratia vero confirmatoria est gratia roboris, & virtutis specialis, ad omnes mundi ac dæmonis tentationes contra fidem superandas destinata. Ita S. Thomas 3. part. qu. 79. art. 1. ad primum.

Objicit denique, multum immutatam fuisse subsequentibus sæculis unctionem confirmatoriam: olim enim præcedebat manus impositionem, nunc

nunc sequitur: olim Eucharistia post Confirmationem, nono sæculo plerumque ante Confirmationem conferebatur.

Resp. 1. Non satis ex veteribus monumentis, antequam prodierit Liber Sacramentorum S. Gregorii, & Ordo Romanus, constare, quo præcise ordine daretur unctio, an post, an vero ante impositionem manus. 2. ejusmodi mutationes leves admodum esse, & indifferentes, quæ rei substantiam non attingunt, sed simplicem modum, seu ritum, & cæremoniam, adeoque salva remanente Sacramenti hujus substantia, nonnihil mutationis induci potuit circa disciplinam seu modum illud administrandi, quod in aliis Sacramentis, Baptismo præsertim, & Eucharistia, contigisse, ne ipsi quidem negare audent Novatores. Baptismus enim olim triplici immersione conferebatur, nunc infusione: Eucharistia infantibus dabatur, nunc denegatur; an propterea quidquam immutatum fuit circa naturam seu substantiam illorum Sacramentorum? minime.

ARTICULUS TERTIUS.

De materia Sacramenti Confirmationis.

QUæstio est, an sola manus impositio, per quam Apostoli Spiritum Sanctum conferebant, sit essentialis, & adæquata materia Sacramen- Confirmationis, an vero sola unctio chrismatis, an utraque simul; & quæ sit illa manus impositio, an ab unctione distincta vel separata. Circa quam controversiam errant Novatores, nostri vero Scholastici varias in partes scinduntur.

Errores, & opiniones.

Novatores Lutherani, & Calvinistæ, quibus nostra Confirmatio non est verum Sacramentum, sed mera Baptismi cæremonia, manus impositionem, & unctionem, quibus illa constat, non mendaciis modo, & calumniis, sed horrendis plane ac blasphemis dicteriis turpiter deformant.

I. Lutherus Lib. de Captivitate Babylonica, miratur *quomodo in mentem nostram venire potuerit, ut Sacramentum Confirmationis faceremus ex impositione manuum.*

II. Kemnitius in examine Concilii Tridentini, ait 1. *materiam Confirmationis nulla habere in Scripturis apparentia testimonia.* 2. *Pontifices in Confirmationem nullam adhibere manus impositionem.* 3. *Divinitus factum esse, quod non est retenta impositio manuum in Pontificia Confirmatione, sed substituta chrismatio, ut Ecclesia, animadversa palpabili differentia inter impositionem manuum, & chrismationem in fronte, non tam facile seduci posset allegatione historiarum Act.* 8. *&* 19. 4. *Nativum balsamum cum jam defecisse constet, & arbores, factitium balsamum locum ejus implere non posse.* 5. *Consecrationem chrismatis esse excantationem.* 6. *Inhalationem Pontificis in chrisma non tantum esse quid ridiculum, sed magicum, superstitiosum, & blasphemum.*

III. Calvinus Lib. 4. Institutionis c. 19. §. 6. ait, 1. *manuum impositionem, quæ in confirmandis Neophytis adhibetur, nihil habere simile cum ea quam Apostoli usurpabant.* 2. *chrismationem neque esse a Christo, neque ab Apostolis.* 3. *eos, qui oleum istud vocant oleum salutis, salutem, quæ in Christo est, abjurare, Christum abnegare, partem non habere in Regno Dei.* Unde §. 8. definit P. 537. & 538.

finit Confirmationem noſtram: *Oleum diaboli mendacio pollutum, quod velut offuſis tenebris ſimplicium mentes fallit.* 4. §. 10. ait in chiſmatis conſecratione inquinamentum eſſe & incantationem, *pinguedinem fœtore anhelitus inquinatam, verborum murmure incantatam.*

Spalatenſis Lib. 5. de Republica Eccleſiaſtica c. 5. n. 26. ſcribit, *Confirmationem non habere certam, & fixam materiam: eam aliquando ſola manus impoſitione, aliquando chriſmatis unctione, modo in vertice, modo in fronte,* P. 539. *modo in omnibus membris, & toto corpore, modo puro oleo, modo oleo & balſamo, modo aliis odoriferis unguentis, abſque oleo conferri ſolitam.*

Dallæus L. 1. capite ultimo contendit, *manuum impoſitionem non eſſe, imo nec eſſe poſſe Confirmationis, aut cujuslibet alterius Sacramenti materiam.* L. vero 2. cap. 3. *chriſmationem cæremoniam eſſe poſt annum Chriſti 160. inventam, & primum uſurpatam.*

In his erroribus ac mendaciis propulſandis ſumma eſt Theologorum Scholæ concordia: in aſſignanda vero materia eſſentiali ac neceſſaria Confirmationis, ſumma diſſenſio. Alii contendunt Apoſtolos rem, ſeu effectum Sacramenti ſine Sacramento dediſſe. Alii ſolam manus impoſitionem eſſe materiam eſſentialem; unctionem vero partem dumtaxat integrantem ex præcepto neceſſariam: alii e contra unctionem ſolam eſſentialem eſſe, impoſitionem vero manuum olim neceſſariam, ſubinde in meram defeciſſe cæremoniam, ejuſque loco ſubſtitutam unctionem. Alii utramque tum impoſitionem manus, tum unctionem, tamquam partes eſſentiales inadæquatas materiæ Sacramenti Confirmationis agnoſcunt. Sunt etiam, qui volunt manus impoſitionem actionem eſſe ſpecialem tempore & natura diſtinctam ab unctione; ſunt qui eam cum unctione confundunt.

I. Alexander Alenſis parte 4. q. 24. membro 1. S. Bonaventura in 4. diſt. 7. art. 1. q. 1. & 2. exiſtimant Chriſtum immediate per ſe non inſtituiſſe Sacramentum Confirmationis, & Apoſtolos primis Fidelibus dediſſe Spiritum Sanctum ſine viſibili Sacramento; poſtea vero Eccleſiam, auctoritate a Chriſto accepta, inſtituiſſe chriſma pro materia eſſentialis Confirmationis: quo vero tempore inſtitutum ſit illud chriſma, non conſentiunt inter ſe. Alenſis putat inſtitutum in Concilio Meldenſi; S. An. 845. Bonaventura, a primis ſucceſſoribus Apoſtolorum; Joannes de Baccone, in Concilio Aurelianenſi, initio ſexti ſæculi. Improbanda certe opinio hæc, quæ paucos reipſa habet in Schola patronos; vix enim illa ſtare poteſt cum Decreto Concilii Tridentini Seſſ. 7. quo ſtatuitur Chriſtum omnia Legis novæ Sacramenta inſtituiſſe. Et vero ad eum ſolum pertinet auctoritas inſtituendi Sacramenta, qui ſolus poteſt externis ſignis ſeu ſymbolis vim efficacem impertiri ad gratiam ſanctificantem conferendam: atqui hoc ſolus Deus poteſt, non Eccleſia.

S. Thomas 1. par. q. 72. art. 2. ad 1. docet Apoſtolos Spiritum Sanctum ſine viſibili Sacramento aliquando dediſſe, quando ſcilicet conſpicua erant & viſibilia dona ſpiritus Sancti, quibus primi Fideles exornabantur; quando vero ceſſarunt illa dona, eos chriſmate uſos fuiſſe, ut darent Spiritum Sanctum: quæ ſententia, qua parte negant Apoſtolos per impoſitionem manuum, de qua mentio fit Act 8. & 19. verum dediſſe Sacramentum Confirmationis, hoc habere videtur grave incommodum, & quod eripiat nobis

præ-

præcipuam, & fere unicam probationem ex Scripturis pro demonstranda adversus Hæreticos veritate Sacramenti Confirmationis; & quod directe pugnet cum SS. Patribus, qui affirmant idem in Ecclesia Catholica fieri per impositionem manuum Episcoporum, quod gestum legimus per Apostolos. Ita SS. Cyprianus, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus antea laudati, cum veritatem Sacramenti Confirmationis ex Traditione demonstrabamus.

II. Inter eos Scholæ Doctores, numero certe plures, qui docent Apostolos dedisse quidem verum Sacramentum Confirmationis, non una est opinio circa materiam, quam ipsi tunc usurparunt, & nunc ab Ecclesia tamquam necessaria, & essentialis usurpari debet.

III. Alii quippe docent, Apostolos ab initio sola manus impositione dedisse Spiritum Sanctum. Ita Scotus 4. dist. 7. q. 1. sed omnium disertissime Synodus Moguntina an. 1549. c. 18. cujus hæc verba sunt: *Diligenter etiam populum instruant, cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione, adhibita chrismatis unctione, cœperit conferri. Nam cum initio Spiritus sanctus, ad evidentiorem recentis adhuc fidei commendationem, signo visibili influeret confirmatis, externa unctione, quæ illam internam designaret, tunc non erat opus. Postea vero, adulta Ecclesia, & stabilita fide, cum signa externa apparere cessaverunt, nec jam amplius Spiritus sanctus visibiliter descenderet, mox in locum visibilis signi unctio chrismatis adhiberi cœpit, quæ his, qui confirmarentur internam, & spiritalem unctionem repræsentaret, ut quid intus agatur per gratiam, foris aliquo visibili signo innotescat, & verbi fidem externi elementi similitudo confirmet.* Mens igitur hujus Synodi fuit, Apostolos initio sola manus impositione dedisse Spiritum sanctum, paullo post adhibitam ex traditione illorum chrismatis unctionem, quæ in locum impositionis manuum quasi subrogata fuit, & sola est Sacramenti Confirmationis materia essentialis, & necessaria. *Tom. 14. Conc. p. 676. & 677.*

IV. Alii unicam, & solam manus impositionem agnoscunt omni tempore fuisse, & jam esse materiam essentialem ac necessariam Sacramenti Confirmationis; unctionem vero materiam dumtaxat integrantem, ad majorem expressionem effectus hujus Sacramenti, necessariam tamen ex præcepto, & usu Ecclesiæ perpetuo. Ita ex antiquis Theologis Petrus Aureolus Cardinalis, qui ante annos 300. floruit an. 1317. in 4. dist. 7. q. 1. Guillelmus Altissiodorensis, referente Sirmondo Antirrethici secundi c. 7. Jacobus de Vitriaco c. 37. Historiæ Occidentalis, ubi ait, *hoc Sacramentum partim institutum fuisse ab Apostolis, quantum ad manus impositionem, partim ab Ecclesia, quantum ad unctionem chrismatis, quod non legimus*, inquit, *Apostolos fecisse*. Ex recentioribus, Sambovius Tractatu de Sacramento Confirmationis, & maxime Sirmondus Antirrhetico secundo c. 2. & sequentibus, ubi tres distinguit Ecclesiæ ætates, in quibus unctio confirmatoria variam fortunam passa est. *Tr. 4. p. 313. D.*

In prima usque ad tempora Constantini, id est ad quartum usque sæculum, ait unctionem ita solitam fuisse conjungi cum impositione manus, ut ab ea tamen re distingueretur; non vero tempore, quamvis eam præcederet, *sedem Spiritui sancto parans*, inquit Optatus a Sirmondo ibidem laudatus: utramque vero tum unctionem, tum manus impositionem a solo Episcopo ministratam fuisse.

In

In secunda ætate usque ad Innocentium I. qui obiit an. 417. unctionem & manus impositionem non tantum re, sed tempore sejunctam; ita ut unctio seorsim una cum Baptismo peragerentur, manus vero postea confirmans Episcopus imponeret: eam autem unctionem, quæ prima ætate a solis Episcopis conferebatur, in secunda illa ætate Presbyteris, & Diaconis permissam fuisse contendit.

In tertia denique ætate, nempe a tempore Innocentii I. ad nos usque, ait morem antiquum resumptum, ac manus impositionem, & unctionem simul copulatam fuisse, cum hoc tamen discrimine, quod recepta in usu fuit duplex unctio chrismatis, una in vertice, cum quis baptizatur, altera in fronte, quæ confirmatoria dicitur; olim vero unicam tantum fuisse. Ita Sirmondus, cujus opinionem fusiori stilo ac grandioribus verbis, nonnunquam duris & acerbis, insequutus est Petrus Aurelius.

V. Sunt igitur ex oppositа parte Theologi, qui docent, Apostolos nunquam dedisse Spiritum sanctum per solam manus impositionem, sed per adjunctam semper unctionem, quæ jam sola est adæquata, & essentialis, manus vero impositio integrans dumtaxat materia Confirmationis. Ita Gregorius de Valentia T. 4. in S. Thom. disp. 5. q. 1. puncto 1. Estius in 4. dist. 7. §. 6. existimat probabile esse Apostolos in administrando Sacramento Confirmationis *neque semper, neque nunquam chrismate usos fuisse*. Eos quidem in ipsis suæ prædicationis exordiis non esse communiter usos chrismate, sed postea, rebus Ecclesiæ constitutis atque ordinatis: neque silentium Scripturæ de illa unctione, obstare: *Cum enim*, inquit, *ea quæ ad ritus Sacramentorum pertinent, secretissima haberentur, ac fere sola voce quasi per manus traderentur, facile respondetur, noluisse Lucam neque elementum, neque verbum hujus Sacramenti scripto prodere.* §. vero sequenti ait, *probabilius esse, Apostolos initio suæ prædicationis chrismate usos non fuisse; probabile quoque videri, manus impositionem eodem tempore materiæ locum tenuisse, & orationem locum formæ; ita ut utraque tunc necessario adhiberetur, donec introducto chrismatis usu simul cum forma illi materiæ accommodata, quæ solæ sunt hujus Sacramenti partes essentiales, necessitas impositionis manuum cessaret, quantum quidem ad essentiam vel integritatem attinet Sacramenti, cum sit tantum cæremonia quædam sacramentalis ex Apostolica traditione accepta, ideoque non omittenda, utpote necessaria necessitate præcepti, etsi non Sacramenti.*

Tom. 2. par. 2. pag. 80. col. 2. C.

Ibid. F.

Ib. p. 81. col. 2. A.

Multis, iisque gravissimis incommodis obnoxia videtur hæc sententia. 1. Quia manus impositionem, & a Scriptura, & a tota Ecclesiæ traditione ac praxi commendatam, dicit meram esse cæremoniam, non partem essentialem Sacramenti Confirmationis. 2. Quia non satis intelligitur in principiis sanioris Theologiæ, quomodo manus impositio fuerit materia essentialis Confirmationis, tempore Apostolorum, deinde vero ab ista exciderit dignitate, cum introductum fuit chrisma, quasi in substantia Sacramentorum a Christo instituta, & determinata quædam posset admitti mutatio. 3. denique, quia ista opinio Estii supponere videtur Christum non in specie, sed in genere dumtaxat determinasse Confirmationis materiam: quam opinionem idem Estius ibidem §. 4 improbat, ac contendit Christum specialiter & immediate instituisse quidquid ad substantiam hujus & aliorum Sacramentorum pertinet.

Quod

Quod de Confirmatione dixit Estius, hoc idem de Ordinatione sentit Hallerius, de Ordinationibus sacris sect. 2. §. 6. in fine (pag. 468.) *Nullatenus dubitem*, inquit, *quin eorum, qui apud Græcos Latina, (nisi ex voluntate S. Pontificis, cui in Ecclesias omnes suprema est auctoritas) irrita sit Ordinatio. Nam sicut quæ sufficit apud Græcos impositio manuum, in Ecclesia Latina ad validam Ordinationem non sufficit; ita nec forma: utraque enim, tam materia quam forma, ad validam Ordinationem ab Ecclesiæ determinatione pendet: Ecclesia autem aliam pro Ecclesia Græca formam, aliam pro Latina determinavit; ideoque Latinorum forma, apud Græcos insufficiens, Græcorum apud Latinos.*

VI. Denique, sunt qui tum manus impositionem, tum unctionem agnoscunt tamquam materiam partialem & inadæquatam, essentialem & necessariam Sacramenti Confirmationis; ita ut ex duplici illa parte una totalis & adæquata materia coalescat, quique contendunt Apostolos utramque semper usurpasse. Ita Aurelius, & alii e Recentioribus quamplures.

Verum illi rursus in varias abeunt partes, atque duplicem distinguunt in ritu administrandi Sacramentum Confirmationis, manus impositionem: unam præviam, quæ antecedit unctionem, quam Episcopus facit extendendo manus versus confirmandos, & fundendo orationem ad invocandum Spiritum sanctum; alteram, quæ indistincta est ab actione manus, per quam perficitur unctio. Alii priorem illam manus impositionem solam & essentialem, & veri nominis manus impositionem esse contendunt, quam Veteres velut singularem aliquam ac specialem actionem habuere, & *adumbrationem*, *extensionem*, *expansionem manuum* appellaverunt. Alii e contra existimant, præviam illam manus impositionem esse dumtaxat cæremoniam, eamque minime necessariam ad substantiam Sacramenti Confirmationis: confundunt illi manus impositionem cum actione qua perficitur unctio, quæ ab illis ideo manus impositio appellatur, quia fit per manum. Hujus opinionis fundamentum est, tum quia Græci, qui verum retinent Sacramentum Confirmationis, non agnoscunt, nec habent impositionem manus confirmatoriam distinctam ac separatam ab unctione chrismatis, ut legere est apud Goarium; tum quia Scriptores Ecclesiastici, septimi, octavi, & noni præsertim sæculi confundere videntur manus impositionem cum unctione, tum denique quia in usu & praxi hodierna Episcopi nonnulli admittunt ad unctionem confirmatoriam etiam eos, qui præsentes non adfuerant, quando initio ritus Episcopus extendit manus versus confirmandos, & oravit, ut invocaret Spiritum sanctum. Hac opinione nihil ridiculum magis & absurdum fingi posse pronunciat Sirmondus Antirrhetici secundi c. 7. Illam tamen sequuntur Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis par. 2. cap. 2. Thomas Valdensis Tom. 2. de Sacramentis c. 113. Bellarminus de Sacramento Confirmationis Lib. 2. c. 9. Illustrissimus Petrus de Marca Notis in Concilium Claromontanum, ubi probat, Veteres in unctione chrismatis etiam manus impositionem, & vicissim in manus impositione, unctionem semper complexos fuisse; Isambertus noster ad q. 72. tertiæ partis S. Thomæ disp. 1. art. 4. Maldonatus Tractatu de Sacramento Confirmationis q. 2. & alii fere omnes recentiores Scholæ Magistri. *Tom. 10. Conc. p. 584. & seq.*

Petrus Aurelius in Orthodoxo adversus c. 7. secundi Antirrhetici Sirmondi, mediam quamdam inivit viam: nempe primis sæculis manus impo- *P. 562. & 563.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

posi-

positionem & unctionem duas fuisse distinctas actiones, subinde tamen ab octavo sæculo, & deinceps, nexu inseparabili utramque conjunctam fuisse.

His addi potest & alia opinio, quæ forte fuit Estii ante citati, sed non satis evoluta & distincta; scilicet Christum sic immediate pro materia Confirmationis essentiali instituisse manus impositionem, & unctionem, ut vel utraque, vel alterutra sit adæquata hujus Sacramenti materia essentialis cum forma sibi correspondente, relicta Ecclesiæ libertate, quam vellet pro temporum opportunitate usurpare. Hanc opinionem probabilem judicat Bellarminus L. de Confirmatione c. 9. Ante illum hanc insinuaverat Ruardus Tapperus art. 12. Reipsa quidem commoda foret ista opinio, & conciliando utriusque Ecclesiæ ritu in administranda Confirmatione, aptissima: hoc unum dumtaxat videtur ipsi deesse, quod conjecturis tantum subnixa sit, non certis ac solidis momentis; in figenda autem ac determinanda Sacramentorum substantiantia, non conjecturis, sed certis ex Scriptura, & Ecclesiæ traditione argumentis pugnandum sit. Quid vero nobis verisimilius videatur, sequens aperiet Conclusio.

CONCLUSIO.

Materia essentialis adæquata, & totalis Sacramenti Confirmationis, est impositio manuum, & unctio chrismatis.

Probatur isto generali momento. Signum externum ac sensibile, cui & Scriptura, & constans Ecclesiæ totius traditio tribuit virtutem conferendi baptizatis Spiritum Sanctum, idest gratiam confortantem, & roborantem ad fidem Christi constanter, & intrepide profitendam, essentialis est Sacramenti Confirmationis materia totalis, & adæquata; atqui talis est manuum impositio, & unctio chrismatis: ergo &c.

Minoris Propositionis pars utraque sigillatim probanda.

Prima pars Conclusionis, manus scilicet impositionem essentialem esse Sacramenti Confirmationis materiam,

Prob. 1. ex Scripturis. Act. 8. v. 14. 15. 16. & 17. *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et c. 19. v. 6. *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus.* His in locis verum ac proprie dictum Sacramentum exprimi constat ex argumento mox adducto; & qui ex Theologis docent Apostolos per illam manus impositionem, non ipsum Sacramentum, sed rem dumtaxat Sacramenti dedisse, ii nostro quidem judicio, rem catholicam, quam hic adversus Novatores propugnandam habemus, multum infirmant, quam nullo Scripturæ testimonio confirmare possunt.

Probatur 2. ex constanti Ecclesiæ utriusque Græcæ, & Latinæ traditione.

Ex Latinis jam superius, ubi de veritate seu existentia Sacramenti Confirmationis, laudavimus

Pro secundo sæculo S. Irenæum L. 4. c. 75. Tertullianum L. de Baptismo c. 7. & lib. de Resurrectione carnis c. 8.

Pro

Pro tertio, S. Cyprianum Epist. 73. ad Jubajanum.

Pro quarto, Concilium Eliberitanum Can. 38.

Pro quinto. S. Hieronymum Dial. adversus Luciferianos, S. Augustinum lib. 15. de Trinitate cap. 26. lib. 3. de Baptismo cap. 16. S. Hilarium Hom. de Pentecoste, quæ vulgo sibi nomine Eusebii Emisseni cum ceteris laudari solet, ubi ait, *Quod nunc in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donavit universis.* *Bibl. PP. T. 6. p. 649. C.*

Pro sexto sæculo, S. Gregorium in suo Sacramentario, ubi describit ritum administrandi Sacramentum Confirmationis: *Elevata*, inquit, *Pontifex manu supra capita omnium, dicit &c.*

Pro septimo. Conc. Hispalense, verba supra descripsimus.

Pro octavo, Ordinem Romanum qui eadem fere præscribit, iisdemque verbis ac Sacramentarium S. Gregorii.

Pro nono, Auctores, qui de rebus & Officiis Ecclesiasticis scripsere, Vvalafridum Strabonem lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 26. Amalarium Fortunatum lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis c. 27. Rabanum Maurum lib. de institutione Clericorum c. 30. Alcuinum lib. de Ecclesiasticis Officiis cap. de Sabbato sancto, & Epist. ad Oduinum Presbyterum, quos secuti sunt alii bene multi usque ad Petrum Lombardum, qui scribens in c. 6. Epist. ad Hebr. ait: *Nisi quis credat quod per manus impositionem detur Spiritus sanctus ad remissionem & corroborationem, non est fundatus.*

Pro sæculo decimo sexto, Conc. Senonense an. 1528. in Decretis fidei num. 10. ubi ait Christum Sacramentum Confirmationis instituisse, *cum parvulis manum imponeret*; & Apostolos illud promulgasse, *cum ad Samaritas miserunt Petrum & Joannem, a quibus illi (licet a Philippo Diacono antea baptizati) per impositionem manuum Spiritum sanctum acciperent.* Conc. Moguntinum an. 1549. Conc. Rhemense an. 1583. Narbonense ann. 1609. in quibus dicitur, post Baptismum Spiritum sanctum dari per impositionem manuum Episcoporum. Colonience an. 1536. par. 7. c. 8. *Omnes Fideles*, inquit, *per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* *Tom. 13. Conc. p. 452. D.*

Ex Græcis vero testes habemus,

Tertio sæculo, Firmilianum Epist. ad S. Cyprianum inter Cyprianicas 75. Dionysium Alexandr. apud Euseb. l. 7. c. 2. ubi de controversia inter Cyprianum ac Stephanum ait: *Quæstio non modica tunc temporis mota est, an debeant, qui ex quavis hæresi convertuntur, Baptismate repurgari; cum priscus mos esset, sola oratione erga illos cum impositione manuum uti.*

Quarto sæculo, Conc. generale I. Nicænum Can. 8. S. Chrysostomum in cap. 19. Actorum, & in cap. 6. Epistolæ ad Hebræos: verba supra relata sunt.

Quinto sæculo, Theodoretum, qui in eumdem Scripturæ locum scribit, *baptizatos per manum sacerdotalem accipere Spiritum sanctum.*

Eodem sæculo Gennadium apud Oecumenium, ubi ait, *merito ipsos primum adhortantes, ut a mortiferis operibus resipiscant; resipiscentes autem in Deum credant, credentes vero baptizentur, baptizati autem seipsos subjiciant impositioni manuum ad participationem Spiritus.* *T. 3. p. 418. D.*

Sexto sæculo, Eulogium Alexandrinum l. 2. contra Novatianum apud Pho-

P. 1606. n. 20. tium in Bibliotheca n. 280. ubi sic loquitur: *Deinde progressione facta, dignos reddi adventu Spiritus sancti, qui per impositionem manuum Apostolorum fiebat.*

Nono sæculo, Photium apud Oecumenium, ubi Confirmationem explicat per *manus impositionem.*

T. 2. p. 353. D. Undecimo sæculo, Oecumenium scribentem in cap. 6. Epist. ad Hebr. *Vocans quidem*, ait, *principium Baptisma, & manuum impositionem ac signaculum, quæ in eo sunt.*

Bibl. PP. T. 22. p. 768. C. Duodecimo sæculo, Simeonem Thessal. lib. de Templo, ubi sic loquitur: *Per manuum impositionem & insufflationem unguenti gratia impartitur.* Et lib. de septem Sacramentis fere a principio operis: *A Philippo*, inquit, *baptizati, tamquam qui solum Baptisma suscepissent; Petro ac Joanne imponentibus manus, Spiritum sanctum accipiebant: quod sane hoc Sacramentum est; siquidem manus impositio unguentum præbebat, ut & in Apostolis factum est, ac per ipsos multis aliis.*

Bibl. PP. T. 25. p. 140. Denique sæculo decimo tertio, Nicetam a patria dictum Choniatum lib. 4. Thesauri orthodoxæ fidei c. 36. in refutatione hæresis 36. ait, *manuum impositionem solam divini Spiritus accessum suggerere, atque in Apostolis tam efficacem fuisse, ut palam Spiritus sanctus descenderet.*

Eodem sæculo, Michaelem Paleologum & Episcopos Orientales in Epistola ad Gregorium X. relata in Conc. Lugdun. II. an. 1274. ubi testantur ratum esse Sacramentum Confirmationis, quod per impositionem manuum Episcopi conferunt. *Aliud est*, inquit, *Sacramentum Confirmationis quod per impositionem manuum Episcopi conferunt chrismando renatos.*

Tom. 11. Conc. p. 966. Quæ verba sunt Clementis IV. in ea fidei professione quam anno 1627. miserat ad eumdem Imperatorem Græcorum, apud Raynaldum Tom. 14. Hanc vero Ecclesiæ Romanæ fidem, ut & in aliis capitibus in eadem Epistola expressis, profitentur ac promittunt Græci se religiose observaturos, postulata solummodo licentia retinendi eos Ecclesiæ suæ ritus, qui cum exposita fide non pugnant.

Ex illis igitur Ecclesiæ utriusque momentis ac conspirante doctrina, pro certo tenendum manus impositionem esse partialem materiam essentialem Sacramenti Confirmationis a Christo Domino institutam.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. auctoritatem eorum, qui asserunt loco manuum impositionis, quæ olim dabatur, jam suffectam esse chrismatis unctionem: unde manifeste sequitur, manuum impositionem non amplius esse materiam essentialem Sacramenti Confirmationis. Ita porro sentiunt

Tom. 13. Conc. p. 536. Eugenius IV. S. Pontifex in Decreto seu Institutione Armenis data. *Secundum*, inquit, *Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* Post laudatum locum ex Actibus Apostolorum c. 8. sic pergit: *Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.*

Ibidem.

Decr. p. 279. Tom. 11. Conc. p. 676. In eumdem sensum adduci potest Conc. Trident. Sess. 7. Can. 2. ubi solius chrismatis mentionem facit. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

Innocentius III. c. *Cum venisset. De sacra unctione*, scribit, *per frontis chrismationem designari manus impositionem Apostolorum.*

Inno-

Innocentius vero IV. ait illam manus impositionem repræsentari *per frontis chrismationem seu Confirmationem*.

Synodus Moguntina ann. 1549. c. 18. Rectoribus Ecclesiarum injungit, *ut diligenter populum instruant, cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione adhibita chrismatis unctione cœperit conferri*. Quo loco manifeste supponit Concilium, manus impositionem, qua usi sunt primitus Apostoli, mutatam subinde fuisse, ejusque loco subrogatam chrismatis unctionem. An porro mutari posset illa manus impositio, si essentialis ac necessaria foret ad substantiam Sacramenti?

Adde & orthodoxam confessionem Ecclesiæ Orientalis ann. 1662. a Nectario Jerosolymitano, & quatuor Sedibus Apostolicis approbatam, cujus in quæst. 104. hæc leguntur: *Hæc vero unguenti inunctio, aut potius hæc unctionis ejus efficacia, ævo Apostolorum per impositionem manuum fiebat, dicente ita Scriptura Actor. 8. v. 7. Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum. Postmodum in unctione unguenti fieri cœpit, teste Dionysio Areopagita Eccles. Hierarch. c. 2. & 4.* *Martene de antiq. Eccles. ritus T. 1. p. 244.*

Resp. 1. nec Eugenium, nec Concilium Trid. circa præsentem controversiam quidquam definiisse. Cum enim S. Pontifex in citato Decreto assignat unctionem pro materia Confirmationis, non excludit manus impositionem; quomodo cum assignat instrumentorum porrectionem pro materia Sacramenti Ordinis, impositionem manuum pariter non excludit, quam constat in utraque Ecclesia semper adhibitam fuisse tamquam hujus Sacramenti essentialem materiam.

2. Cum dixit Eugenius, loco impositionis manuum, quæ ab Apostolis usurpabatur, dari in Ecclesia Confirmationem, sensus non est, ait Bellarm. lib. 2. de Sacramento Confirmationis c. 9. *chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non usi fuerint chrismate, & nos non utamur impositione manus*: sed sensus est: *idipsum, quod Apostoli faciebant, cum dicebantur imponere manus, facere nunc Episcopos; cum dicuntur confirmare, vel chrismare. Distinguitur enim in his locis, non ritus a ritu, sed modus loquendi a modo loquendi, & persona a personis; & denique illa particularis impositio manuum, ab ista quæ modo est: siquidem tunc communiter dicebatur hoc Sacramentum impositio manus, nunc dicitur communiter Confirmatio .... denique illa erat efficacior, quia cum effectu interno dabat etiam externum, & cum gratia gratum faciente dabat etiam dona gratis data linguarum & miraculorum &c. Hac ergo ratione dici potest, id quod nunc fit, esse loco ejus, quod tunc fiebat, licet sit idem quoad substantiam.* *T. 3. p. 145. col. 1. B.*

Resp. Bellarmini confirmatur tum ex laudato Innocentio III. qui ait, *per frontis chrismationem manus impositionem designari, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*: non igitur alia res est, sed tantum aliud nomen: tum ex Concilio Senonensi an. 1528. in Decreto de Sacramento Confirmationis, ubi dicitur: *Nec obscurius quidem Christus Sacramentum Confirmationis instituit, cum parvulis manum imponerent. Quod & ab Apostolis legimus promulgatum, cum ad Samaritas miserunt Petrum & Joannem .... Unde & tunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est Sacramentum.* *Decr. p. 279.* *Tom. 14. Conc. p. 452. D.*

Ad Synodum Moguntinam dico, nos ipsi ultro subscribere qua parte asserit unctionem chrismatis ab Apostolica traditione dimanasse: cum

vero addit ; primitus solam manus impositionem sine unctione adhibitam fuisse ab Apostolis, cum Spiritus sanctus visibiliter super confirmatos appareret, sequuta est Synodus illa sententiam quorumdam Scholasticorum, qui existimant Apostolos per dispensationem sola manuum impositione Sacramentum Confirmationis administrasse, sicut multi existimarunt eos pari dispensatione in solo Christi nomine Baptisma contulisse.

Quæ laudata est orthodoxa fidei confessio Græcorum ann. 1662. & unctio, quam Græci adhibent, non excludunt manus impositionem, saltem eam, quæ cum unctione chrismatis conjuncta est, sicut mox exponemus.

Objicies 2. Græci hodierni, imo nec veteres, manus impositionem in administratione Confirmationis unquam adhibuere. Fatetur id Goarius in Notis ad Euchologium Græcorum p. 366. col. 2. agnoscit etenim eos Theologos, qui solam manus impositionem pro materia essentiali hujus Sacramenti admittunt, consequenter agnoscere debere nullum esse apud Græcos Sacramentum Confirmationis, cum apud ipsos non manus impositione, sed sola unctione chrismatis conferatur. *Si nudam*, inquit nu. 28. *& aridam manuum impositionem capitis obumbrativam Sacramenti hujus veram & germanam contendant esse materiam, cum nullam hujusmodi in Euchologiis antiquis, aut recentibus Manuscriptis, aut editis, reperire detur, Græcos ex consequenti Confirmationis signum non habere, nec etiam ab antiquo penes se habuisse, affirment necesse erit.* Et reipsa Sirmondus Antirrhetico 2. p. 51. Guidonis Carmelitæ nomine id affirmat. Atqui tamen falsissimum istud est: semper quippe Græci validum habuere, & etiamnum habent Sacramentum Confirmationis ; nec Latini ullam unquam circa caput istud litem cum illis habuere, quoties tentata fuit, vel inita cum illis unio. Multis id testimoniis confirmat loco mox citato Goarius.

Resp. itaque nego antec. Et quidem pro antiqua Ecclesia Græca testantur Scriptores, quos in confirmationem Conclusionis nostræ mox laudavimus: usurparunt illi haud dubie manus impositionem separatam ac distinctam ab unctione chrismatis. De recentioribus vero Græcis paullo major videtur esse difficultas. Goarius quidem in eorum Ritualibus nullam deprehendit manus impositionem separatam ac distinctam: attamen pagin. 355. istam refert Orationem : *Ipse Domine, Rex omnium benigne, signaculum doni sancti & omnipotentis & adorandi tui Spiritus, & sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi tui communionem ei largire, in sanctitate tua custodi illum, in vera fide confirma &c.* Quæ quidem Oratio manifeste pertinet ad Sacramentum Confirmationis ; ea quippe recitata, statim baptizatus sancto unguento ungitur in fronte sub hac forma : *Signaculum doni Spiritus sancti, & communio Corporis ac Sanguinis Christi ei conceditur.* Porro ex S. Augustino lib. 3. de Baptismo cap. 16. *Quid est manus impositio, nisi orari super hominem?* Illa igitur Oratio supponit vel includit aliquam manus impositionem. Deinde vero, esto concedamus apud Græcos recentiores nullam adhiberi manus impositionem tempore vel natura distinctam ab unctione, quam Goarius appellat manus impositionem *capitis obumbrativam* : at saltem in ipsamet unctione, quæ manu fit, quædam includitur manus impositio, eam repræsentans quam Apostoli usurpavere, de qua quæstione speciatim mox dicturi sumus.

T. 9. p. 117. E.

Obji-

Objicies 3. Multi ex veteribus Scriptoribus Sacramentum Confirmationis per solam unctionem chrismatis designant. Ita Cornelius apud Eusebium l. 6. c. 43. Conc. Laodicenum can. 48. S. Cyrillus Jerosolym. Catecheſi 3. mystagogica, S. Gregorius Nazianz. Oratione in sanctum Lavacrum, S. Greg. Nyssenus Orat. in Baptismum Christi, S. Chrys. Hom. 1. in Epist. ad Romanos, Theodoretus in caput primum Canticorum &c.

Resp. multos etiam ex SS. Patribus solam interdum manus impositionem appellare, sine unctione; nec inde tamen licet inferre, eos chrismatis unctionem excludere. Ita pariter, qui unctionem solam designant, manus impositionem non excludunt: pro data scilicet occasione, aut alterutram, aut utramque denotant. Frequentius quidem posteriores Scriptores per unctionem seu chrisma Sacramentum istud designant, quam per impositionem manuum; quia per unctionem expressius, quam per impositionem manus effectus hujus Sacramenti significatur.

Objic. 4. Duplex distingui potest in Confirmatione manus impositio: una prævia, quæ ab unctione tempore, ac natura separatur & sejungitur, cum nempe Episcopus extendens manus versus confirmandos, orationem fundit, qua Spiritum sanctum advocat; altera, qua Episcopus baptizatos sacro chrismate ungit in fronte. Atque neutra dici potest materia essentialis Confirmationis. Non prima: tum quia paullo longius dissita est, ac separatur ab unctione; tum quia multi Episcopi solent ad unctionem chrismatis admittere eos, qui absentes aderant, cum Episcopus manus extendit seu imposuit, invocans Spiritum sanctum. Non secunda: nihil quippe absurdius, ac ridiculum magis videtur Sirmondo Antirrhetico 2. p. 39. & 58. quam unctionem idcirco appellare manus impositionem, quia fit per manum. 1. quia Veteres nomine impositionis manuum intelligunt specialem ac distinctam actionem, quam vocant *capitis adumbrationem*, *manus extensionem*, *elevationem*, *expansionem*. 2. quia hac ipsa ratione pariter dici posset unctionem verticalem in Baptismo, & extremam infirmorum, esse manus impositionem, quia utraque fit per manum. *At*, inquit Sirmondus, *ridiculum somnium est dicere*, *ungendo manum imponi*, *& manus impositionem in unctione ipsa inesse*.

Gravissima est, non dissimulandum, ista objectio, maxime propter Græcos posteriores, apud quos, cum nulla sit impositio manus confirmatoria distincta ab unctione chrismatis, alterutrum concludere necesse est: vel illam impositionem manus ab unctione indistinctam sufficere, quod irridet Sirmondus; vel solam chrismatis unctionem pertinere ad materiam essentialem Confirmationis, abrogata veteri & Apostolica manus impositione; quod Scripturæ, Apostolorum, & Ecclesiæ praxi non minus adversatur, quam evidenti rationi: materia quippe Sacramenti, ut & Sacramentum ipsum, constans, ac perpetua esse debet in Religione, nec obnoxia mutationi.

Resp. itaque 1. quantum ad latinum Confirmationis ritum, appositam non esse, nec urgere objectionem, quia distincta, ac separata in eo fit manus impositio cum adjuncta oratione, quando nempe Episcopus extendit manus versus confirmandos, & orat; nec ulla ratio cogit, ut manus impositionem confundamus cum actione Episcopi chrismate ungentis frontem. Non quia prior manus impositio paullo dissita sit, ac sejuncta ab un-

unctione : duæ quippe illæ partes moraliter uniuntur ad idem efficiendum Sacramentum, nec prius istud operatur, quam perfectum, ac completum fuerit. Nonne Sacramentalis absolutio longo interdum temporis intervallo distat a declaratione seu confessione peccatorum Sacerdoti facta? An minus propterea efficax est Pœnitentiæ Sacramentum? Nec urget quod ajunt, nonnullos Episcopos solere ad unctionem chrismatis eos admittere qui non aderant, cum initio ritus Episcopus manus versus confirmandos extendit, seu expandit ; si ita est, quod ignoramus, abusus est corrigendus. In Sacramentis quippe administrandis & percipiendis nihil plane eorum, quæ observat & mandat Ecclesia, omitti debent; maxime quando, nulla prælucente Ecclesiæ definitione, dubia est, ac controversa inter Theologos Sacramenti alicujus materia vel forma : nisi enim hoc pendente dubio totum id observes, de quo dubitatur, periculum est ne irritum, ac nullum sit Sacramentum.

Resp. 2. quantum ad Græcos posteriores, tria reponi posse: primum, apud illos Sacramentum Confirmationis sola unctione chrismatis cum adjuncta forma: *Signaculum doni Spiritus sancti &c.* perfici, pro data scilicet a Christo Domino Ecclesiæ libertate, vel utramque partem, vel alterutram pro temporis opportunitate usurpandi. Commoda profecto sententia, & utroque ritu conciliando aptissima, si firmis niteretur fundamentis. Secundum, Græcos simul cum oratione paullo ante relata, specialem habere manus impositionem ab unctione distinctam. Verum, teste Goario, reclamant omnes eorum tum veteres, tum recentiores Libri Rituales, in quibus de illa manuum impositione altum est silentium. Tertium denique, manus impositionem, quæ pars est essentialis hujus Sacramenti, distinctam & separatam non esse ab unctione chrismatis, quæ recte impositio manus dicitur, quia manu fit. Quæ opinio, tametsi ridicula videatur Sirmondo, multos nihilominus in Schola patronos habet post Bellarminum, Petrum Aurelium, & alios.

De manus impositione distincta vel conjuncta cum unctione.

Itaque multi graves Theologi existimant, primis temporibus manus impositionem confirmatoriam distinctam, & separatam quidem fuisse ab unctione chrismatis, subinde vero cum illa conjunctam, & copulatam. Priorem partem his momentis probant.

Primis sæculis distincta fuit. *T. 9. p. 117. B.*

I. In usu, & phrasi tum Scripturæ, tum veterum Scriptorum, manus impositio singularis ritus ac cæremonia est, seu specialis actio, qua Sacerdos aut alius quilibet Superior divinam in aliquem potentiam ac virtutem invocat, ei benedicit, ac bene precatur. *Quid enim aliud est manus impositio*, ait S. Aug. lib. 3. de Baptismo c. 16. *quam oratio supra hominem?* In usu frequentissimo fuit ritus ille impositionis manuum apud Judæos, apud quos qui majores erant, & aliqua pollebant singulari Dei gratia, inferioribus manus imponendo benedicebant. Gen. 48. v. 14. A Judæis ad nos fluxit ritus imponendi manus. Matth. 19. v. 13. Christus pueris, ut eis benediceret, manus imposuit. Act. 8. ver. 19. Apostoli baptizatis manum imposuere, ut acciperent Spiritum sanctum. Ad Titum 4. v. 14. & c. 5. v. 22. Sacri ministri eodem ritu inaugurantur; qui certe specialis erat ab alia qualibet actione distinctus, & dicebatur simpliciter manus impositio seu extensio, elevatio.

II. Eodem plane sensu a Veteribus usurpatur, sive cum in electione mi-

ministrorum suffragii signum erat: quo sensu Conc. Laodicenum Can. 5. ait, *electiones debere fieri per impositionem manus*, interprete Balsamone. Unde Zonaras ad Canonem primum Apostolorum, ait, *ipsum suffragium vocatum esse chirotoniam*, hoc est, *manus impositionem*; quo sensu aliquando ab Auctoribus profanis sumebatur: sive cum adhibeatur ut ministri sacri inaugurarentur, & consecrarentur; ita idem Zonaras loco mox citato: sive cum erat signum orationis qua divina gratia in aliquem invocabatur; quo sensu a sumitur S. Aug. jam laudato, & a Zonara ad Can. 117. Conc. Carthaginensis; sive cum simplicem benedictionem significabat, ut in Conc. generali Nicæno I. Can. 19. sive denique cum ad materiam Sacramenti Confirmationis assumebatur. Quapropter Veteres de illa, & de unctione separatim, ac tamquam de duabus distinctis actionibus loquuntur. Ita Tertull. lib. de Baptismo c. 7. postquam dixit: *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione*; postea de novo veluti ritu loquens ait: *Dehinc manus imponitur &c.* Manus ergo impositio distincta erat, tempore, & natura ab unctione. Et lib. de Resurrectione carnis c. 8. distinctim etiam utrumque exponit, ac manus impositionem vocat adumbrationem. *Caro*, inquit, *ungitur ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur.* P. 831. E. P. 2. B. P. 226. D Ibid. c. 8. P. 330. B

S. Cypr. postquam Epist. 73. dixit: *Per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequuntur*; Epist. 70. ait: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit &c.* P. 124. P. 117.

Adde ex Veteribus antea citatis, cum & veritatem, & materiam Sacramenti exponebamus, eos omnes, qui vel de sola unctione, vel de sola manus impositione, vel de utraque separatim, & distinctim loquuntur; qui omnes clare significant se de duobus ritibus, seu duabus actionibus separatis ac distinctis sermonem habere.

Manifeste ac disertissime istud patet ex S. Gregorio, tum Ep. 67. l. 11. alias 61. ubi loquens de vario ritu, quo Hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur, opponit manus impositionem, per quam Occidens, unctioni chrismatis, per quam Oriens eos recipit. Tum in suo Sacramentario, ubi describens ritum administrandi Sacramentum Confirmationis, ait: *Episcopus elevata manu super capita omnium, dicit: Omnipotens sempiterne Deus &c.* Idem iisdem fere verbis repetit Ordo Romanus cap. de Sabbato Sancto. *Pontifex*, inquit, *veniens ad infantes, tenente Archidiacono chrisma, involutis scapulis, & brachiis ex panno lineo, elevata, & imposita manu supra caput omnium, det orationem super eos, cum invocatione septiformis Spiritus sancti gratiæ . . . Oratione expleta, interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrisma, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Idem plane reperias in Pontificali Romano, ubi certe cæcus sit oportet, qui non videat manus impositionem esse ritum, & actionem distinctam ab unctione; igitur valde probabile est, primis temporibus manus impositionem fuisse distinctam, & tempore, & natura ab unctione. T. 2. p. 1167. B. T. 2. p. 73. E. Bibl. PP. Tom. 13. p. 697. col. 1.

Secunda pars, nempe duas illas actiones olim distinctas, & separatas in unam subinde coaluisse; adeoque illam manus impositionem prævium unctioni, quæ initio ritus Sacramenti Confirmationis peragitur, esse dumtaxat cæremoniam accidentalem, non essentialem materiam.

Probant 1. ex Græcis saltem posterioribus, qui, fatente ipsomet Goario in notis ad Euchologium pag. 366. non habent illam capitis adumbrativam, ut loquitur, manus impositionem, & tamen verum retinent Confirmationis Sacramentum. Ergo dicendum est, vel solam unctionem apud illos esse materiam essentialem hujus Sacramenti, vel in illa includi ac confundi manus impositionem. Et vero in eorum Rituali nulla fit mentio impositionis manus, sed unius dumtaxat unctionis pag. 336. & 371.

Probatur 2. auctoritate Scriptorum Ecclesiasticorum ab octavo præsertim sæculo, qui unctionem fieri per manus impositionem Episcoporum declarant. Ita

T. 8. p. 558. v. 70. Beda in Psalm. 26. *Illa unctio*, inquit, *quæ per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur.*

Carolus Magnus Capitularium c. 18. *Ne quis*, inquit, *a Coepiscopis per manus impositionem confignari vel confirmari unquam velit.*

Bibl. PP. T. 14. p. 959. E. Amalarius l. 1. de Officiis c. 27. *Ut ab Episcopis solis*, inquit, *inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est.*

Haymo Hom. in feriam 2. Paschæ. *Ecclesia*, inquit, *ungit baptizatos, dum per impositionem manus Spiritus Septiformis invocatur.*

Rabanus Maurus l. 1. de Institutione Clericorum c. 28. refert ex Sylvestro S. Pontifice, *ad solum Episcopum pertinere, ut baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate confignet.* *T. 6. p. 9. H.*

Ratramnus Corbejensis l. 4. contra oppositam Græcorum c. 7. *Donum*, inquit, *Spiritus sancti tribuitur per impositionem manuum, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur ab Episcopis.*

Dachery Spicil. T. 2. p. 142. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramento fidei c. 10. *Sancta Ecclesia*, inquit, *prius in aqua mundatur baptismatis, & sic unctione chrismatis insignitur per manus Pontificis.*

T. 2. p. 803. col. 2. Rupertus lib. 5. de divinis Officiis cap. 17. *Jam*, inquit, *non soli Pontifices & Reges, sed & omnis Ecclesia unctione chrismatis per manus impositionem consecratur, quod solis Episcopis debetur, ut confignent, & Spiritum sanctum tradant.*

Adde, omnes fere recentiores Scholasticos post Bellarminum in hanc conspirare sententiam: ut enim concilient, qua ratione impositio manus, per quam Apostoli tradiderunt Spiritum sanctum, reperiatur in nostro Confirmationis Sacramento, affirmant eam in ipsa unctione chrismatis, quæ per actionem manus perficitur, includi, ac contineri.

Juvat hic Bellarmini verba referre l. 2. de Sacramento Confirmationis cap. 2. Objicienti Kemnitio rejectam a nobis manus impositionem, ejusque in locum unctionem substitutam fuisse, respondet id falsum esse.

T. 3. p. 137. col. 2. *Bis enim*, ait, *Episcopus manus imponit confirmandis, ut ex Pontificali Romano intelligi potest: semel cum super eos manus extendit, atque orat; & rursum cum signat in fronte, atque ungit: ipsa enim unctio, & signatio cum manu fiat, manus impositio rectissime dicitur, ut docet Hugo L. 2. de Sacramentis part. 7. c. 2. Unde etiam Marci 7. cum postulassent quidam, ut Dominus manus imponeret lunatico; ille id fecit: nam digito tetigit linguam, & aures ejus.* Idem repetit c. 9. *Alia solutio est*, inquit, *quæ mihi longe probabilior videtur, Thomæ Vvaldensis Tom. 2. de Sacramentis cap. 113. & Hugonis de S. Victore Lib. de Sacramentis part. 7. c. 2. qui dicunt idem esse unctionem* *Ibid. p. 144. E.*

chris-

chrismatis, & manus impositionem: qui enim inungit, manus imponit, & idcirco utrumque significari; etiamsi alterum tantum exprimi videatur.

Ex his hactenus facile solvuntur, quæ in quarta objectione opponit Sirmondus.

Ad primum fatemur, quod mox probatum est, primis temporibus manus impositionem confirmatoriam tempore separatam ac distinctam fuisse unctione chrismatis; subinde vero utramque actionem in unam coaluisse demonstrant laudati Scriptores VII. VIII. & IX. sæculi, quæ duo non satis distinxisse videtur Sirmondus.

Ad secundum: ridiculum quidem videtur Sirmondo, unctionem chrismatis ideo appellare manus impositionem, quia fit per manum; alias, & unctio verticalis in Baptismo, & extrema infirmorum unctio, pariter dici posset manus impositio, quia utraque fit per manum.

Verum non tam absonum ac ridiculum visum illud fuit Ruperto, qui l. 5. de divinis Officiis c. 16. sic ait: *Sylvester Papa constituit, ut baptizatum liniat Presbyter chrismate, propter occasionem tranſitus mortis, ne propter absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizati migrent.* T. 2. p. 805. col. 1.

Hugo Victorin. l. 2. de Sacrament. p. 7. c. 3. ait pariter: *Sylvester Papa constituit, ut baptizatum Presbyter in vertice chrismate liniat, propter occasionem tranſitus mortis: ne forte propter absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizatum ab hac migrare contingeret.* En unctio verticalis in Baptismo, quæ *manus impositio* appellatur a Ruperto & Hugone, atque in periculo mortis imaginem quamdam gerit impositionis manuum Episcopalis. Fatendum nihilominus, non ita usu pervulgatam, ac receptam istam loquendi formam. Quid ita? quia manus impositio nunquam habita fuit pro materia vel cæremoniæ, qua, qui baptizatur, in vertice ungitur; vel extremæ infirmorum unctionis. Atque ut libere dicam, quod sentio, hoc unum ab opinione Sirmondi nos revocat, quod vix cum illa stare, ac defendi possit veritas Sacramenti Confirmationis apud Græcos posteriores, quos certum est, nullam habere manus impositionem confirmatoriam distinctam ab unctione chrismatis: unde sequitur, quod jam diximus, aut nullum esse apud Græcos hodiernos Confirmationis Sacramentum, quod falsum est; aut illud sola unctione chrismatis, exclusa manus impositione, perfici, quod cum Scriptura, Apostolorum, ac Ecclesiæ praxi, ac traditione conciliari non potest. p. 460. B.

Quæres, an de fide sit, utramque manus impositionem, sive eam, quæ prævia est unctioni, sive aliam, quæ ipsi conjuncta est, ad essentiam Confirmationis pertinere.

Resp. silente hic Ecclesia, & fidem ipsam quoque silere. Utramque revera manus impositionem apud nos in usu esse constat ex Ordine, ac Pontificali Romano; utramque rite observandam esse, postulat religio, securitas, ac reverentia Sacramenti. An vero utraque essentialis Sacramento, dubium est, ac controversum. Negare videtur Conc. Bituricense an. 1584. titulo de Confirmationis Sacramento can. 3. ubi nullam aliam in administratione hujus Sacramenti formulam præscribit, præter istam: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate saluti, in nomine Patris &c.* Affirmare econtra videtur tum Conc. Colonienſe an. 1536. c. 8. tum Moguntinum an. 1549. c. 17. & 18. ubi Tom. 15. Conc. p. 1088.

docet

docet 1. *Sacramentum Confirmationis ex inſtitutione Chriſti & Apoſtolorum praxi, Eccleſiæ relictum eſſe.* 2. *inde Eccleſiam Catholicam Spiritum ſanctum per manus Epiſcoporum fidelibus tradendi normam accepiſſe.* 3. *hoc Sacramentum ab initio ſola manuum impoſitione exhibitum fuiſſe.* 4. *ſub ipſis temporibus Apoſtolorum, ex eorum traditione, adhibita chriſmatis unctione cœpiſſe conferri.*

Conc. p. 532. Ibid. p. 676. & 677.

Requirit Concil. Moguntinum eam manuum impoſitionem quam Apoſtoli uſurparunt: atqui hoc ipſum Concilium docet, Apoſtolos ſola manuum impoſitione confirmaſſe. Tum denique Conc. Remenſe an. 1583. c. de Confirmatione, ubi ait effectum hujus Sacramenti, *nonniſi per impoſitionem manuum Epiſcopi* conferri nulla chriſmatis injecta mentione.

Tom. 15. Conc. p. 891.

Nos affirmanti ſententiæ, tamquam Antiquorum menti magis conformi, ultro adhæremus, ac manus impoſitionem, quæ initio ritus ab Epiſcopo fit, & tempore diſtincta eſt ab unctione, ad ſubſtantiam Sacramenti Confirmationis pertinere arbitramur.

Secunda pars Concluſionis, nempe unctionem chriſmatis eſſentialem eſſe Sacramenti Confirmationis materiam,

Probatur ex conſtanti, ac perpetua Eccleſiæ, ac SS. Patrum traditione ab ipſis Apoſtoli ad nos uſque derivata. Merito ſanctus Auguſtinus l. 4. de Baptiſmo c. 24. ait: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur.*

T. 9. p. 140. C.

Cum ſupra probavimus veritatem ſeu exiſtentiam Sacramenti Confirmationis, nonnulla laudata fuere teſtimonia quæ unctionis neceſſariæ mentionem faciunt, eique virtutem tribuunt conferendi Spiritum ſanctum. Ita ſanctus Irenæus, Tertullian. ſanctus Cyprianus, Cornelius S. Pontifex, Concil. Laodicenum, Concil. Arauſicanum I. ſanctus Cyrillus Jeroſolymitan. ſanctus Ambroſius, ſanctus Auguſtin. Innoc. I. Gregor. Verba ſuperius jam relata conſule, ne ſæpius eadem repetamus. Narrat Euſebius Hiſt. l. 3. c. 23. ex Clemente Alexandrino, hiſtoriam juvenis cujuſdam, quem ſanctus Joannes Epiſcopo commendaverat, a quo juvenis ille *baptizatus eſt, & ſignaculo Chriſti communitus*. Signaculum porro illud ipſum eſt unctionis, ſeu Confirmationis Sacramentum. Tempore igitur Apoſtolorum unctio illa confirmatoria in uſu erat.

P. 92.

His addi poſſunt

S. Pacianus tum Ep. 1. ubi Confirmationem appellat *chriſma*, ſicut Baptiſma *lavacrum*. Tum ſerm. de Baptiſmo, ubi ait *chriſmate ſuperfundi Spiritum ſanctum*.

Bibl. PP. T. 4. p. 357. A. Ibid. p. 379. A.

Theodoret. l. 1. in Cantica, ubi ait, *eos, qui initiantur* (ſacro Baptiſmate) *veluti ſigno, ac nota quadam regia ſpiritalis unguenti chriſmate inunctos, ſub ea viſibili unguenti ſpecie inviſibilem ſanctiſſimi Spiritus gratiam ſuſcipere*.

T. 1. p. 1002. B.

S. Leo Serm. de Nativitate Domini: *Renati*, inquit, *per aquam & Spiritum ſanctum, accepiſtis chriſma ſalutis, & ſignaculum vitæ æternæ*.

T. 1. p. 156. P. 84. B.

Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſt. c. 31. de Clodoveo Rege ſcribens, *Rex*, inquit, *omnipotentem Deum in Trinitate confeſsus, baptizatus eſt in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, delibutuſque ſacro chriſmate cum ſignaculo crucis Chriſti*.

Synodus Hiſpalenſis an. 656. c. 7. *Presbyteris*, inquit, *non licet nec chriſma conficere, nec chriſmate frontes baptizatorum ſignare*.

Tom. 5. Conc. p. 1666. B.

Su-

Superfluum videtur plura congerere ad rem claram, & usu hodierno Ecclesiæ tam certam & constantem demonstrandam; quapropter & Decretum Eugenii, & Synodus Tridentina Sess. 7. Can. 2. unius dumtaxat chrismatis mentionem hic faciunt.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Altum est de unctione chrismatis silentium, cum Scriptura memorat datum ab Apostolis Sacramentum Confirmationis, Act. 8. & 19.

Varia est, pro sententiarum varietate circa materiam essentialem Confirmationis, ad istud argumentum responsio.

Respondent 1. nonnulli, unctionis confirmatoriæ fieri mentionem secundæ Corinth. 1. v. 21. & 22. *Qui autem*, ait, Apostolus, *confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Quem textum de Confirmatione interpretantur sanctus Ambrosius l. de his, qui initiantur c. 7. sanctus Chrysostomus, & Theodoret. in hunc locum, & sanctus Hilarius. Adducunt præterea & locum ex c. 2. v. 27. primæ Epistolæ sancti Joannis, ubi dicitur: *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis*; quæ verba de Sacramento Confirmationis exponit sanctus Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi mystagogica 3. & sanctus Augustinus in hunc locum.

Respondent 2. alii cum Sirmondo, unctionem illam, de qua Apostolus, non externam esse, sed internam, per diffusam in cordibus Spiritus S. gratiam. Responsioni favet Synodus Moguntina paullo ante laudata, quæ asserit, Apostolos per solam manus impositionem Spiritum sanctum dedisse.

Respondent 3. alii, argumentum illud negativum ex silentio Scripturæ, nullius esse ponderis, cum alia positiva suppetunt ex constanti Ecclesiæ praxi, ac traditione, quæ altera est fidei nostræ regula: certum quippe est, multa Christum & Apostolos fecisse, quæ in Libris sacris exarata non sunt, teste S. Jo. c. 20. v. 30. Et vero multa credimus & observamus in ipsa Sacramentorum administratione, quæ in Scripturis diserte, ac clare expressa non legimus, v. g. inter baptizandum verba ista esse pronuncianda: *Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*; infantes baptizandos esse; ratum esse Baptismum ab Hæreticis datum, quæ, ut alia bene multa sola Traditione ad nos pervenerunt. Idem quoque judicandum de unctione ab Apostolis usurpata, quamquam de illa fileat sacer Contextus; silendo enim eam non excludit; eo fere modo quo cum eadem Scriptura refert baptizatum a Philippo Eunuchum, postquam professus fuit *se credere Filium Dei esse Jesum Christum*; alia necessaria, quæ tacet, non excludit, sed supponit. *In eo quod ait: Baptizavit eum Philippus*, inquit S. Aug. L. de fide & operibus c. 9. *intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda.* T. 6. p. 172. E.

Respondent 4. alii, Apostolos sola manus impositione dedisse Sacramentum Confirmationis, pro libertate sibi a Christo concessa, ut vel manus impositionem, vel unctionem, vel utramque simul pro materia Confirmationis adhiberent, cum alterutra sufficiens sit hujus Sacramenti materia. Ita Synodus Moguntina an. 1549. c. 18. Estius, & alii.

Instabis 1. Si Ecclesiæ Traditio tam constans, ac certa foret pro unctione

ne

ne confirmatoria, ac nos contendimus, de fide esset unctionem illam ad substantiam Sacramenti pertinere, nec cuiquam fas esset obloqui; atqui tamen multi sunt inter Theologos, qui salva fide, volunt unctionem chrismatis integrantem dumtaxat, ipsam vero manuum impositionem solam essentialem esse materiam Sacramenti Confirmationis. Ita Petrus Aureolus, Sirmondus, Sambovius antea citati.

Resp. vulgo quidem consentire inter se Theologos, ex Traditione Ecclesiæ perpetua necessariam esse unctionem in Confirmatione; sed non consentire de gradu, seu specie necessitatis, quæ ex eadem Traditione colligi potest: alii enim necessitatem essentialem seu Sacramenti putant se in Traditione deprehendere, alii vero necessitatem dumtaxat usus & præcepti Ecclesiastici, ad integritatem quidem, sed non ad substantiam Sacramenti; circa quam controversiam Ecclesia nihil hactenus pronunciavit, sive in Florentino, sive in Tridentino Concilio. Non in Florentino: in Decreto quippe dicitur tantum, unctionem chrismatis esse materiam Confirmationis; sed non exprimitur, an sit essentialis, an integrans: nemo vero ignorat, quæcumque de materia vel forma Sacramentorum eo in Decreto præscribuntur, non pertinere ad essentiam vel substantiam eorum, aut saltem non esse de fide certa & definita. V. g. quando ait, unctionem debere fieri ex balsamo; materiam Sacramenti Ordinis esse porrectionem instrumentorum: an inde merito concludi potest, ea pertinere ad substantiam illorum Sacramentorum, aut saltem istud de fide certum, ac definitum esse? minime profecto. Nihil pariter definitum habemus in Concilio Trid. Sess. 7. Can. 2. Eo quippe Canone damnantur dumtaxat Novatores, qui affirmant *eos esse Spiritui sancto injurios*, qui chrismati vim aliquam spiritualem adscribunt: an autem chrisma illud sit necessarium necessitate Sacramenti, minime decernit Synodus, cui semper sollemne istud fuit, ne controversias in Scholis agitatas dirimeret, ac definiret. In præsenti igitur quæstione, salva fide, sua unicuique relinquitur sentiendi libertas.

Instabis 2. Etsi tota Traditio doceat aquam in calice Eucharistico miscendam esse vino, non tamen bene concluditur illam esse necessariam necessitate Sacramenti; ergo idem de unctione confirmatoria sentiendum.

Qui unctionem illam docent necessariam tantum esse ad integritatem Sacramenti, paritatem ultro admittunt.

Alii vero respondent, disparitatem in eo esse, quod ea ipsa Traditio, quæ docet, aquam esse vino Eucharistico miscendam, docet etiam eam non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed tantum præcepti; siquidem ratam & validam habet Eucharistiam in solo vino consecratam: econtra Traditio docet unctionem & adhibendam, & necessariam esse ad substantiam Sacramenti, cum ipsi virtutem tribuat conferendi Spiritum sanctum.

Instabis denique: SS. Patres non raro meris Sacramentorum cæremoniis effectum spiritualem adscribunt. Sic Tertullianus l. de Baptismo c. 7. & sanctus Cyrillus Hierosolymit. Catechesi mystagogica 2. unctioni baptismali multam vim tribuunt. Non igitur censeri debet unctio necessaria & essentialis materia Confirmationis, eo quod SS. Patres virtutem aliquam spiritualem ipsi attribuant. Resp. nego conseq. & pariter Disparitas est, quia constanter & conceptis verbis SS. Patres affirmant, per unctionem confirmatoriam, tamquam per verum Sacramentum, Spiritum sanctum con-

conferri. Consule loca superius citata. Unctioni vero baptismali hoc unum tribuunt, ut sit nota regiæ, ac sacerdotalis dignitatis, in qua virtutem aliquam spiritualem agnoscunt quidem; at non ex opere operato, sed ex opere tantum operantis.

Objicies 2. cum Sirmondo famosum canonem secundum Concilii I. Arausicani an. 441. quo declaratur unctionem necessariam & essentialem non esse in Sacramento Confirmationis. Gravis circa hujus canonis & textum & sensum controversia exarsit an. 1631. inter Sirmondum insignem e Societate Jesu Theologum, & Petrum Aurelium, seu Sancyranum Abbatem. Controversiæ occasionem dedit Censura sacræ Facultatis Parisiensis, quæ inter plures alias istam propositionem notaverat: *Confirmatio Episcopalis, post institutam presbyteralem chrismationem Baptismi, non est tam necessaria, quam fuit antea.* Hanc confirmare auctoritate Concilii Arausicani I. cum tentasset sub ementito nomine *Hermanni Leomelii*, unus e Societate Jesu Theologus; Aurelius in *Vindiciis Censuræ Sorbonicæ adversus spongiam Leomelii*, falsitatem propositionis aggressus, de canone illo Arausicano prolixe disputare cœpit, tum de textu, an particula negativa *non* legenda foret, ut contendit Sirmondus; an delenda, ut placet Aurelio: tum de sensu ipso, seu explicatione canonis. De Canone Arausicano.

Textus canonis, juxta lectionem Sirmondi, iste est: *Nullum ministrorum, qui baptizandi recipit officium, fine chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est: non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Lectio Sirmondi. Tom. 2. Conc. p. 1447.

Aurelius vero detracta particula *non*, sic legit postremam canonis partem: *Nam inter nos chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est: non ut præjudicans quidquam, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.* Lectio Aurelii.

Uterque vero, tum Sirmondus, tum Aurelius, lectionem suam, quæ vel supponit vel detrahit particulam *non*, confirmat auctoritate Codicum manuscriptorum, vel editionum Conciliorum.

Sirmondus utroque Antirrhetico laudat Codices, Tilianum, Lugdunensem, Rhemensem, Victorinum, editionem antiquam Colonienſem, vetera Isidori Exemplaria, in quibus legitur particula *non*. (1)

Aurelius econtra opponebat vulgatas omnes, & antiquas Conciliorum editiones, quæ omnes particulam negativam non continent, tres Merlinianas, duplicem Binianam, Surianam, Crabbianam duplicem, quæ ad marginem rejicit particulam negativam *non*. Gratianum *De Consecratione*, dist. 4. c. *Nullus*. Porro Auctores illarum editionum procul dubio suos Codices habuerunt ac consuluerunt.

Hac porro supposita textus ac lectionis varietate & dissonantia, textus ex sensu, non sensus ex textu æstimari debet: atque æquitas, & ratio postulat, ut ille sensus alteri præferatur, qui ad mores, & disciplinam ætatis Concilii Arausicani, hoc est quinti sæculi, magis accedere, & accom-

(1) His adde antiquissimum Lucensem, ut videre est T. 6. Mansianæ Conciliorum editionis, quæ Venetiis e Zattæ typographio emittitur.

commodatus esse videtur. Quis autem ille est? An qui Sirmondi? An qui Aurelii, en quæstio.

Sensus & expositio Sirmondi.

Sensus igitur ac mens Sirmondi hæc est, unicam, eamque frontis chrismationem in Baptismo fieri debere; ac consequenter prohibere Concilium ne minister baptizaturus sine chrismate progrediatur. Quod si casu aliquo contigerit baptizatum chrismate inunctum non fuisse, de hoc monendum Episcopum a quo chrismetur, quia chrismatis una est benedictio, sive in Baptismo sive in Confirmatione: ita ut si quis in Baptismo chrismatus fuerit, necesse non sit eum iterum ab Episcopo chrismari, *non præjudicans quidquam*, id est nullum inde damnum percipiens, *quia necessaria non habetur repetita chrismatio*; sed satis est, si per manus impositionem Episcopalem recipiat Spiritum sanctum. Ex qua Sirmondi sententia hæc sequuntur, quæ ille ultro concedit ac fatetur. 1. unctionem verticis in Baptismo nondum ætate Concilii Arausicani in usu fuisse apud Gallos, sed solam frontis unctionem. 2. frontis unctionem non pertinere ad essentiam Sacramenti Confirmationis, quod una manuum impositione essentialiter perficitur. 1. illam unctionem frontis nequidem fuisse Confirmationis cæremoniam, sed tantum Baptismi, quam idcirco minister Baptismi ordinarius, Presbyter, Diaconus, ex Officio conferebat. 4. ætate Concilii Arausicani, quæ secunda est ex tribus quas distinguit Sirmondus, unctionem & re, & tempore separatam fuisse ab impositione manus.

Verum multa hic Sirmondus gratis supponit, quæ prorsus falsa videntur.

I. Supponit unctionem verticis in Baptismo quinto sæculo Gallis ignotam fuisse. Atqui tamen Concilium Vasense II. an. 442. can. 3. mandat *ut Presbyteri per singula territoria a suis propriis Episcopis per annos singulos chrisma petant, appropinquante sollemnitate Paschali ... Optimum enim est, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est.* Porro non in fronte, sed in vertice unctio hæc peragebatur.

Tom. 3. Conc. p. 1447.

II. Supponit unicam esse unctionem, eamque frontis, quæ a ministris Baptismi ordinariis solita esset dispensari; at id falsum, & repugnat tum Decreto Sylvestri, quod in Pontificali refertur, tum Decreto Innocentii I. quo paucis ante Concilium Arausicanum annis statuerat, *ut Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere liceat, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum.*

Tom. 2. Conc. p. 1246.

III. Supponit omissam in Baptismum verticalem unctionem suppleri non debere, *quia necessaria non est repetita chrismatio.* Atqui manifeste id repugnat communi Ecclesiæ disciplinæ, quæ semper voluit omissas ex necessitate Baptismi cæremonias supplendas esse. Illustre nobis exemplum suppeditat Cornelius S. Pontifex in Epist. ad Fabium Antiochenum. Novatianum reprehendit, eo quod liberatus a morbo, propter quem in lecto baptizatus fuerat, reliqua non perceperat, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent; neque ab Episcopis consignatus fuisset. Apud Euseb. l. 6. Hist. c. 43.

IV. Falso prorsus supponit Sirmondus, ætate Conc. Arausicani Sacramentum Confirmationis sola manuum impositione sine ulla unctione collatum fuisse, imo chrismatis unctionem nequidem Confirmationis cæremoniam

moniam fuisse, sed tantum Baptismi, atque tunc temporis unctionem & re, & tempore sejunctam fuisse ab impositione manus Episcoporum. His omnibus aperte repugnant, quæ paullo ante relata sunt testimonia ex sancto Irenæo, Tertulliano, sancto Cypriano, Cornelio S. Pontifice, Conc. Laodiceno, quibus certo constat unctionem simul, & manus impositionem, adhibitam fuisse in administratione Sacramenti Confirmationis.

Hactenus de sensu seu explicatione Sirmondi: Aurelius autem detracta particula negante *non*, agnoscit unctionem frontis omnino necessariam ac essentialem esse Sacramento Confirmationis. In duobus dumtaxat a communi sententia recedit. 1. Asserit unctionis verticalis in Baptismo usum in Galliis non fuisse, ante Synod. Arausic. an. 441. Verum illius meminit Innoc. I. an. 416. verba mox relata sunt, & S. Hieron. ætate sua Presbyteris ac Diaconis præceptam fuisse testatur in Dial. adversus Lucifer. an. circiter 392. Hanc instituisse creditur Sylvester S. P. sub initio sæculi quarti. 2. Affirmat Aurelius, Episcopos nusquam solitos fuisse baptizatos ungere in vertice: quod si antequam consignent in fronte, noverint omissam verticis unctionem, eam ipsi non supplent, sed remittunt ad Presbyteros, ab iis supplendam. Verum quis in animum suum facile induxerit; Episcopos, dum sollemniter baptizabant, unctionem illam verticalem aut omisisse aut conferre per se non potuisse? quasi majus quidquam foret cæremoniam perficere, quam Baptismum ipsum.

Ex canone igitur Arausicano expungenda particula *non*, qua expuncta, sensus canonis apertus est, facilis, ac cohærens cum disciplina hujus temporis; atque objectio proposita nulla est; imo canon ille conclusioni nostræ pondus, & auctoritatem addit.

Objicies 3. Materia Sacramenti essentialis eadem esse debet specie in utraque Ecclesia; sed unctio, quam Græci adhibent, specie differt ab unctione Latinorum. Græci quippe chrisma suum componunt ex diversis herbis fragrantibus, ut legere est apud Goarium, cum olei, & vini quantitate non modica, iisque omnibus simul concoctis: Latini vero ex oleo, & balsamo, iisque non decoctis.

Resp. Græcorum chrisma substantia non differre a chrismate Latinorum: immixtio enim diversorum aromatum naturam olei non immutat, in quo uno tota salva est unctionis materia essentialis ac necessaria.

Quæres 1. quonam præcise tempore incœperit usus chrismatis in Sacramento Confirmationis.

Resp. 1. plane improbandam esse opinionem tum Alexandri Alensis, qui chrisma institutum fuisse existimat a Concilio Meldensi octavo sæculo; tum Joannis de Bacone, qui originem illam refert ad Concilium quoddam Aurelianense initio sexti sæculi: namque vel ipso secundo, tertio, quarto, & subsequentibus sæculis, apud Irenæum, Tertullianum, Cyprianum Cornelium &c. Chrismatis mentionem factam legimus, per quam baptizatis Spiritus sanctus conferebatur.

Resp. 2. usum Chrismatis ab Apostolis ipsis inductum fuisse: ea quippe, quæ Ecclesia in administratione Sacramentorum constanter usurpat, quorum origo ac initium consignari certo non potest, ex Traditione Apostolica descendere necesse est. Ita S. Aug. antea laudatus l. 4. de Baptismo c. 24. An vero Apostoli inter confirmandum chrismate usi fuerint, non consentiunt Theologi.

logi. Affirmant nonnulli, negant alii: tum propter silentium Scripturæ, tum propter multitudinem eorum, quibus Apostoli manus imponebant, ut acciperent Spiritum sanctum, quos omnes inungere difficile admodum & operosum tunc temporis fuisset; tum denique quia potuerunt illi, Christo permittente pro temporis necessitate, solam usurpare manus impositionem, injuncta tamen successoribus lege, ut chrismate deinceps uterentur.

Quæres 2. qua parte corporis fieri debeat unctio confirmatoria.

Resp. in fronte. Innocent. I. in Epist. ad Decentium c. 3. duplicem distinguit unctionem, quæ ad Baptismum pertinet, & fit a Presbyteris; alteram in fronte, quæ confirmatoria dicitur, solis Episcopis reservata: *Nam*, ait S. Pontifex: *Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum.* Unctio porro baptismalis, de qua Innocentius, vericalis est, quæ nempe fit in vertice capitis, ut vulgo interpretantur Theologi. Scilicet *omnes Christiani*, ait Innoc. III. *De sacra unctione* c. 1. *unguntur bis ante Baptismum oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter scapulas; & bis post Baptismum, scilicet chrismate sancto, primum in vertice, demum in fronte.*

Tom. 2. Conc. p. 1246. C.

Antiquissimum esse in Ecclesia unctionis confirmatoriæ usum in fronte patet ex Tertulliano l. 3. c. Marc. c. 22. ubi *signaculum frontium* inter *Ecclesiarum Sacramenta* recenset. Et lib. de Præscript. c. 40. ait *dæmonem*, ad imitationem ritus Christianorum, *signare etiam in fronte milites suos*. Patet ex can. 7. Concilii secundi œcumenici, quo injungitur, *sancto chrismate* frontem ungendam esse. Ex S. Cyrillo Jerosolymitano Catech. 3. myst. *Chrismate Christi*, ait, *frons & alii sensus corporis tui symbolice inunguntur*. Patet denique, ut alia plura mittamus, ex Sacramentario sancti Gregorii: *Pontifex*, inquit, *tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim.*

P. 410. D.

P. 216. D.

P. 235. E.

T. 3. p. 74. A.

Istud vero discriminis est inter utramque Ecclesiam, Græcam, & Latinam, circa unctionem confirmatoriam, quod Latini eam dumtaxat adhibent in fronte; Græci vero inungant, non tantum frontem, sed oculos & nares, & os, & aures, & pectus, aliqui etiam & manus, & pedes. Sola autem unctio frontis essentialis est.

Quæres cur unctio confirmatoria fiat in fronte.

Resp. cum S. Aug. in Ps. 141. n. 9. *Quia in fronte erubescitur*, (verba sunt sancti Doctoris) *ille qui dixit*; *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in Cælis est: ipsam* (Crucis) *ignominiam quodammodo, quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit.*

T. 4. p. 1583. E.

S. Th. 3. p. q. 72. art. 9. in corp. varias rationes, quibus Veteres utuntur, complexus est: *Dicendum*, inquit, *quod in Sacramento homo accepit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnæ, ut fortiter, etiam inter adversarios fidei, Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte, propter duo: primo quidem, quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens, & manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani, maxime frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur, & ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut manifesto demonstret se esse Christianum: sicut & Apostoli post acceptum Spiritum*

ritum ſanctum ſe manifeſtaverunt, quia prius in cœnaculo latebant. Secundo, quia aliquis impeditur a libera confeſſione nominis Chriſti propter duo, ſcilicet propter timorem, & propter verecundiam. Utriuſque autem horum ſignum maxime manifeſtatur in fronte, propter duo, ſcilicet propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc, quod ſpiritus a corde directe ad frontem aſcendunt: unde verecundati erubeſcunt, timentes autem palleſcunt. Et ideo in fronte ſignatur chriſmate, ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittat.

S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 3. myſtagogica, exponit pariter, cur non tantum frons, ſed & aliæ nonnullæ corporis partes ſacro chriſmate liniantur: *Frons*, inquit, *& alii ſenſus corporis tui ſymbolice inunguntur; & corpus equidem iſto viſibili unguento perungitur, anima vero ſancto vivificoque Spiritu ſanctificatur. Ac primum quidem fronti illinitur, ut eum abſtergat a vobis pudorem, quem primus homo tranſgreſſor perpetuo circumferebat; ſimulque efficiat, ut poſſitis vultu non velato gloriam Dei intueri: Deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum divina myſteria aures accipiatis . . . Poſtea nares, ut divinum recipientes unguentum dicatis*: Chriſti gratus eſt odor Deo in his, qui ſalvantur. *Tum vero & pectus inungitur, ut induti thoracem juſtitiæ, fortiter adverſus inſultus diaboli conſiſtatis. Ut enim Salvator poſt Baptiſmum, & Spiritus ſancti adventum egreſſus in prælium devicit adverſarium; ſic & vos poſt ſacrum Baptiſmum, & Chriſma myſticum, induti armis ſancti Spiritus adverſus oppoſitam vobis poteſtatem conſiſtitis, & prælia-mini, dicentes: Omnia poſſum in eo qui me confortat, Chriſto.* p. 235. B.

Quæres 3. an neceſſe ſit unctionem ad modum ſeu figuram Crucis adminiſtrari, & qua neceſſitate; an præcepti tantum, an etiam Sacramenti.

Reſp. 1. certum eſse in utraque Eccleſia unctionem confirmatoriam in forma Crucis miniſtrari. Patet ex Ordine, & Pontificali Romano, & S. Aug. in Pſal. 141. & ex S. Th. 3. p. q. 72. art. 9. &c. & certe vix ulla eſt Eccleſiaſtica cæremonia, quæ abſque ſigno Crucis perficiatur: *Quod ſignum* ait S. Aug. Tract. 118. in Joan. *niſi adhibeatur, ſive in frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo, quo chriſmate unguuntur, ſive ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* T. 3. p. 2. p. 80. E.

Reſp. 2. diſcordes eſse Theologos, an hæc figura Crucis ad eſsentiam ritus, ſeu Sacramenti Confirmationis pertineat. Negat Cardinalis Aureolus l. 4. Sent. diſt. 1. q. 1. Econtra D. Th. 3. p. q. 72. art. 4. S. Bonaventura in 4. diſt. 7. art. 1. q. 1. ad 3. & 4. Alexander Alenſis 4. p. q. 9. membr. 2. §. 2. videntur exiſtimare ſignum illud Crucis pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti. Ratio eſt, quia hæc Crucis figura continetur in formula ipſa ſeu ſignificatione hujus Sacramenti, qua ſublata, formula hæc ſeu ſignificatio vera non eſset. Quid enim ſignificat? non debere hominem baptizatum crucem Chriſti erubeſcere, imo aperta fronte eam conſtanter & intrepide profiteri. *Quia vero in fronte erubeſcitur*, ait S. Auguſtinus jam citatus in Pſal. 141. *ille qui dixit*: Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt: *ipſam crucis ignominiam quodam modo, & quam pagani derident, in loco pudoris noſtri conſtituit*. Et S. Thom. mox citatus: *Ideo*, inquit, *in fronte ſignatur chriſmate, ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittat*. Et Eugenius in Decreto toties laudato: *Ideo*, inquit,

Tom. 13. Conc. p. 536. D. inquit, *in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue crucem ejus, qui Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, ſecundum Apoſtolum; propter quod ſigno crucis ſignatur.*

De confectione, conſecratione, & applicatione chriſmatis.

Opiniones Scholaſticorum.

Non moror hic, nec Hæreticorum blaſphemiam, qui chriſmatis unctionem & conſecrationem, magicam excantationem, per ſummam impietatem appellant; nec Græcorum ſchiſmaticorum calumniam, qua nono ſæculo Latinos traducebant, quaſi chriſma conficerent ex aqua fluminis: quam calumniam propulſarunt Nicolaus I. Epiſtola 70. ad Epiſcopos Galliæ, & Ratramnus lib. 4. c. 7. Operis quod occaſione iſtius Epiſtolæ, juſſu Epiſcoporum Galliæ, adverſus Græcos edidit. Noſtrorum dumtaxat Scholaſticorum circa propoſitum articulum variás exhibeo ſententias.

Sunt qui volunt balſamum neceſſarium eſſe neceſſitate Sacramenti. Ita Ægidius Coninck, Gamachæus, Yſambertus 3. p. S. Thomæ ad q. 72.

Sunt econtra qui neceſſarium tantum dicunt ex præcepto & uſu Eccleſiæ. Ita Cajetan. in 3. p. S. Th. q. 72. art. 2. Scotus in 4. diſt. 7. art. 2. Eſtius in 4. diſt. 4. §. 8.

Pariter circa benedictionem chriſmatis factam ab Epiſcopo diſſentiunt. Aliqui putant eam ad ſubſtantiam Sacramenti pertinere, ut Coninck, Yſambertus: alii volunt eam dumtaxat eſſe neceſſariam ex præcepto, non quidem divino, ſed Eccleſiaſtico. Ita Paludanus in 4. diſt. 7. q. 4. art. 1. Cajetanus loco citato art. 3. Dicunt alii ſtare Sacramentum abſque omni prævia chriſmatis conſecratione, quam opinionem Eſtius tribuit Franciſco a Victoria, & Emmanueli Sa. Iſta vero ſententia non videtur alia eſſe, quam ſecunda mox dicta.

Denique circa ipſam applicationem chriſmatis in ſignum Crucis, adhuc diſcordes ſunt, ut jam obſervavimus. Aliqui videntur æſtimare modum illum chriſmandi per ſignum Crucis, neceſſarium eſſe neceſſitate Sacramenti, ut Soto in 4. diſt. 7. art. 4. Alii vero negant, ut Aureolus. Aliqui putant eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod unctio fiat in fronte, ut Gregorius de Valentia; Franciſcus vero de Victoria id negat. His ita præmiſſis, Articulum hunc nonnullis interrogationibus, ac reſponſis abſolvemus.

Quæres itaque 1. quid ſit chriſma.

Reſp. juxta vim nominis idem eſſe ac unguentum, derivatur enim a verbo χρίω, *ungo*. Unde Innocentius I. in Epiſtola ad Decentium, materiam unctionis infirmorum, quæ ſolo conſtat oleo abſque balſamo, chriſma nominat. In uſu autem Eccleſiaſtico, chriſma ſignificat aliquem unguenti ſpeciem ex oleo, & aliis quibuſdam odoriferis conflatam, ad materiam Sacramenti Confirmationis deſtinatam, neceſsariam ſeu ex præcepto, ſeu ex natura ipſius Sacramenti.

Quæres 2. ex quibus conſtet chriſma apud Græcos.

Reſp. Græcos præter oleum, & balſamum, triginta quinque genera aromatum ſeu herbarum fragrantis odoris admiſcere, una cum vini non exi-

exigua quantitate, de qua mixtione legi posſunt Haberti Vabrenſis Epiſcopi, & Goarii notæ ad hunc Euchologii locum.

Quæres 3. ex quibus conficiatur chriſma apud nos.

Reſp. confici *ex oleo, quod nitorem conſcientiæ; & ex balſamo, quod odorem bonæ famæ ſignificat*, ait Eugenius in Decreto. Ita S. Gregor. in ſuo Sacramentario, & omnes Libri Rituales, & Auctores, qui de divinis Officiis ſcripſere. S. Th. 3. p. q. 72. ad 3. docet oleum illud debere exprimi ex olivis, neque ſufficere oleum nucum, amygdalorum, aut aliud ſimile; quia ſolum oleum ex olivis expreſſum vere & proprie oleum dicitur.

Quæres 4. an balſamum ſit neceſſarium in Confirmationis materia, neceſſitate Sacramenti.

Reſp. negative. 1. quia Veteres ſæpiſſime ſolius olei mentionem faciunt v. g. Tertullianus, Cyprianus, Concilium Laodicenum, Ambroſius, Auguſtinus. 2. quia chriſma, de quo tam frequenter Veteres, ſæpe ſimplex oleum ſignificat: ut patet ex Innocentio I. qui oleum infirmorum appellat chriſma. 3. quia ita docet Innocentius III. c. *Paſtoralis. De Sacramentis non iterandis*, ubi conſultus an iteranda foret Confirmatio ſolo oleo collata, abſque balſamo, reſpondet *nihil eſſe iterandum, ſed caute ſupplendum id, quod incaute fuerat omiſſum*. Atqui ſi nullum fuiſſet Sacramentum abſque balſamo, non tantum ſupplendum fuiſſet, quod defuerat, ſed etiam omnino iterandum, cum parte eſſentiali caruiſſet. 4. denique, quia non magis admixtio hæc balſami videtur pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti, quam admixtio triginta quinque ſpecierum aromatum apud Græcos: atqui iſta procul dubio non eſt eſſentialis: ergo &c. *Decret. p. 281. n. 10.*

Et certe Chriſtus, qui voluit Sacramenta prompta & facilia eſſe ſalutis noſtræ ſubſidia, voluit conſequenter ea rebus facilibus, & obviis conſtare: atque Hæreticis, cum ad nos redeunt, vix ſuaderi poterit Confirmationem verum eſſe Sacramentum (in quo tamen uno inſiſtendum eſt) ſi ab illis obtinere volueris, balſami, & aliorum aromatum mixtionem ad eſsentiam hujus Sacramenti pertinere.

Neque contrarium definivit Eugenius in ſuo Decreto: tum quia tantum ait chriſma debere confici ex oleo & balſamo, non explicando nec ſtatuendo an balſamum neceſsarium ſit neceſſitate Sacramenti, an vero præcepti, & uſus Eccleſiaſtici: tum quia neminem latet, quæcumque eo in Decreto præſcribuntur circa materiam aut formam Sacramentorum, non eſse ad ſubſtantiam Sacramentorum neceſsaria; v. g. aquam debere vino calicis Euchariſtici miſceri: id quidem verum eſt, ſed an pertinet ad eſsentialem materiam calicis Euchariſtici? minime. Similiter agendo de verbis conſecrationis, refert Eugenius ea omnia, quæ in Eccleſia Latina proferri ſolent, quæ tamen omnia, & ſingula verba non ſunt abſolute neceſsaria ad eſsentiam conſecrationis.

Quæres 5. an antiqua ſit illa balſami cum oleo Confirmationis mixtura.

Reſp. illius apud Latinos mentionem non occurrere ante ſextum ſæculum, quo floruit S. Gregorius Magnus, qui in ſuo Sacramentario mixtionem hanc commendat; ſicut & Gregorius Turonenſis lib. 4. de Gloria Martyrum, & alii ſubſequentes Scriptores.

Neque eſt, quod opponas 1. Epiſtolam Fabiani S. Pontificis tertio ſæculo, in qua docet mixtionem hanc a Chriſto eſse inſtitutam.

Namque quis vel leviter eruditus jam ignorat, Epistolas SS. Pontificum ante Siricium, si quædam exceperis fragmenta a Veteribus relata, suppositicias esse & adulterinas, quæ continent res a moribus & disciplina ætatis, in qua scriptæ supponuntur, omnino alienas?

Neque est 2. quod dicas, quarto desinente sæculo, idolorum Sacerdotem, cum ad votum Juliani apostatæ solita incantamenta peragere non posset, existimaretque se alicujus Christiani præsentia cohiberi, Imperatori dixisse: *Require, Imperator sacratissime, quis adest ablutus, balsamo unctus; & abscedat.* Quo sermone commotus Julianus dixit: *Quis est hic numinibus nostris contrarius, ac Religionis Christianæ socius, qui frontem chrismatis inscriptione signatam ferat?* Ita refert Gregorius Turonensis l. 1. de Gloria Martyrum c. 41 Quarto igitur sæculo balsamum usurpabatur a Christianis in Sacramento Confirmationis.

Greg. Turon pag 768. A.

Non est, inquam, quod hoc opponas. Namque Gregorius Turonensis pro more ætate sua recepto, sacerdotem illum idolorum loquentem induxit, adeoque unctionis & balsami mentionem facit, quia, qua vivebat ætate, hoc est sexto sæculo, balsamum oleo Confirmationis admiscebatur.

Et certe Prudentius, ex quo historiam illam hausit Gregorius, de solo chrismate loquitur, nulla de balsamo injecta mentione.

Neque dicas 3. S. Cyprianum in Sermone de unctione, illius balsami meminisse: namque compertum est apud omnes, Sermonem hunc non esse S. Cypriani, sed Arnoldi Bonæ vallis, vel alterius Cypriano longe recentioris.

Resp. 2. apud Græcos veteres altum quoque esse silentium de mixtione balsami & aliorum aromatum in oleo Confirmationis. Sanctus quidem Justinus Dial. cum Tryphone p. 313. mixtionis hujus meminit, sed eo loci de Sacramento Confirmationis ne cogitat quidem, ut legenti patebit. S. pariter Dionysius, seu quisquis Auctor est Libri de Ecclesiastica Hierarchia c. 4. de illa mixtione loquitur: verum ex hoc ipso probant eruditi, Librum hunc non esse Dionysii Areopagitæ, sed Auctoris longe posterioris, utpote qui contineat ritus ætate Dionysii incognitos. Unde de illa mixtione tacent SS. Basilius, Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi quarta mystagogica, quæ tota est de chrismatis expositione, S. Chrysostomus, Theodoretus, Cyrillus Alexandrinus &c.

Quæres 6. an necessaria sit chrismatis benedictio per Episcopum facta; & an valeret chrisma per simplicem Sacerdotem benedictum.

Resp. ad primum, benedictionem chrismatis factam ab Episcopo, & necessariam esse, & antiquam, quia Veteres sive Latini sive Græci illam exigunt & commendant. Ita Tertull. L. de Baptismo, ubi *benedictam* appellat *unctionem*; S. Cyprianus Ep. 70. ubi ait, *oleum in altari sanctificari*; Optatus l. 7. Innocentius I. epist. ad Decentium, S. Aug. Tract. 118. in Joan. *Quid est*, inquit, *quod omnes noverunt, Signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Idem præcipit Eugenius IV. in Decreto. Græci pariter hanc benedictionem chrismatis commendant; sanctus Cyrillus Catechesi 3. S. Basilius lib. de Spiritu sancto c. 27. & omnes eorum Libri Rituales.

T. 3. p. 2. p. 802. B.

Resp.

Resp. ad secundum, consecrationem seu benedictionem chrismatis necessariam non esse necessitate Sacramenti, quia talis necessitatis nullum satis firmum ex Traditione proferri potest argumentum. Et vero licet aqua baptismalis debeat prius ex usu Ecclesiæ consecrari, & benedici, valida tamen est materia Baptismi sine tali consecratione. Neque usus Ecclesiæ contrarium evincit: namque ex ipso usu ac Traditione Ecclesiæ certum est, aquam in calice Eucharistico miscendam esse; neque tamen hæc mixtio pertinet ad essentiam consecrationis calicis.

Resp. ad tertium, chrisma per simplicem Sacerdotem consecratum non valere, si prohibeat Ecclesia; accedente vero ejus licentia, valere, quia consecratio hæc juris est dumtaxat Ecclesiastici, non divini.

Prior responsionis pars probatur ex l. 7. Capitularium Caroli Magni c. 329. ubi chrisma confectum a Corepiscopis declaratur non esse pro Sacramento habendum, quia Corepiscopi non sunt veri Episcopi. Idem colligitur ex Concilio Carthaginensi II. & III. & Innocentio I.

Posterior pars probatur ex Conc. Toletano I. can. 20. ubi sic legimus: *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum chrisma conficere.* Quo loco Concilium non declarat irritam consecrationem chrismatis factam a Presbytero ante prohibitionem; neque ad jus divinum recurrit, sed ad usum, & consuetudinem Ecclesiæ. (1) *Tom. 2. Conc. p. 1226. D.*

Quæres 7. qui sint ritus præcipui consecrationis chrismatis.

Resp. 1. prioribus sæculis licitum fuisse Episcopis omni die chrisma conficere, ut colligitur ex Concilio Toletano I. can. 20. postea vero unicam huic consecrationi faciendæ diem assignavit Ecclesia, nempe feriam quintam majoris hebdomadæ, ut constat ex usu Ecclesiæ hodierno.

Resp. 2. in consecratione chrismatis istos præsertim ritus observari.

I. Funduntur preces, juxta istud Apostoli 1. ad Timoth. 4. vers. 6. *Omnis creatura Dei . . . sanctificatur per verbum Dei & orationem.*

II. Fit signum crucis super oleum, & balsamum; sine illo enim nihil posse consecrari docent S. Chrysostomus Hom. 4. in Matth. & S. Aug. Serm. 181. de tempore & Tract. 118. in Joan.

III. Episcopus halat aliquoties super ampullam chrismatis, quam cæremoniam immerito fugillant Novatores, quasi quid superstitiosum contineret: est enim sancta, & antiqua apud S. Gregorium in Sacramentario,

(1) Sed & alia id exempla confirmant. Nam VVadingo teste in Annalib. Minor. T. II. ad ann. 1444. Eugenius IV. Fabiano de Baschia Ordinis Minorum ad Indos proficiscenti veniam dedit Chrisma conficiendi. Exstat apud Mabillonium Musei Italici p. 2. Joannis Diaconi epistola hæc ad Senarium scribentis p. 73. *Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut Presbyteri sanctum chrisma conficiant; quod merito moveret, si istam Pontificalis auctoritas licentiam non dedisset.* Ultro tamen fatemur, inquit Benedictus XIV. de Syn. Diœc. *l. 7. c. 8. n. 2.* ejusmodi exempla, si vera sint, pauciſſima tamen esse, atque utplurimum non aliter consuevisse a Summis Pontificibus simplices Sacerdotes insigniri potestate administrandi Sacramentum Confirmationis, nisi sub expressa conditione adhibendi Chrisma non a se, sed ab Episcopo consecratum.

& in Ordine Romano, & significat, ait Amalarius lib. 1. c. 12. *ipsum Spiritum sanctum, qui per Confirmationem confertur.*

IV. Chrisma confectum salutatur ab Episcopo & Presbyteris in hunc modum: *Ave sanctum chrisma.* Antiqua pariter est hæc salutatio, cujus mentio fit in Ordine Romano, & apud Amalarium. Neque est quod Novatores salutationem hanc tamquam veram adorationem idololatricam traducant; siquidem non absoluta est, neque ad ipsum chrisma in se physice spectatum refertur; sed ad Christum, cujus symbolum est, ad quem directe ac primario obsequium istud tendit. Neque vero inusitatum est apud Veteres, in signum lætitiæ, & gratulationis res sensu destitutas salutare. Sic B. Andreas videns Crucem ait: *Salve crux.* Sic Fortunatus salutat diem festum Resurrectionis, *Salve*, inquit, *festa dies, toto venerabilis ævo.* Sic sancta Paula salutavit Bethleem, cum eam primo vidit, referente S. Hieronymo, Epistola de ejus obitu.

V. Denique, Presbyteri Parochiarum a proprio Episcopo, non a viciniore, sacrum chrisma quotannis petere tenebantur. Ita colligitur ex Conc. Liptinensi, ex Vasensi can. 3. & Antissiodorensi can. 6. Quod autem supereft veteris chrismatis, ex usu & praxi Ecclesiæ comburi debet. Severe autem cautum est, ne quid Episcopi a Presbyteris exigant aut accipiant pro balsamo emendo ad conficiendum chrisma. Ita in Conc. Cabillonensi II. can. 16. Aquisgranensi II. can. 5. Meldensi can. 45. Barcinonensi c. 2. Toletano XI. c. 8.

ARTICULUS IV.

De forma Sacramenti Confirmationis.

CErtum est apud omnes, formam Sacramenti Confirmationis positam esse in verbis quæ pronunciat Episcopus, dum illud administrat. *Accedit verbum ad elementum*, ait sanctus Augustin. *& fit Sacramentum.* Non omnes autem consentiunt in illis verbis assignandis. Episcopus dum manus imponit, seu extendit versus confirmandos, orat, ut invocet Spiritum sanctum; Oratio autem illa his verbis concepta refertur in Pontificali Romano: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cælis.* In Sacramentario sancti Gregorii p. 72. & Ordine Romano hæc adduntur: *Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii, & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: adimple eos spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.* Qua expleta Oratione, Pontifex tincto in chrismate pollice, efformat in fronte signum Crucis dicens: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis; in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Forma Confirmationis apud Latinos.

Forma Confirmationis apud Græcos. *Goarius Ibid. p. 556.*

Apud Græcos hunc ritum confirmandi refert Goarius in Euchologio p. 355. 2. col. *Dominum precemur. Benedictus es Domine Deus omnipotens... qui & nunc recens illuminatum servum tuum per aquam & Spiritum, peccatorum sponte atque etiam indeliberate commissorum remissione ei concessa, regenerare voluisti: ipse, Domine Rex omnium benigne, signaculum doni sancti & omnipotentis & adorandi tui Spiritus, & sancti corporis & pretiosi Sanguinis Christi tui communionem ei largire. In sanctitate tua custodi illum, in vera*

fide

fide confirma, a maligno, & omnibus ejus astutiis erue &c. qua Oratione terminata, baptizatum sancto unguento ungit, Crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus dicens: *Signaculum doni Spiritus sancti.* Manifestum est ex isto utriusque Ecclesiæ ritu administrandi Sacramenti Confirmationis, eamdem prorsus esse quoad sensum utrobique Confirmationis formam: hoc unum discrimen est, quod apud Latinos Oratio immediate juncta sit cum impositione seu extensione manuum; apud Græcos vero nulla legatur manus impositio separata & sejuncta ab unctione.

Controversia igitur movetur inter Theologos, quibus in verbis posita sit essentialis, ac necessaria forma Confirmationis. An in illa Oratione quam Episcopus manus extendens pronunciat; an in verbis, quæ profert dum frontem baptizati chrismate inungit; an in Oratione simul & illis verbis, ita ut ex duplici forma partiali & inadæquata una exsurgat totalis & adæquata; sicut ex duplici materia inadæquata & partiali, manus scilicet impositione, & unctione, unam totalem componi diximus. Circam quam controversiam Novatores errant, nostri vero Theologi, salva & integra fide, in varias opiniones abeunt.

Error Novatorum.

Novatores Lutherani & Calvinistæ circa formam Sacramenti Confirmationis errant, ac nobis turpiter imponunt.

I. Ex Lutheranis Kemnitius in 4. p. examinis Conc. Trid. formam istam, *Signo te signo crucis &c.* explodit, ac sugillat tamquam novam, ac recentem, cujus nulla mentio nec in Scripturis, nec in antiquis Scriptoribus; quæ tota conficta videtur a nescio quo ex istis Ambrosii verbis in Libro de iis, qui initiantur c. 7. *Serva quod accepisti, signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus.*

Calvinus l. 4. Inst. c. 19. §. 5. *Peragitur*, ait, *Confirmatio hac verborum formula: Consigno te signo crucis &c. Pulchre hæc omnia, & venuste, sed ubi Dei verbum, quod Spiritus sancti præsentiam hic promittat? Ne jota quidem obtendere possunt. Unde ergo nos certiores facient chrisma suum vas esse Spiritus sancti? Videmus oleum crassum scilicet & pinguem liquorem, præterea nihil. Accedat, inquit S. Augustinus, verbum ad elementum, & fiet Sacramentum. Hoc, inquam, verbum proferat, si quicquam nos intueri in oleo volunt aliud, quam oleum.* P. 537

Idem sentit Dallæus l. 1. de Confirmat. c. 2. *Forma hæc*, inquit, *Signo te signo crucis &c. ab Evangelica majestate, gravitate atque genio, tantum distat, quam cælum a terra.*

Marcus Antonius de Dominis insignis apostata l. 5. de Republ. Christiana c. 5. n. 44. probat orationem non posse esse formam Sacramenti, *quia oratio impetrat gratiam ex opere, quod ajunt, operantis; at formæ Sacramentorum eam conferunt ex opere operato.*

II. Novatores, ut facilius simplicioribus illudant, ac fucum faciant, nobis imponunt, ac fingunt formam Sacramenti Confirmationis apud nos nullatenus in oratione positam esse, sed in solis istis verbis: *Signo te signo crucis &c.* idque nostris tam ex fide certum, ac exploratum esse, ut ea salva nemini liceat aliter sentire, ac docere; at imponunt, ut mox patebit.

Opiniones Scholæ.

Noſtri vero Scholaſtici conſtantes quidem docent, aliquam eſſe Sacramenti Confirmationis eſſentialem & neceſſariam formam; ſed in ea aſſignanda non una eſt eorum opinio.

Qui pro materia eſsentiali Confirmationis ſolam aſſignant unctionem, in qua manus impoſitionem confundunt, ii pro forma eſsentiali adæquata
P. 77. C. iſta dumtaxat agnoſcunt verba: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*; vel iſta apud Græcos, *Signaculum doni Spiritus ſancti*. Ita S. Th. 3. p. q. 72. art. 3. Eſtius in 4. diſt. 7. §. 10. Bellarm. l. 2. de Sacram. Confirm. c. 10. Maldonatus Tract. de Confirm. q. 2. ubi ait formam iſtam *ſemper in uſu fuiſſe, cujus origo ſeu initium reperiri non poteſt*, & alii fere omnes qua veteres, qua recentiores Scholaſtici; manus vero impoſitionem unctionis præviam, meram dicunt eſse cæremoniam.

Inter iſtos vero Theologos nonnulli ſunt, qui poſt Bellarminum, ajunt in verbis mox citatis tacitam includi orationem, quamquam verba hæc: *Signo te, confirmo te*, abſoluta ſint; atque ita conciliant & Scripturam & Veteres, qui formam Sacramenti Confirmationis in oratione, qua invocatur Spiritus ſanctus, collocare videntur. Ita Petrus Aurelius in Orthodoxo adverſus Sirmondi Antirrheticum 2. in c. 7. p. 568. Rurſus litigant inter ſe de neceſſitate exprimendi nomen Patris & Filii & Spiritus ſancti in forma adducta. Sunt qui cum Armacano ſeu Richardo Radulpho Archiepiſcopo Armacano, qui obiit an. 1359. l. 9. adverſus Armenos c. 12. & Soto in 4. diſt. 7. art. 4. putant id ad ſubſtantiam Sacramenti pertinere; quam opinionem tutiorem quidem, licet oppoſitam probabilem, judicat Eſtius. Alii negant invocationem hanc Trinitatis pertinere ad ſubſtantiam formæ Confirmationis. Sunt qui exiſtimant neceſsarium eſse exprimere actum perſonæ confirmantis, & perſonæ confirmatæ, atque propter defectum hujus expreſſionis ſuſpectam habent formam Græcorum. Ita Yſambertus ad 3. p. q. 72. diſt. 4. art. 3. Sunt denique, qui exiſtimant eſſe de fide formam Confirmationis eſſe poſitam in verbis adductis. Ita Suar. in 3. p. S. Th. q. 72. art. 4. diſp. 33. ſect. 5.

II. Qui contendunt ſolam impoſitionem manus eſſe materiam eſſentialem & neceſſariam Confirmationis, & unctionem eſſe partem dumtaxat integrantem, ii formam ejuſdem eſſentialem reponunt in ea Oratione, quam Pontifex dum manum extendit verſus confirmandos, fundit ad invocandum Spiritum ſanctum: iſta vero verba: *Signo te, confirmo &c.* quæ dixit Pontifex, dum frontes ſingulorum inungit, ad integritatem ſolummodo accidentalem Sacramenti, & ad majorem effectus ipſius ſignificationem pertinere contendunt. Ita Sirmondus, Sambovius, Morinus, qui l 8. de Pœnit. c. 16. n. 5. putat antiquitus in Confirmationis adminiſtratione ſolam orationem in uſu fuiſſe; poſtea vero, ab annis nongentis, viſum fuiſſe in chriſmatis unctione aliquid pronunciare.

III. Qui exiſtimant & manus impoſitionem, quæ initio ritus adminiſtrationis Confirmationis fit, & unctionem, eſſe partes eſſentiales, ſed inadæquatas hujus Sacramenti, ii quoque volunt & orationem, quæ impoſitioni manus; & iſta verba: *Signo te, confirmo te, &c.* quæ unctioni

re

respondent, formam esse partialem essentialem, atque ex utraque tum materia, tum forma exsurgere perfectum & integrum essentialiter Sacramentum Confirmationis.

IV. Sunt qui de forma Confirmationis idem sentiunt, quod de materia: Christum nempe in genere dumtaxat, non in specie, ac sigillatim designasse materiam & formam Sacramenti Confirmationis, relicta Ecclesiæ suæ libertate quam vellet pro temporum opportunitate aptiorem eligere ac usurpare; eaque libertate Ecclesiam usam fuisse, cum manus impositionem & orationem, exemplo Apostolorum, adhibuit pro materia & forma Confirmationis, usque ad septimum vel octavum sæculum, quo unctio chrismatis pro materia, & verba ista: *Signo te, confirmo te &c.* pro forma introducta fuerunt. Jam observavimus commodam fore, ac Theologorum dissidiis circa rem præsentem componendis aptissimam istam sententiam: verum hoc habet difficile, tum quod non satis firmis nixa videatur fundamentis, tum quod substantiam Sacramentorum, in quam Ecclesia nullam potestatem habet, variis mutationibus obnoxiam faciat.

Ex illa porro sententiarum varietate, ac discrepantia facile intelligitur præsentem quæstionem ad fidem non pertinere, quæ nullo in Concilio generali definita legitur. *Presens controversia ad fidem non pertinet.*

Non in Tridentino, in quo materiæ vel formæ Sacramento Confirmationis essentialis, nulla prorsus mentio.

Non in Florentino. In Decreto quidem Eugenii seu Instructione Armenis data, dicitur: *Secundum Sacramentum est Confirmatio: cujus materia est chrisma &c. forma autem est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* *Tom. 13. Conc. p. 536. A.* Verum 1. Non definit nec determinat Eugenius, an sit materia & forma essentialis, an tantum integrans, an necessaria necessitate tantum usus, ac præcepti, an vero Sacramenti. 2. Fatentur omnes fere Theologi, sicut jam observavimus, nonnulla eo in Decreto contineri circa materiam Confirmationis, circa balsamum, ejusque compositionem, sicut & circa materiam sacræ Ordinationis, quæ ad fidem non pertinent, sed ad Scholæ controversiam. 3. Decretum illud vim definitionis seu decreti totius Concilii Florentini non habere; editum quippe fuit Decretum illud Florentiæ, jam dissoluto Concilio, quod pro unione Latinorum & Græcorum celebratum fuerat. Armeni quippe, quos Eugenius de fide, ac doctrina Latinorum instruit, Florentiam non appulerunt, nisi post absolutam & subscriptam Synodum; ac Decretum Eugenii post discessum Græcorum, anno nempe 1439. decimo Kal. Dec. editum fuit. Quapropter cum sub finem illius dicitur: *Datum Florentiæ in publica Sessione synodali sollemniter in Ecclesia majori celebrata*: de solis dumtaxat Occidentalibus Episcopis intelligi istud debet, qui Florentiæ, Præside Eugenio, congregati fere annis duobus remanserunt. Nonnulli quidem inter nostros existimant, dictam formulam: *Signo te, confirmo te*, pertinere ad fidem, ut Scotus in 4. dist. 7. art. 1. Dominicus Soto in 4. dist. unica art. 4. Gregorius de Valentia Tom. 4. disp. 5. qu. 1. pun. 1. Verum fidei nostræ doctrina, non ex privatorum placitis, sed ex publicis Ecclesiæ decretis, ac definitionibus æstimari debet. His præmissis sit

CON-

CONCLUSIO.

Oratio quæ præcedit unctionem, & verba, quæ illam comitantur, sunt, tum apud Græcos, tum apud Latinos, adæquata & totalis forma Sacramenti Confirmationis.

Oratio est forma Confirmationis.

Prima pars, quæ orationem spectat, evidenter probatur.

I. Ex Scriptura & ipso usu Apostolorum. Act. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum ... Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Habes hic simul & materiam, *manus impositionem*; & formam Confirmationis, *orationem*: erat igitur deprecatoria Confirmationis forma. Sicut enim S. Th. ex his S. Jacobi verbis: *Orent super eum &c. & oratio fidei salvabit infirmum*, recte concludit, formam Unctionis extremæ deprecatoriam esse; ita ex citatis verbis Act. 8. recte concludimus, formam Confirmationis in oratione invocante Spiritum sanctum positam esse.

II. Ex usu, ac constanti, & perpetua Ecclesiæ praxi idem colligitur, cujus testes sunt

P. 226. A. Tertull. lib. de Baptismo c. 8. *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum.*

P. 124. S. Cypr. Epist. 73. ad Jubajanum: *Qui in Ecclesia baptizantur*, inquit, *Præpositus Ecclesiæ offeruntur, ut per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur.*

T. 2. p. 363. S. Ambr. l. 3. de Sacramentis c. 2. postquam disseruit de Baptismo, & unctione, quæ in eo fit: *Sequitur*, ait, *signaculum quod audistis hodie legi, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Spiritus sanctus infunditur. Invocatio* porro hæc, quid est, nisi Oratio? & *perfectio*, quid, nisi Confirmatio? per quam baptizatus perficitur seu roboratur ad fidem intrepide profitendam.

T. 4. p. 2. p. 294. S. Hier. Dial. adversus Luciferianos c. 4. *An nescis* (verba sunt Luciferiani) *Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? in actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

T. 8. p. 999. A. S. Aug. l. 15. de Trinitate cap. 26. *Quomodo*, ait, *Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est, qui dat Deum! Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia ... Nos accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere autem super alios non utique possumus; sed ut hoc fiat,* Ibid. F. *Deum invocamus.*

T. 1. p. 688. Denique S. Leo Epist. 129. al. 69. c. 7. *Qui Baptismum*, inquit, *ab Hæreticis acceperunt ... sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt.* Ab ampliori enumeratione testimoniorum ex SS. Patribus, Summis Pontificibus & Conciliis hic supersedeo, quod ea jam non semel a nobis laudata fuerint, sive cum de natura, sive cum de materia Sacramenti Confirmationis disseruimus.

3. Orationem in Confirmatione semper usurpatam fuisse, fidem certam faciunt omnes fere Libri Rituales, Pontificales, Sacramentarii, quorum

rum magnum numerum repræsentant Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii, Goarius in Notis ad Euchologium Græcorum, P. Martene, T. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus p. 249. & sequentibus. Initio hujus Articuli Orationem retulimus, qua utuntur Latini & Græci: eadem fere est in aliis Ritualibus, saltem quoad substantiam & sensum. Imo in Sacramentario S. Gregorii quod Romæ inter ipsius Opera editum fuit, nihil prorsus continetur præter Orationem, quæ incipit ab his verbis: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos.* Ita nec aliud, inquit Morinus l. 8. de Pœnit. c. 16. n. 5. a Pamelio editum; nec illud antiquissimum Corbejensis Bibliothecæ a Menardo nuper donatum; nec aliud S. Eligii, cujus idem Menardus mentionem facit ibidem; nec præterea alterum Turonense antiquissimum Romanum. P. 102. Sacram. S. Greg. Bibl. PP.

Vetus Ordo Romanus ab Amalario relatus l. 1. de Ecclesiasticis Officiis cap. 27. in fine, præter Orationem nihil habet nisi hæc verba: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Dicit Romanus Libellus, de quo sæpe commemoravimus*, ait Amalarius, *Oratione expleta facit crucem cum pollice ex chrismate in singulorum frontibus; ita dicendo: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Pax tibi. Et cum spiritu tuo.* T. 4. p. 959.

Adde & Pontificale Anglicanum quod ante annos 800. exaratum fuit, & in Ecclesia Rothomagensi asservatur, in quo etiam legitur Oratio invocans Spiritum sanctum supra eos, qui confirmantur. Menardus ib.

Secunda vero Conclusionis pars, quæ spectat formam unctioni chrismatis respondentem, apud Latinos istam: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine &c.* apud Græcos vero: *Signaculum doni Spiritus sancti.*

Probatur pro ritu Latinorum, iis veteribus monumentis quæ proferunt Morinus lib. 8. de Pœnit. c. 16. n. 5. & Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii p. 102. P. Martene T. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus lib. 1. p. 243. 249. & sequentibus usque ad p. 265. Verba unctioni conjuncta forma sunt Confirmationis. Apud Latinos.

In Ordine Romano edito ita præscribitur: *Pontifex post Orationem* ait: *Confirmo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Respondetur, Amen. Pax tecum. Respondetur: Et cum spiritu tuo.* Ordo Romanus manuscriptus isto antiquior aliquid addit: *Confirmo te*, inquit, *& consigno te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.*

Antiquissimum Sacramentarium Tolosanum & præcedenti coetaneum, formulam a prædictis paullo diversam exhibet in Officio Sabbati sancti: *Post hæc*, inquit, *Pontifex facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, dicendo: Signat te Deus sigillo fidei suæ in confignatione fidei, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Dicit iterum: Pax tibi; & respondetur: Et cum spiritu tuo.*

Menardus duos antiquos manuscriptos Codices refert, qui formam prioribus quam similem tradunt: *Confirmo te, & signo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.* Notis in Sacram. S. Gregorii p. 102.

Turonensis Ecclesiæ Pontificale recentius vix ante quadringentos annos scriptum, hanc longiorem formam exhibet: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut replearis eodem Spiritu sancto, & habeas vitam æternam. Amen.* Eamdem plane formam continet Pontificale aliud Tolosanum eadem ætate, vel inferiore scriptum.

Eccle-

Ecclesiæ Rothomagensis Codex præcedente annis circiter centum vetustior, hanc docet formam: *Configno te signo crucis, & confirmo chrismate salutis, in nomine &c.*

In Bibliotheca Collegii Foxensis extat Ritualis Liber inscriptus: *Ordo Romanæ Ecclesiæ* observari solitus tempore Innocentii III. & aliorum Pontificum, scriptio ejus completa est an. 1365. In eo hæc refertur forma: *Oratione completa, faciat crucem in fronte singulorum cum pollice de chrismate, ita dicendo: Joannes, vel quovis alio nomine, Signo te signo crucis. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.*

In omnium antiquissimo Petaviano Codice, quem loco mox indicato n. 5. citat Morinus in Officio Sabbati sancti legitur: *Postea signat eos in fronte de chrismate dicens: Signum Christi in vitam æternam. Amen.*

In Edicto Constantini, quod etsi spurium, attamen antiquum, Silvester dicitur Constantinum hac forma confirmasse: *Signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti in confignatione fidei.*

Guillelmus Altissiodorensis, ubi de Confirmatione tractat, scribit hanc esse illius formam: *Confirmo te signo crucis, & chrismate salutis, in nomine &c.*

Apud Guillelmum Parisiensem lib. de Sacramentis ita legitur: *Configno te, & confirmo te.*

T. 4. p. 198. Alexander Alensis 4. par. Summæ q. 9. membro 1. *Hujus*, inquit, *Sacramenti secundum consuetudines diversarum Ecclesiarum diversæ sunt formæ verborum; habet enim quædam Ecclesia hanc formam*: Confirmo te signo crucis & chrismate sanctificationis, in nomine &c. *Alia est ista*: Confirmo & configno te signo crucis & chrismate sanctificationis, in nomine &c.

Quasdam Ecclesias secunda hac forma uti, testantur præterea Durandus in 4. dist. 7. Paludanus ibid. qu. 1. art. 3. Sotus ibid. quæst. unica. Albertus Magnus scribit nonnullas uti hac forma: *Confirmo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*; sed generaliorem esse: *Configno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis.*

Quamquam autem in variis illis formulis discriminis nonnihil sit quantum ad verba, sensus tamen idem est, & ad verba Apostoli expressus videtur 2. Cor. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Non recens igitur, & ad arbitrium efficta videtur ista Confirmationis forma, quæ unctioni respondet: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*: ad quam formulam Bellarminus putat allusisse S. Ambrosium, cum lib. de initiandis c. 7. ait: *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo.* Verum quidquid sit de consilio Ambrosii verbis mox citatis, jamdiu dictam formulam apud nos obtinere, ac retinendam esse certissime constat.

Apud Græcos. Istam vero Confirmationis apud Græcos formulam: *Signaculum donationis* vel *doni Spiritus sancti*, usu antiquo receptam, imo & plane necessariam esse, qua omissa, nullum foret apud ipsos Sacramentum Confirmationis, ostendit Goarius in Notis ad Euchologium, p. 368. & 369. Ad hanc formam allusisse videntur Amphilochius, aut quisquis auctor est

Tom. 2. Conc. p. 952. B. vitæ S. Basilii, Conc. I. Constantinopolitanum Oecumenicum can. 7. *Eos signantes dicimus, Signaculum doni Spiritus sancti.* (Agitur hic de modo, quo Hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiendi erant) B. Asterius Amaseæ

Epi-

Episcopus desinente tertio sæculo, in Sermone de Prodigo, quem Photius suæ Bibliothecæ inseruit: *Datur*, ajebat, *Prodigo post stolam & annulus, signum intelligibilis confirmationis Spiritus sancti.* S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 18. circa finem, de Confirmatione sic loquitur: *Quomodo signaculum vobis datum est Spiritus sancti?* P. 1499. P. 225. A. B.

Aptissimam illam formam esse probat Bellarm. post S. Th. 3. p. q. 72. ar. 4. quia ea forma maxime apta & conveniens videtur, quæ aperte explicat & caussam principalem, nempe SS. Trinitatem; & caussam ministerialem, Episcopum; & effectum ipsum Sacramenti, gratiam scilicet roborantem.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Forma Confirmationis est deprecatoria. *Orabant pro eis ut acciperent Spiritum sanctum.* Actor. 8. Atqui verba ista: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis*, indicativa sunt, non deprecatoria: ergo &c.

Resp. 1. Cum duplex sit partialis forma Confirmationis respondens duplici partiali materiæ, nihil obstat, quin forma respondens impositioni manuum, sit deprecativa; forma vero respondens unctioni sit indicativa. Quamobrem distingui potest major propositio: forma partialis Confirmationis respondens impositioni manuum, est deprecativa, concedo: forma totalis & adæquata, nego.

Resp. 2. Sacramentorum formas, quantumvis indicative exterius enuncientur, sensu tamen, ac reipsa deprecatorias esse; unde a SS. Patribus vocantur preces mysticæ. Quo sensu dixit S. Aug. libr. 3. de Baptismo c. 16. *ipsam manus impositionem esse orationem super hominem.* Et l. 15. de Trinitate cap. 26. ait, *nullum Discipulorum Christi dedisse Spiritum sanctum, sed orasse ut veniret in eos, quibus manus imponebat.* Ratio est, quia homo Sacramentorum minister dumtaxat est; os & manum præbet, Deus autem virtutem. *Hic est, qui baptizat*, Joan. 1. ver. 33. *Numquid in nomine Pauli baptizati estis?* ajebat Apostolus primæ Cor. 1. v. 13. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, primæ Cor. 4. v. 1. In ipsa igitur Sacramentorum forma etiam absoluta & indicativa, tacita semper oratio includitur, qua minister divinam opem invocat. T. 9. p. 117. T. 8. p. 999.

Objic. 2. Forma Sacramenti a Christo debet institui, nec tot mutationibus esse obnoxia: atqui talis non est ista forma: *Signo te signo crucis &c.* cujus institutionis nulla mentio in Scriptura, varietas autem, inconstantia & mutatio multiplex, vel ipso referente Alensi antea citato.

Resp. distin. maj. Forma Sacramenti debet a Christo institui, quoad substantiam, speciem, & sensum, concedo; quoad singula verba, nego. Istud enim Ecclesiæ libertati reliquit, ut verba effectui Sacramentorum significando idonea seligeret. Dist. pariter propositionem istam, forma Sacramenti constans esse debet, nec obnoxia mutationi, quæ sensum corrumpat, concedo: quæ sensum integrum servet, nego. Porro varietas illa & mutatio in verbis, quæ unctionem confirmatoriam comitantur, sensum formæ non adulterant, sed integrum retinent, ac servant, ut legenti facile videbitur.

Objicies 3. Istorum verborum: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*, altum est in Scripturis, & tota retro antiquitate usque ad octavum sæculum, silentium. In Sacramentario S. Gregorii, ubi exponitur ritus Confirmationis cap. de Sabbato Sancto, hoc tantum legitur:

Pon-

Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius; similiter per omnes singillatim: quibus expletis jussi incipiunt in Ecclesia Litaniam. De chrismate quidem hic mentio fit, sed de forma, quæ comitetur unctionem, nulla mentio.

Amalarius lib. de Officiis c. 27. circa finem sic loquitur: *Dicit Romanus Libellus, de quo sæpe commemoravimus, Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Pax tibi. Et cum spiritu tuo.* Alia Ritualia citat Sambovius pag. 277. Pontificale vetus Ecclesiæ Remensis, quod in Abbatia S. Theodorici extat; aliud Anglicanum ante an. 800. exaratum, & in Rothomagensi Ecclesia servatum. Eadem a Morino laudata & oppositа fuisse, paullo ante vidimus.

Resp. 1. Ex silentio Scripturæ nihil concludi posse: quippe non omnia refert; & quæ omittit, non excludit. Vide quæ antea respondimus ad simile argumentum negativum contra unctionem chrismatis.

2. In nonnullis quidem Ritualibus, ac Pontificalibus nulla fit mentio istorum verborum: *Consigno te signo crucis, & confirmo chrismate salutis*: at multo plures sunt Libri Rituales & Pontificales qui mentionem hanc faciant, quam qui omittant. In nonnullis Liturgiis quas repræsentat P. Mabillonius, omittitur forma consecrationis; & P. Martene lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 2. art. 3. non dissimulat in plerisque antiquissimis Ritualibus manuscriptis ab annis octingentis & nongentis exaratis, ubi describitur ritus Confirmationis, nullam fieri mentionem impositionis manuum, sed solius & nudæ Orationis, quæ incipit ab his verbis: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.* imo in aliquibus Codicibus formam Baptismi desiderari. An inde merito concludi posset, nec manus impositionem, nec formam Baptismi apud Veteres in usu fuisse? absit. Idem plane judicandum de forma Confirmationis: idem quippe Scriptor addit, in omnibus Pontificalibus Libris, quos ingenti numero evolvit, in quibus habetur ordo Confirmationis separatim ab ordine Baptismi descriptus, in omnibus, inquam, illis Libris, unctionem sub certa verborum formula faciendam describi. Quamvis autem quædam sit in verbis diversitas, sufficit eumdem esse sensum, quoad substantiam, & significationem effectus sacramentalis.

Duplex autem proferri potest hujus silentii in veteribus Scriptoribus caussa, & ratio.

Prima, quia sæpissime contingit, ea quæ vulgata magis sunt ac usu communi trita, prætermitti; quia scilicet propter usum quotidianum, & vivam traditionem ignorari non possunt: unde cum primum scripto tradita leguntur, nova non videntur, nec quemquam movent, quibus omnes sunt assueti; quorum tamen originem antiquam, & apostolicam esse (maxime ubi de Sacramentis agitur) docet Aug. jam superius laudatus lib. 4. de Baptismo c. 24. *Quod*, inquit, *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* T. 9. p. 140.

Altera ratio petitur ex lege silentii, de non evulgandis fidei nostræ mysteriis, ne forte Gentilium, & Judæorum irrisioni, & profanationi objicerentur. Quanta fuerit in præsenti negotio Innocentii I. religio, testatur ejus Epistola ad Decentium c. 3. ubi postquam de unctione in

Con-

Confirmatione adhibenda disseruit ; sic tandem concludit : *Verba autem dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Et c. 8. de Sacramento Extremæ Unctionis: *Reliqua vero, quæ scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati, poterimus edicere.* Tom. 2. Conc. p. 1246. D. Ibid. P. 1248. B.

Objicies 4. Oratio quam recitat Pontifex ante unctionem, non videtur pertinere ad essentialem formam Confirmationis. 1. Quia in Euchologio, quod refert P. Martene Tom. 1. l. 1. de Ritibus pag. 227. sic legitur: *Benedictus es Domine Deus &c. Et Oratione hac finita, ornatu Baptismatis exuitur Patriarcha, & assumit eum, qui Missis inservit: tum vadit ad S. Petrum, Cantore dicente:* Quotquot in Christo baptizati estis: *unguento sancto baptizatos ungit, faciens signum crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus, dicens: Signaculum doni Spiritus sancti.* Porro si Oratio prævia essentialis foret Confirmationi, & non tantum præparatoria, ut quid in uno Templo illa funderetur, & in altero fieret unctio ? 2. Idem P. Martene ibidem p. 229. exhibet ex Euchologio ritum baptizandi, & confirmandi puerum morti proximum; & juxta quem, post Orationem qua precatur Sacerdos infanti: *Gratiam redemptionis ei largiri,* adducitur, *& confestim oleum in aquam mittit, deinde puerum baptizat, dicens :* Baptizatur servus Dei. *Et continuo induit illum, & sacro ungit chrismate dicens :* Signaculum doni &c. *Et post hæc, juxta ordinem, girat illum cantans :* Quotquot in Christo baptizati estis, *ut supra, & fit demissio.* Ex quibus patet Orationem, *Benedictus es Domine Deus omnipotens,* spectatam non fuisse ut essentialem a Græcis, utpote quæ omittatur, ubi periculum mortis urget.

Resp. hæc duo parum momenti ac ponderis habere, nec urgere.

Non primum. Namque licet Oratio in una Ecclesia pronuncietur, & in altera fiat unctio, una tamen est moralis actio ad unum, & idem Sacramentum perficiendum, sicut jam observatum a nobis fuit.

Non secundum. Quamvis enim in illo Euchologio non legatur Oratio ad unctionem prævia, quæ forte ex alio Rituali repetenda erat, nonne dici potest Orationem quam tunc Sacerdos fundit, cum baptizat & ungit, supplere, propter instans mortis periculum, alteram prævium Orationem? Adde quod hujusce Ritualis tanta non videtur esse auctoritas, ut tot momentis, quæ adduximus, præponderare possit.

Objicies denique cum Spalatensi: Sacramentum ex nobis producit gratiam ex opere operato : atqui oratio eam non producit nisi ex opere operantis: ergo oratio non est pars essentialis Sacramenti Confirmationis.

Resp. dist. min. Oratio non producit gratiam ex opere operato, sed ex opere operantis, extra Sacramentum, quando scilicet oratio non est pars Sacramenti, concedo : in Sacramento, & quando est pars Sacramenti a Christo Domino instituta, ab Apostolis, & tota Ecclesia usurpata, nego. Oratio porro in Sacramento Confirmationis est pars essentialis Sacramenti a Christo Domino instituta, ab Apostolis, totaque Ecclesia semper usurpata.

QUÆSTIO SECUNDA.

De necessitate Sacramenti Confirmationis.

DUobus modis considerari potest Confirmationis necessitas, vel per ordinem ad effectus, quos producit, vel per ordinem ad Fideles, qui

qui ejus præcepto adstringuntur; atque inde duæ suboriuntur quæstiones hic expendendæ.

Prima, utrum Confirmatio ita sit necessaria ad consequendam gratiam in fide roborantem, ut suppleri non possit per unctionem verticalem, quæ fit in Baptismo.

Secunda, quæ sit necessitas Sacrám. Confirmationis respectu Fidelium, an absoluta, & medii, ut dicitur; an tantum præcepti divini vel Ecclesiastici.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Sacramentum Confirmationis suppleri possit per unctionem verticalem Baptismi.

DAllæus lib. 3. de Confirmatione c. 14. ut ostendat Scriptores noni sæculi non distinxisse Confirmationem a Baptismo, ait constanter eos docere, Sacramentum Confirmationis perfecte suppleri posse in casu necessitatis, per unctionem verticalem Baptismi.

Sunt quidem inter Recentiores, qui cum Sirmondo existimant, unctionem confirmatoriam omissam aliquando fuisse propter unctionem verticis baptismalem, quia juxta illos, necessaria non erat *repetita chrismatio*; verum non docent illi, unctionem verticis suppleviſse, seu locum aliquando tenuisse Sacramenti Confirmationis. Itaque sit

CONCLUSIO.

Unctio verticis in Baptismo usurpata supplere non potest Sacramentum Confirmationis.

Probatur 1. ex usu, & praxi Ecclesiæ perpetua, quæ & unctionem verticis adhibuit in Baptismo, & Sacramentum Confirmationis postea administravit. Constat ille usus, tum ex SS. Patribus, qui utriusque mentionem faciunt; tum ex omnibus Libris Ritualibus ac Pontificalibus, in quibus uterque distinctus ritus præscribitur. Unctionis verticalis mentionem faciunt Damasus in vita Sylvestri. Innocentius I. Epist. 1. c. 3. S. Ambr. l. 3. de Sacramentis c. 1. S. Hier. Dial. contra Luciferianos, S. Cyrillus Jerosolym. Catechesi prima mystagogica, S. Gregorius in Sacramentario, Ordo Romanus, & alii. Idem vero SS. Patres efficaciam & necessitatem Sacramenti Confirmationis probant ad obtinendam gratiam roborantem, & confortantem, ut constat ex eorum testimoniis supra relatis; igitur non existimant, Sacramentum Confirmationis suppleri per unctionem verticalem Baptismi.

Probatur 2. Quia quod est institutionis humanæ, non potest supplere Sacramentum, quod a Christo institutum est; atqui unctio verticis in Baptismo institutionis est humanæ seu Ecclesiasticæ, Sacramentum vero Confirmationis a Christo institutum est: ergo &c.

Dices 1. Scriptores noni sæculi in primis Vvalafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis c. 26. & Rabanus lib. de Institutione Clericorum c. 28. docent unctionem verticis institutam fuisse a Sylvestro propter *transitum mortis*, ideſt ut in periculo mortis suppleret unctionem confirmatoriam.

Quin duodecimo sæculo Hugo Victorinus l. 2. de Sacramentis par. 7. c. 3.

c.3.& S.Th. decimo tertio sæculo 3. par.q.71.ar.3. ad 4. idem docere videntur.

Resp. nos supra, solvendo objectiones Dallæi adversus probationem ex Traditione pro veritate seu existentia Sacramenti Confirmationis, in responsione ad quartam objectionem, diluisse istud momentum ex Scriptoribus noni sæculi propositum. Consule, quæ ibi diximus.

Ad Hugonem, dico eum nihil aliud eo loci docere, nisi tantam esse Sacramenti Confirmationis necessitatem, ut unctio baptismalis, quodam modo, ideſt, valde imperfecte in casu necessitatis, ad illud repræsentandum fuerit instituta.

S. Thomas docet quidem unctioni verticali aliquem spiritalem effectum annexum esse, sicut & aliis Sacramentalibus, ideſt cæremoniis Sacramentorum; at nusquam docuit hunc effectum produci ex ipso opere operato, atque per eum Sacramenti Confirmationis effectum suppleri.

Dices 2. Qui uncti sunt in vertice, sunt perfecte Christiani, teste Rabano l. 1. c. 28. ergo unctio illa supplet effectum Sacramenti Confirmationis.

Resp. dist. ant. Sunt perfecte Christiani, quantum ad gratiam regenerantem in Baptismo perceptam, concedo: quantum ad gratiam roborantem necessariam ad superandas tentationes contra fidem, nego. Id certe volunt SS. Patres, cum ajunt. 1. non accepto Confirmationis signaculo Spiritum sanctum non dari: ita Cornelius S. Pontifex. 2. per hoc signaculum Christianos *consummari*, *& perfici*: ita S. Cypr. Ep. 73. 3. in Confirmatione dari *plenitudinem Spiritus sancti*: ita S. Th. 3. par. qu. 72. art. 1.

ARTICULUS II.

Quæ sit necessitas Sacramenti Confirmationis respectu Fidelium.

NOvatores Lutherani & Calvinistæ sugillant necessitatem Confirmationis, eamque tamquam Spiritui sancto injuriosam traducunt, quasi ipse iners, & ignavus foret in Baptismo, neque sufficientes vires subministraret ad superandas omnes contra fidem tentationes. Hos damnat Concilium Trid. sess. 7. can. 2.

Omnes Catholici consentiunt necessariam esse Confirmationem, non quidem absolute, & necessitate, ut ajunt, medii, sed ex præcepto tum divino, tum Ecclesiastico: quamquam sunt aliqui, qui referente Suarez in 3. p. q. 72. ar. 12. disp. 38. sect. 1. putant nullo præcepto divino aut Ecclesiastico sub pena peccati mortalis teneri hominem baptizatum ad percipiendum Confirmationis Sacramentum, modo nullus sit contemptus; si enim adesset, reus homo fieret peccati mortalis. Ita de Valentia, Dominicus Soto, & Conink de Sacramentis q. 72. art. 9. dubio 1. Itaque sit

PRIMA CONCLUSIO.

Sacramentum Confirmationis non est simpliciter, & absolute necessarium, seu, ut dicitur, necessitate medii ad salutem.

Probatur: Quia sine illo potest salus obtineri per solum Baptisma. Patet *Tom. 1. Conc. p. 978. E.* Ex Concilio Eliberitano can. 77. ubi dicitur: *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos Episcopus*

per benedictionem perficere debet. Quod si ante de sæculo recesserint, sub fide, qua quis credidit, poterit esse justus.

Ex S. Hieronymo Dial. adversus Luciferianos. *Multis*, inquit, *in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii, quam ad necessitatem legis. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi sunt qui in lectulis, aut in Castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati antea dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.*

T. 4. p. 2. p. 295.

Ex Hilario Arelatensi Hom. de Pentecoste: *Continuo transituris*, inquit, *sufficiunt regenerationis beneficia: victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia.*

Bibl. PP. T. 6. p. 649. D.

Ratio est aperta, quia ex dictis ubi de Baptismo, omnia peccata perfecte delentur per Baptismum; igitur homo baptizatus, in quo nihil damnationis remanet, sine Confirmationis Sacramento potest vitam æternam assequi.

Dices: Necessarium est necessitate medii, ut homo sit perfectus, & consummatus Christianus: sed in doctrina SS. Patrum hoc habetur per Sacramentum Confirmationis.

Resp. dist. maj. perfectus Christianus per Baptismum, ea scilicet perfectione, quæ regenerationem, & perfectam involvit justificationem, concedo: perfectus Christianus per Sacramentum Confirmationis, perfectione scilicet accidentali, quæ fit ad robur, & augmentum gratiæ; nego.

Instabis: Necesse est necessitate medii, ut homo superet tentationes contra fidem: sed gratia destinata ad superandas illas tentationes datur per Sacramentum Confirmationis: ergo istud Sacramentum est necessarium medii necessitate.

Resp. dist. min. Gratia secundum augmentum, & robur considerata datur per Confirmationem, ad facilius, & promptius superandas tentationes contra fidem, concedo: gratia secundum se simpliciter considerata, cum qua potest absolute homo tentationes illas superare: nego. Baptismi enim gratia absolute, atque ex se ad hoc sufficere potest: quia tamen Christus eum in finem Sacramentum Confirmationis instituit, ut esset medium ordinarium quo gratia roborans necessaria confertur, ideo necessarium est ex præcepto tum divino tum Ecclesiastico, non vero absoluta necessitate, ad salutem. Dici quoque posset, id quod necessarium est necessitate præcepti divini, fieri quoque necessarium necessitate medii, quando præceptum urget, quod si non observatur, reus homo fit mortis æternæ: sed talis necessitas, ut alias observavimus, improprie dicitur medii; proprie enim illud dicitur necessarium necessitate medii, quod continet, & confert eum gratiæ gradum, qui per se necessarius est ad salutem: porro talis non est gratia, quæ datur per Sacramentum Confirmationis, quæ gratiam baptismalem supponit ad salutem ex sese sufficientem.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sacramentum Confirmationis necessarium est Fidelibus adultis in re vel in voto, necessitate præcepti Divini, & Ecclesiastici.

Probatur prima pars, quia tenetur quilibet Christianus ad eam perfectionem contendere, quæ necessaria est ut securitati suæ consulat, & pericula adversus fidem constanter superet. *Adversarius enim vester diabolus*,

lus, ait S. Petrus primæ Ep. c. 5. v. 8. *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Et Ephes. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Atqui ad hoc necessarium est Sacramentum Confirmationis, ut constat ex SS. Patribus antea citatis, qui ajunt sine illo non dari Spiritum S. hominem non perfici, non consummari, non habere plenitudinem gratiæ. Unde S. Th. 3. p. qu. 72. art. 1. ad 3. docet Sacramentum hoc *cooperari ad perfectionem salutis, & hoc modo esse de necessitate salutis*: & art. 8. ad 4. infert Sacramentum hoc *moribundis conferri debere, ut in resurrectione perfecti appareant.*

Probatur secunda pars auctoritate Conciliorum & SS. Patrum, qui passim necessitate Confirmationis ex usu, & consuetudine seu præcepto Ecclesiæ commendant. Ita Conc. Eliberitanum can. 38. Conc. Laodicenum can. 48. Conc. Parisiense VI. c. 33. Senonense an. 1524. Remense anni 1533. S. Cypr. Ep. 71. *Necesse est ungi eum, qui baptizatus sit.* S. Hier. Dial. adversus Luciferianus, S. Greg. M. l. 12. Ep. 31. Jonas Aurelianensis l. 1. c. 7. Petrus Damianus Serm. 1. in Dedicatione Ecclesiæ, & alii bene multi, quorum verba in re facili, & obvia exscribere superfluum videtur. Hinc merito damnata est ab Academia Parisiensi ann. 1631. cujusdam Auctoris sub nomine Danielis a Jesu hæc propositio: *Chrismate uncti in Baptismo, licet ab Episcopo non confirmati, perfecti sunt Christiani in sensu Patrum. Quæ propositio*, ait Censura, *falsa est, temeraria, contra sensum unanimem Patrum; & in contemptum Confirmationis, & in errorem inducens.*

TERTIA CONCLUSIO.

Præceptum divinum suscipiendi Sacramentum Confirmationis maxime obligat vel tempore persecutionis contra fidem, vel quando instant graves circa Religionem tentationes, vel in præsenti mortis periculo.

Probatur ex fine, ad quem institutum a Christo fuit Sacramentum Confirmationis, nempe ad præmuniendos Fideles contra omnes tentationes adversus fidem, ejusque impugnatores superandos per firmam, & constantem Christianæ Religionis professionem. Tum igitur maxime urget hujus Sacramenti percipiendi mandatum, dum instant illæ tentationes, ac fidei nostræ hostes arte, dolo, minis, suppliciis vel præmiis Fideles a fide sua dejicere conantur. Obligat etiam istud præceptum in articulo mortis, quo tenetur quilibet, quantum potest, ad perfectionem christianam aspirare totisque viribus contendere: per Sacramentum autem Confirmationis homo perficitur, & consummatur in fide Christiana, ut docent SS. Patres.

QUARTA CONCLUSIO.

Præceptum Ecclesiasticum percipiendi Sacramentum Confirmationis obligat, cum baptizatus pervenit ad annos discretionis, & eo præsertim tempore, quo præsens est ac paratus Episcopus illud administrare, nullamque baptizatus habet legitimam caussam differendi illius perceptionem.

Probatur ex Canonibus secunda Conclusione indicatis, præsertim vero Senonensi. *Confirmationem*, inquit, *omnes Christiani tam viri quam mulieres, usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemni*

autem dicitur, quando Episcopus est præsens paratus dare, & persona hoc sciens negligit. Inde eadem mox dicta Censura Sorbonica merito istam propositionem confixit: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest; vel (ut alii dicunt) commodissime; quando sine ullo vel minimo prorsus incommodo.*

Quæres 1. utrum parentes filios, domini servos suos teneantur vi præcepti Ecclesiastici adducere confirmandos ad Episcopum.

Resp. affirmative, quia parentes filiorum, & domini servorum suorum salutis curam gerere tenentur: ergo invigilare debent, ut omnia pietatis christianæ officia, quantum eorum patitur conditio, adimpleant, adeoque & ipsum percipiant Confirmationis Sacramentum.

Quæres 2. an sint ad Tonsuram Clericalem admittendi, qui confirmati non sunt.

Resp. negative. Ita Conc. Trid. sess. 23. c. 4. de Reform. *Prima*, inquit, *Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Si tamen ea omissa, fuerint Tonsura initiati, non sunt irregulares; quia nullo jure, nullo Canone pœna hæc imposita legitur: odia autem restringenda sunt, & favores ampliandi.

Tom 14. 866. F.

Ex his satis intelligitur, Episcopos teneri ex officio Sacramentum Confirmationis, cujus ministri sunt ordinarii, suis conferre, aut providere, ut conferatur; reciproca enim obligatio est, tum in Episcopo ut conferat, tum in baptizato, ut istud Sacramentum percipiat.

QUÆSTIO TERTIA.

De causis seu auctore, ministro, & subjecto Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS PRIMUS.

De auctore Sacramenti Confirmationis: an, & quando fuerit a Christo institutum.

DUo exhibet titulus hujus Articuli. Primum, an Christus Sacramentum Confirmationis instituerit. Secundum, quandonam illud instituerit.

Opiniones Scholæ.

Misso Novatorum nostrorum errore, qui Confirmationem nostram ex numero Sacramentorum expungunt, ac consequenter negant, Christum illius auctorem esse, Scholastici in varias abeunt sententias, tum circa institutionem, tum circa tempus institutionis.

Circa primum, S. Th. 3. p. q. 72. art. 1. ad 1. tres recenset opiniones.

Prima est eorum, qui docent Sacramentum hoc neque a Christo, neque ab Apostolis institutum fuisse, sed ab Ecclesia.

Ita Alexander Alensis, quem non semel eam in rem laudavimus, p. 4. q. 24. memb. 1. ubi ait institutum ab Ecclesia in Concilio Meldensi an. 845. Magistrum sequitur S. Bonav. in 4. dist. 7. art. 1. qu. 1. & 2. ubi docet institutum hoc Sacramentum a primis temporibus Apostolorum: nonnulli dicunt in Concilio Aurelianensi.

Hanc Alensis opinionem falsam & hæreticam esse post tot Ecclesiæ de-

declarationes, pronunciat Gregorius de Valentia Tom. 4. in S. Thom. dist. 5. q. 1. par. 1. sed non videtur ille satis attendisse ad mentem Alensis, & aliorum: cum enim negant illi Sacramentum Confirmationis a Christo institutum fuisse; de immediata institutione intelligi possunt, non de mediata: expresse quippe asserit Alensis: *Spiritus sancti instinctu institutum esse hoc Sacramentum, a quo virtutem omnem suam accipit*: quibus certe verbis innuit se loqui tantum de institutione immediata, cum negat illud a Christo Domino institutum fuisse. Quamquam autem vera sit eorum sententia, qui docent Christum immediatum esse omnium Sacramentorum parentem, & auctorem, non tamen est de fide, etiam post Concilium Trid. ut in Tractatu de Sacramentis in genere ostendimus, multo minus ætate Alensis, & S. Bonaventuræ, quorum iste obiit ann. 1274. ille 1245. Hinc est, quod S. Thomas citato loco modeste, ut solet, hanc opinionem refellens, eam ut erroneam aut hæreticam non traducit.

Cardin. de Vitriaco Hist. Occidentalis c. 37. ait Sacramentum istud institutum esse partim ab Apostolis, quantum ad manus impositionem, partim ab Ecclesia, quantum ad unctionem chrismatis.

Ad hanc sententiam accedunt, quotquot existimant Christum nonnullorum Sacramentorum materiam, & formam in genere tantum determinasse, facta Ecclesiæ potestate determinandi in specie singularem materiam, & formam: multos hujus opinionis patronos appellat Morinus l. 8. de Pœnitentia c. 17. atque inde concludunt, Apostolos modo impositione manus, modo unctione usos fuisse pro materia Confirmationis, pro libertate sibi a Christo concessa.

Secunda opinio eorum est, referente S. Thoma, qui dicunt hoc Sacramentum fuisse ab Apostolis institutum.

Tertia denique eorum, qui contendunt illud, perinde ac cetera novæ Legis Sacramenta, fuisse a Christo Domino institutum.

Circa secundum, nempe tempus institutionis, longe major est opinionum varietas. Sunt, qui volunt institutum Confirmationis Sacramentum, cum Christus Matth. 19. manus imposuit infantibus. Ita Patres Concilii Senonensis an. 1528. Alii in nocte Cœnæ: ac maxime nituntur hi Auctores testimonio Fabiani S. Pontificis Epist. 2. c. 1. Ita Suarez in 3. p. q. 72. disp. 32. sect. 2. Alii dicunt promissione, non exhibitione, fuisse institutum, quando nempe promisit Christus se daturum Spiritum sanctum. Ita S. Th. 3. p. q. 72. art. 1. ad 1. *Verum*, ut recte arguit Estius in 4. dist. 7. paragr. 4. *si propterea Sacramentum hoc instituit Christus promittendo, quia promisit Discipulis Spiritum sanctum; igitur & exhibendo, quia ipse Spiritum sanctum quem promiserat, mittendo exhibuit.* Alii dicunt institutum post Resurrectionem, cum Apostolis dedit Christus Spiritum Sanctum, Joan. 20. Ita sentire videtur Scotus in 4. dist. 7. q 1. ad primam objectionem. Alii denique institutum affirmant in die Pentecostes, cum primum Apostoli fuerunt confirmati. Ex ista autem sententiarum varietate satis apparet, valde incertum, & obscurum esse tempus institutionis Sacramenti Confirmationis. Itaque sit

T. 2. p. 2. p. 79. col. 1. C.

CONCLUSIO.

Christus immediate per se instituit Sacramentum Confirmationis; quo præcise tempore, plane incertum est.

Prima pars probatur. Tum quia solus Christus potuit Confirmationem instituere tamquam verum Sacramentum, quia nempe solus habuit potestatem excellentiæ, ad quam pertinet Sacramentorum institutio; solus etiam potuit gratiam infallibiliter annectere signis sensibilibus. Tum quia probavimus in Tract. de Sacramentis in genere qu. 3. art. 1. concluſ. 2. Christum immediatum esse omnium nostrorum Sacramentorum auctorem. Consule, si vacat, quæ ibi adducta sunt momenta.

Et vero jam supra observavimus, opinionem Alensis plane improbabilem esse: tum quia Catholicis eripit efficax ex Scripturis argumentum, ad revincendos nostros Novatores, qui negant Confirmationem esse verum, & proprie dictum Sacramentum; siquidem, juxta opinionem hanc, nulla in Scripturis extat hujus Sacramenti institutio, nulla mentio: tum quia in Concilio Meldensi, in quo putat ille fuisse institutam Confirmationem, nulla plane fit mentio hujus institutionis. Duo enim tantum extant Canones de isto Sacramento, scilicet quadragesimus quintus, & quadragesimus sextus: in priori statuitur, ut Episcopi nihil a Presbyteris accipiant pro chrismatis confectione in posteriori, ut singulis annis feria quinta Cœnæ Domini novum accipiant: quid vero inde colligi possit pro institutione Confirmationis in hoc Concilio facta, facile non est intelligere. Tum denique quia tot extant illustria, & certissima apud veteres Scriptores, ante tempus quo celebratum est illud Concilium Meldense, pro Confirmationis Sacramento testimonia, ut mirum videri debeat, viros aliunde doctos, & perspicaces, aut ea non legisse, aut adeo non satis attentos fuisse.

Secunda pars probatur, quia id plane incertum haberi debet, quod neque ex Scripturis neque ex Traditione certo potest colligi: atqui quo tempore præcise institutum sit Confirmationis Sacramentum neque ex Scripturis, neque ex Traditione colligi certo potest; siquidem nulla hujusce determinati temporis mentio apud Veteres occurrit: neque etiam ex communi Theologorum sententia, cum tanta sit inter eos ea de re opinionum varietas.

Quod enim nonnulli laudant ex Epistola Fabiani, nullius plane momenti est apud eruditos, qui Epistolam hanc, ut & alias Decretales SS. Pontificum ante Siricium, inter suppositicia, & apocrypha Opera rejiciunt.

ADDITIO.

(*)

„ VErum propius illa mihi videtur accedere sententia, quæ Confir-
„ mationis decretum intra circulum dierum XL. concludit, quibus
„ Christus a morte redivivus terram incoluit. Nam & Lucas act. 1.
„ affirmat, Salvatorem intra cursum dierum illorum sæpe aspectabilem
„ se præbuisse discipulis, & sublimissima de *Regno Dei* colloquia miscuisse;
„ & Gregorius M. Regni Dei nomine Ecclesiam intellexit, ad cujus æ-
„ difi-

„ dificationem, administrationemque cum apprime faciant Sacramenta „ apta conjectura concludimus, de Sacramentis sermones non paucos „ interceſſiſſe. Conjecturæ ſuffragatur Leo M. Serm. 1. de Aſcenſ. Dom. „ dicens: *Hi dies, qui inter reſurrectionem Domini Aſcenſionemque fluxerunt, „ non otioſe tranſiere, ſed magna in eis confirmata Sacramenta, magna ſunt re- „ velata myſteria.* Certe hoc eodem temporis lapſu, & tribuit eis Spiri- „ tum S. ad remittenda peccata. Joann. 20. verſ. 22. *Accipite Spiritum „ ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* & eamdem virtutem Spiritus S. „ pollicitus eſt, qua nos in Confirmatione roborat ad dicendum ſibi, „ fideique teſtimonium: *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus S. in vos; „ & eritis mihi teſtes in Jeruſalem &c.* & gubernationem Eccleſiæ fidei Pe- „ tri concredidit, Joan. 21. *Paſce oves meas.*

„ Non poſſumus igitur aſſentiri Angelico in 4. diſt. 7. q. 1. Aureolo „ in 4. d. 7. q. 1. & aliis, qui cum Senonenſi Concilio anni 1528. tunc „ inſtitutum Sacramentum arbitrantur, cum Chriſtus Matth. 19. parvulis „ manus impoſuit: nam neque decebat quemquam Confirmationis gra- „ tia donari ante Apoſtolos, ante Spiritus S. allapſum; nec fortaſſe par- „ vuli illi Baptiſmo initiati fuerant, nec manus quævis impoſitio con- „ firmatoria eſt; & demum hæc ipſa ad Hebræorum potius conſuetu- „ dinem compoſita fuiſſe putanda eſt, ex quorum inſtituto Jacob bene „ precaturus, manus impoſuit Joſephi filiis Ephraim, & Manaſſe, Gen. 48. „ aut, ut Hier. & Anſelmo videtur, ea impoſitio curatio fuit a languoribus.

„ Neque arridet magis ſententia Suarii, & aliorum, qui cum Catechiſ- „ mo Romano inſtitutionem in Cenæ Dominicæ diem conferunt, indu- „ cti potiſſimum Fabiani P. auctoritate, qui Epiſt. 2. c. 1. hæc ſcripſiſſe „ traditur: *In illa die Dominus Jeſus, poſtquam cœnavit cum Diſcipulis ſuis, „ & lavit eorum pedes, ſicut a S. Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, no- „ biſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit.* Tum & conſuetudine Eccle- „ ſiæ, quæ ex diſciplina veteri, Chriſma die eodem conficit, ac conſe- „ crat. Nam doctis facile jam convenit, epiſtolam illam fœtum germa- „ num Fabiani non eſſe, ſed fabricatam auctore incerto, ſuppoſitamque „ videri ſub ſæc. VIII. Quadrat hoc idem reſponſum etiam ad textum, „ qui in rem eamdem proferri ſolet ſub Cypriani nomine *ex Serm. de „ unctione Chriſmatis*; eſt enim Sermo ille auctoris incerti operum Car- „ dinalium, vel, ut nonnullis videtur, Arnoldi Bonævallis. Quid quod „ etiam ab iſtorum nemine ritus ipſe Confirmationis; ſed Chriſmatis „ dumtaxat confectio tradita feratur; cujus cum uſus ſit varius plane, „ ac multiplex (adhibetur namque ad Altarium quoque, & Epiſcoporum „ conſecrationem) ut hæc tunc diſſimulari poterant, ita Neophytorum „ ungendorum ritus neceſsario explicandus non fuit. Quod praxim Ec- „ cleſiæ conficientis Chriſma die Cœnæ attinet, non putem eam exem- „ plo, aut præceptione Chriſti in diem illum inductam, neque conſtan- „ ter, & ubique die eodem obſervatam. Deduco id non obſcure ex Sy- „ nodo Toletana 1. quæ Can. 20. dicit Epiſcopum nulla lege ad diem „ quemquam adſtringi: *Epiſcopo ſane certum eſt, omni tempore licere Chriſma „ conficere.* Et quamquam non negem, ex veteri prorſus diſciplina diem „ Cœnæ operi huic deſtinatum fuiſſe paſſim ubique; diſciplina tamen „ non nititur traditione prætenſa, ſed invaluiſſe putanda eſt ex more

„ duplici Ecclesiæ vetustissimo, baptizandi scilicet vigilia Paschatis, &
„ continenter a Baptismo confirmandi. Denique, qui primus in diem
„ Cœnæ olei consecrationem defixit, potuit fortasse respexisse animo
„ ad *Hebræorum ritum*; quibus sollemne fuit, die quo manducabatur
„ agnus, ostia, & superliminare domorum obsignare, ut notavit Ru-
„ pertus l. 5. de div. off. c. 17. vel etiam ad *unguentum* Mariæ allusisse
„ potuit, quo illa ante biduum Paschæ caput, pedesque Salvatoris per-
„ unxit, ut videtur Isidoro Rabano, & Alcuino de Div. Off. vel deni-
„ que ad *montem Oliveti*, quem Christum a Cœna conscendisse novimus:
„ & hujus mentis est Ven. Beda l. 6. in Lucam c. 6.

„ Illorum tandem sententia, qui institutionem ad Pentecostes diem
„ retulerunt, sicut nullis fere momentis fundata est, sic neque longa re-
„ futatione opus habet: id dixisse sufficiat, diem illum institutioni Sa-
„ cramenti minime convenire; sive quod Christum in terris degentem
„ Magisterio, ad quod institutio Sacramentorum in primis pertinet,
„ plane defungi decuit; sive quod Apostoli non Sacramento, sed pro-
„ digio Spiritum S. acceperint; sive denique, quod tunc effectus Sacra-
„ menti datus sit; institutio vero verosimilius præcedat effectum.

(*)

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ministro Sacramenti Confirmationis.

DUplex hic minister distinguitur: unus ordinarius ex officio, alter extraordinarius ex dispensatione. Minister ordinarius Confirmationis plenam, ac completam habet, vi sui Ordinis seu characteris, Sacramentum illud valide conferendi potestatem, quæ nulla superiori auctoritate impediri potest: talis est solus Episcopus. Minister vero extraordinarius, simplex nempe Presbyter, virtute quidem sui Ordinis inchoatam & incompletam habet potestatem; sed quæ, ut valide exerceatur, perfici, ac compleri debet per legitimam dispensationem: eo fere modo quo potestas absolvendi a peccatis, quæ Sacerdoti dum ordinatur, conceditur, incompleta & ligata est, nec exerceri valide potest (extra casum extremæ necessitatis) nisi accedat jurisdictio ab Episcopo concessa.

De utroque ministro Confirmationis hic controversia movetur de ordinario quidem cum Hæreticis, de extraordinario autem cum Scholæ Theologis.

Minister ordinarius Confirmationis.

De ministro Confirmationis ordinario ita statuit Conc. Trid. sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Adversus hanc Ecclesiæ fidem, ac doctrinam errarunt

Quinto sæculo nonnulli Presbyteri in Ecclesia Eugubina, qui id sibi
Tom. 14. Conc. p. 779. D. juris assumpserunt, ut Sacramentum istud quasi propria & ordinaria potestate conferrent. Audaciam hanc repressit Innocentius I. in Epistola ad Decentium Episcopum c. 3.

La-

Labente sexto sæculo, Ecclesiæ Calaritanæ Presbyteri, jus idem usurparunt. In eos insurrexit Gregorius Magnus, data ad Januarium Epistola num. 9.

Sæculo septimo, Agapius in Hispania Cordubensis Episcopus, frequenter Presbyteris facultatem administrandi Sacramenti Confirmationis concessisse legitur. Abusum hunc repressit Concil. Hispalense II. c. 7. anno 619.

Sæculo nono, Græci schismatici, duce Photio Patriarcha Constantinopolitano, contenderunt jus ordinarium confirmandi baptizatos, non ad solos Episcopos, sed etiam ad simplices Presbyteros pertinere. Errorem non tulit nec dissimulavit Nicolaus I. Summus Pontifex, atque Bulgaros a Photianis Presbyteris confirmatos, iterum jussit confirmari. Prætensam injuriam impatienter tulit Photius, atque scripta ad omnes Orientis Episcopos Epistola de Nicolao graviter expostulat. *Unde venit*, inquit, *hæc lex, & quinam legis conditor? Apostolorum ne unus aliquis, an vero Petrus? Num etiam aliqua ex Synodis? Sed ubi & quando congregata est hujusmodi Synodus? Et quorum calculis confirmata?* ut nempe solis Episcopis reservetur jus ordinarium administrandi Confirmationem. Photii doctrinam adoptarunt Græci schismatici, quos inter Joannes Nathanael Presbyter & magnus Oeconomus Cretensis, qui obiit sub initium sæculi decimi septimi: contendit ille consecrationem quidem chrismatis a solis Episcopis perfici posse, simplices vero Presbyteros jure ordinario unctionem conferre. Non omnes tamen Græci schismatici ita sentiunt, siquidem Simeon Thessalonicensis in L. de Sacramentis, chrismatis consecrationem & unctionem solis Episcopis tribuit; Matthæus vero Blastrius in suo *Nomocanone*, negat Chorepiscopos, quamvis multis præ simplicibus Presbyteris ornati fuerint privilegiis, Spiritum sanctum baptizatis dare posse; & Gabriel Philadelphiensis in Tract. de Sacramentis, quærens quibusnam proprie concessum fuerit officium dispensandi Confirmationem, sic respondet: *Videtur mihi merito Pontificibus antecedenter hoc datum esse, quibus & solis hoc licet conficere secundum sextum Canonem Concilii Carthaginensis. Ecclesia vero Orientalis non tantum Pontificibus, sed etiam per ipsos Presbyteris post sacram Baptismatis cæremoniam benigno annuit, atque concedit citra ullam culpam unctionem chrismatis.*

Eodem nono sæculo, nonnulli Chorepiscopi quasi proprium sibi assumpserunt confirmandi officium. Hos compescuit Synodus Parisiensis VI. an. 829.

Posterioribus sæculis, Valdenses, Vvicleffitæ, Hussitæ, Lutherani, Calvinistæ, invidiose Ecclesiæ Catholicæ exprobrant, quod solis Episcopis nostri Sacramenti administrationem reservet. Fundamentum erroris istud est, Episcopum a Sacerdote nihil differre quoad potestatem sacramentalem.

Richardus Radulphus, vulgo dictus Archiepiscopus Armachanus, qui obiit an. 1359. l. 11. c. 4. *adversus errores Armenorum*, docet munus & officium confirmandi commune esse Episcopis, & Presbyteris, si potestas Ordinis attendatur: nihilominus illud Ecclesiastica lege Episcopis reservatum fuisse, quam reservationem ille approbat, adeo ut existimet peccare, graviterque puniendos esse Presbyteros, qui Episcopis invitis confir-

firmant, tametsi valida sit, virtute Ordinis, ab ipsis collata Confirmatio: quam Radulphi sententiam videntur non improbare Scotus in 4. dist. 7. q. 1. ad 3. Gabriel in 4. dist. 7. q. unica col. 3. Durandus in 4. dist. 7. q. 4. n. 9. ubi sic loquitur: *Supposito quod Confirmatio sit verum Sacramentum a Christo institutum, & minister ejus sit omnis Sacerdos quantum est ex institutione, licet ex prohibitione Ecclesiæ reservata sit ejus collatio solum Episcopis; tunc facile est dicere, quod ex commissione Papæ simplex Sacerdos possit confirmare, cui tamen liceret, si non esset prohibitio Ecclesiæ. Commissio autem Papæ, si eam faceret simplici Sacerdoti, tolleret prohibitionem quantum ad illum, cui fieret commissio. Si tamen Sacerdos sine tali commissione confirmaret, verum Sacramentum esset, sed ipse peccaret, quia gradus Episcopalis non esset de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti.* Hæc Durandus. Opinionem hanc ab errore Vvicleſi distinguit Arcudius l. 2. c. 10. in eo quod Vvicleffus jure communi, ac proprio, & potestatem & licentiam conferendæ Confirmationis Presbyteris non minus, quam Episcopis competere diceret.

CONCLUSIO.

Solus Episcopus institutione divina ordinarius est Sacramenti Confirmationis minister.

Probatur ex c. 8. Apostolorum, ubi refertur Petrum & Joannem missos fuisse Samariam, ut iis, qui a Philippo baptizati fuerant, manus imponerent, ac traderent Spiritum sanctum. Quare autem Philippus manus eis non imposuit? Quare Spiritum sanctum non dedit? quia Episcopus non erat, sed tantum Diaconus. Hoc Apostolorum exemplo edocta Ecclesia, solis Episcopis, Apostolorum in Episcopali dignitate, ac gradu successoribus, jus ordinarium Confirmationis conferendæ reservavit, quod quidem perpetua, & nusquam interrupta demonstrat Ecclesiæ praxis, ac Traditio.

Primo ex Conciliis.

Tom. 1. Conc. p. 974. Eliberitano Can. 38. quo jubet baptizatos a Laicis aut Diaconis duci ad Episcopum, *ut per impositionem manuum & benedictionem eos perficiat.* Idem repetit Can. 77. *Episcopus*, ait Canon, *eos per benedictionem perficere debet.*

Tom. 4. Conc. p. 1024. Arelatensi III. an. 455. quo sancitum est, ut Monachi Lirinenses, si Neophyti fuerint, nonnisi ab Episcopo Forojulienſi confirmentur.

Tom. 5. Conc. p. 1666. B. Hispalensi II. an. 619. in quo inter illa, quæ Presbyteris non licent, recensetur dispensatio Confirmationis. *Quædam*, inquit Concilium, *novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum & Diaconorum, ac virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio; siquidem nec liceret eis Ecclesiam vel altaria consecrare, nec per manus impositionem fidelibus baptizatis, vel conversis ab hæresi Paracletum Spiritum dare, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare.*

Nec te moveat quod *novellis & Ecclesiasticis regulis* ista prohibita dicat Concilium: per novellas quippe regulas, non novas seu recenter inductas intelligit; alias Ordinatio seu consecratio Presbyterorum, novo

dum-

dumtaxat jure solis Episcopis reservata dici posset, quod absurdissimum foret. Novellas igitur regulas appellat, quia in novo Testamento a Christo præscriptæ sunt: facta scilicet allusione ad Legem veterem, in qua soli Summo Sacerdoti licitum erat altare erigere, consecrare &c. Hunc esse Concilii sensum patet ex serie citati Canonis, in quo comprimitur Agapius Episcopus Cordubensis, qui cum a sæculari militia statim ad Sacerdotium fuisset assumptus, Disciplinæ Ecclesiasticæ non satis peritus *frequenter Presbyteros destinabat altaribus erigendis, & Basilicis consecrandis.* Id autem vetat Synodus, ac confirmat ex veteri Testamento. *In divinis Litteris*, ait, *præcipiente Domino, solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit: utique quia summus Sacerdos Dei erat... Ideoque id quod tantum facere principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses & Aaron tenuerunt, Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, accipere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint.* Novellas igitur regulas appellat Synodus eas, quæ in novo Testamento a Christo Domino præscriptæ sunt. Ecclesiasticas etiam dicit, quia institutioni, ac præcepto divino, etiam Ecclesiæ lex, ac præceptum accedit: eadem quippe res utroque jure, divino & Ecclesiastico, necessaria esse potest, sicut in præsenti negotio contingit. *Ibid. A.*

Parisiensi VI. an. 829. lib. 1. c. 27. ubi Chorepiscopis prohibet, ne deinceps per impositionem manuum donum Spiritus sancti tradere præsumant. Rationem reddit, quia Chorepiscopi exemplum & formam tenent septuaginta Discipulorum, quorum nullus legitur donum Spiritus sancti per manus impositionem dedisse, quia istud solis Apostolis eorum successoribus reservatum est; quod probat ex cap. 8. & 19. Actuum Apostolorum. *Tom. 7. Conc. p. 1617.*

Tridentino denique Sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.* Novatores Lutheranos & Calvinistas directe ferit iste Canon, intacta prorsus quæstione de ministro extraordinario, an simplici Sacerdoti committi possit hujus Sacramenti administratio, vel non. Erroris radicem excidit Concilium, cum docet Episcopos Presbyteris superiores esse, Sess. 23. can. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.* Eadem Sess. c. 4. *Sacrosancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in locum Apostolorum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, ut Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* *Tom. 14. Conc. p. 779.* *Ibid. p. 864. C.* *Ibid. p. 863. B.*

Secundo, ex SS. Pontificibus.

Cornelio in epistola ad Fabium Antiochenum apud Euseb. l. 6. c. 43. ubi reprehendit Novatum, quod post perceptum in lecto Baptismum, ab Episcopo consignatus non sit. *Euseb. Hist. p. 244. D.*

Inno-

Tom. 2. Conc. p. 1246. B. C. Innocentio I. in epistola ad Decentium c. 3. *De consignandis infantibus manifestum est*, inquit, *non ab alio quam ab Episcopis fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent? Hæc autem solis Pontificibus deberi, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum sanctum.*

T. 2. p. 633. S. Leone Epist. 88. ubi loquens de officiis Chorepiscoporum ait, *ipsis non licere nec erigere altaria, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis; aut ab hæresi conversis paracletum Spiritum dare, nec chrismate baptizatorum frontes signare, quia hæc solis Episcopis conveniunt.*

T. 2. p. 689. A. B. S. Greg. Magno l. 4. Epist. 9. alias lib. 3. Epist. 9. ad Januarium, *Episcopi*, inquit, *baptizatos infantes signare bis in frontibus chrismate non præsumant, sed Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* In antiquis editionibus sic habetur: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant &c.* Vide notam edit. novæ in hunc locum.

His Summis Pontificibus eos adjunge qui ex professo Photii, & aliorum Græcorum schismaticorum, qui *ordinarium, & ex veteri consuetudine*, ut dicebat Photius, Confirmationis ministerium simplici Presbytero tribuebant errorem, ac temeritatem repressérunt.

Nicolaus I. jussit iterum confirmari quos Græci Presbyteri confirmaverant. Ita colligimus ex Epistola Photii ad omnes Orientis Episcopos, ubi de hoc Nicolai facto acerbe conqueritur. Factum istud narratur in VIII Synodo Oecumenica in Epistola Synodali ad Adrianum directa.

Innocentius III. qui sedere cœpit an. 1199. eumdem Græcorum abusum ætate sua damnavit. In sua enim ad Lucium apud Constantinopolim Legatum Epistola sic loquitur: *Pervenit ad audientiam nostram, quod quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumant fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre; ad excusandas excusationes in peccatis & sui erroris fomentum solam consuetudinem prætendentes, cum diuturnitas temporis peccata non minuat sed augmentet . . . Discretioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne talia de cetero sua temeritate præsumat, quæ licet non sint a fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea fine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quam ut ab bis, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non fine gravi periculo inaniter conferantur; cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.*

Edit. Baluz. T. 1. p. 480. col. 2.

Decret. 87. c. 4. Gregorius IX. qui sedere cœpit an. 1227. eamdem Græcorum consuetudinem reprobat in Epistola ad Barensem Episcopum, in qua de verbo ad verbum repetit & confirmat Decretum Innoc. III. Refertur hæc Epistola l. 1. Decretalium, titulo *De consuetudine*.

Tom. 11. Conc. p. 613. B. Innoc. IV. qui sedere cœpit an. 1243. consultus de ritibus Græcorum,

in

in Epistola ad Ottonem Cardinalem Tusculanum Legatum suum in Regno Cypri, de Confirmatione sic respondet: *Soli Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur.*

Denique Clemens VIII. qui sedere cœpit an. 1592. in Constitutione, quam edidit pro instructione Græcorum, vult iterari sub conditione Sacramentum Confirmationis, quando probabiliter dubitari potest, an fuerit ab Episcopo datum. Unde Marcus Ephesiorum Episcopus, qui unioni Latinæ Ecclesiæ cum Græca in Concilio Florentino sancitæ subscribere recusavit, in epistola encyclica ad omnes Orbis Christianos data, testatur sua ætate, Latinos solitos fuisse, iterum eos confirmare, qui a Græcis dumtaxat Presbyteris fuerant confirmati. *Vid. T. 13. Con. p. 790.*

Accedit & Ecclesia nostra Gallicana, quæ Græcorum abusum improbavit, atque Ratramno Monacho Corbejensi provinciam demandavit refellendi calumnias Græcorum; quod ille perfecit quatuor Libris, qui extant in Spicilegio Dacheriano Tom. 2. l. 4. c. 7. Observat, Græcos Latinis objeciisse, *quod eorum Presbyteri frontes baptizatorum chrismate non liniant: quod objectum*, inquit Ratramnus, *sicut & reliqua, magis levitate, quam ratione propositum est, siquidem Ecclesiæ suæ consuetudinem sequentes, ista proponunt, non aliquam divinæ legis auctoritatem.* Ostendit deinde Ratramnus ex Actis Apostolorum, ad solos Episcopos pertinere per unctionem frontis Spiritum sanctum conferre. *Spic. T. 2. p. 141.*

Tertio ex SS. Patribus: nonnullos ex veteribus appellasse sufficiet.

S. Cyprianus ep. 73. ait, *eos qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerri, ut Spiritum sanctum consequantur.* *P. 124. Ib. 146.*

Firmilianus in sua ad S. Cyprianum epistola ait, *majores natu*, (id est Episcopos, qui in Ecclesia præsident) *manus imponendi & ordinandi possidere potestatem.*

S. Hieronymus adversus Luciferianos ait, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut Episcopi excurrant ad eos, qui in minoribus urbibus sunt baptizati, ut eis manus imponant.* *T. 4. p. 2. p. 295. Ed. Com. p. 580. C.*

S. Chrysostomum Hom. 18. in c. 8. Actuum Apostolorum: *Hoc erat*, inquit, *in Apostolis singulare* (nempe Spiritum sanctum dare per impositionem manuum) *unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.*

Denique S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 26. *Neque enim*, inquit, *aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* *T. 8. p. 999. A.*

Si rationem hic quæsieris, cur solis Episcopis datum sit jus administrandi Confirmationem, non aliam dabimus, quam Christi voluntatem nobis in Scriptura & Traditione declaratam: cujus quidem congruentem caussam afferunt Theologi, quod homo baptizatus per Sacramentum Confirmationis perficitur, ac consummatur; cum autem Episcopatus sit Ordo *perficientium*, ad Episcopos spectat fideles perficere. *Constitutum illud est*, ait S. Hieron. *ad honorem Sacerdotii, potius quam ad legem necessitatis.*

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Ananias Episcopus non erat, sed unus dumtaxat ex Discipulis, Act. 9. v. 10. atqui ibidem v. 17. missus est ad Saulum, seu Paulum, cui *manus imposuit, ut impleretur Spiritu sancto.*

Resp. dist. maj. manus imposuit, ut visum ei restitueret, & ad Spiritum sanctum in Baptismo percipiendum præpararet, concedo: manus imposuit, ut conferret Sacramentum Confirmationis, nego. Nondum quippe baptizatus erat Paulus, quomodo igitur eum Ananias confirmasset? Solutio manifesta est ex sacro Contextu v. 17. & 18. *Abiit Ananias, & introivit in domum: & imponens ei manus, dixit; Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebat, ut videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.*

Instabis: qui potest majus, potest & minus: atqui potuit Ananias, possunt & simplices Sacerdotes Baptismum conferre qui necessitate, ac dignitate præstantior est Confirmatione.

Resp. nego ant. In rebus hujusmodi sola audienda est voluntas Christi instituentis, & Ecclesiæ obsequentis traditio: porro ex utraque certissimum est, solum Episcopum a Christo institutum esse ordinarium Confirmationis ministrum. Quod si valeret ratio in objectione proposita, etiam laici, qui baptizant, possent & confirmare: immo simplices Presbyteri, qui ordinarii sunt Baptismatis ministri, possent & alios Presbyteros creare, seu ordinare &c. at nihil absurdius.

T. 2. p. 2. p. 803. Objic. 2. auctoritatem S. Hieron. duplici in loco. 1. Epist. 101. alias 85. ad Evangelium. *Quid*, inquit, *facit excepta Ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* 2. Dialog. adversus Luciferianos plura scribit, ex quibus inferri potest, Episcopum nonnisi ab humana & Ecclesiastica auctoritate habere, ut ordinarius sit Confirmationis minister. 1. Jus il-
Ibid. p. 294. & seq. lud repetit a consuetudine Ecclesiarum. *An nescis*, ait Luciferianus alloquens Orthodoxum: *Ecclesiarum hunc esse mortem, ut baptizatis postea manus imponantur? ... Non abnuo*, ait Orthodoxus, *hanc esse Ecclesiæ consuetudinem.* 2. Fatetur hanc esse Ecclesiæ legem; *Sed quale est*, inquit, *ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?* Ait multis in locis id factitatum: *Multis in locis*, inquit, *idem factitatum reperimus.* 4. Addit id *ad honorem potius Sacerdotii factum, quam ad legem necessitatis.* 5. denique, quia, inquit, *si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in remotioribus locis per Presbyteros baptizanti, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.*

Resp. ad 1. ex Epist. 101. Hieronymum non asserere nihil prorsus facere Episcopum, quod Presbyter non faciat; agnoscit enim manifeste in Dial. adversus Luciferianos, Episcopum manus imponere, consignare, ac dare Spiritum sanctum, quod non facit Presbyter: Episcopus pariter Presbyteros creat seu ordinat, non ita Presbyter. Mens igitur Hieronymi est, excepta Ordinatione, nihil fere Episcopos facere, quod non faciant & Presbyteri; & reipsa multa isti faciunt, quæ cum Episcopis communia ipsis sunt; baptizant; absolvunt a peccatis; Christi Corpus con-

conſecrant, nihilominus hæc omnia, Hieronymi ætate, præſente Epiſcopo, nonniſi de ipſius licentia & conceſſione perficere poterant.

Ad ſecundum ex Dial. adverſus Luciferianos, falſo ſupponit Dallæus, cujus eſt hæc objectio, mentem Hieronymi eſſe, Epiſcopos ex ſola Eccleſiaſtica regula & inſtitutione ordinarios eſſe Confirmationis diſpenſatores. *Diſce*, inquit loco citato, *hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere; quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit*. Divinæ autem inſtitutioni & humanam ſeu Eccleſiaſticam regulam addit S. Doctor; ſicut præcepto divino de percipienda Confirmatione & Euchariſtia accedit & præceptum Eccleſiæ, quæ Sponſi ſui Chriſti voluntati ſemper obſequitur: nihil autem vetat rem eamdem jure divino ſimul & Eccleſiaſtico neceſſariam eſſe, quo uno obſervato in fumos abit tota Dallei objectio; & aperta eſt ad 1. & 2. reſponſio. Ad 3. *multis in locis id factitatum quidem*, ait Hieronymus, non *in omnibus*. An *per multos*, vel omnes intelligit; vel tacite carpit nonnullorum ætatis ſuæ Epiſcoporum negligentiam, qui ad remotiora loca baptizatis manus impoſituri non excurrebant. Ad 4. duplex eſt interpretatio, una Baronii, ad an. Chriſti 594. n. 15. altera Bellarmini de Confirm. c. 12. Baron. iſtorum Hieronymi verborum: *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem neceſſitatis*, hunc ſenſum reddit: Cum poteſtas eſſentialis adminiſtrandi Confirmationem ad ſolum Epiſcopum non pertineat, ſed Presbyteris etiam committi poſſit: *ad honorem potuis Sacerdotii Epiſcopis* reſervata eſt, *quam ad legem neceſſitatis*, quia abſolute a Presbyteris diſpenſari Confirmatio poteſt; nec eſſentiale eſt huic Sacramento, ut ab Epiſcopo conferatur. Bellarminus vero hæc verba: *quam ad legem neceſſitatis*, non refert ad legem miniſtrandi Confirmationem, ſed ad legem conſequendæ ſalutis, ut ſenſus ſit: Solis Epiſcopis reſervata eſt poteſtas ordinaria confirmandi: *ad honorem Sacerdotii potius quam ad legem neceſſitatis*, quia nempe Sacramentum hoc abſolute ad ſalutem neceſſarium non eſt, quem ſenſum aperte innuunt verba, quæ ſequuntur apud Hieronymum: *Si ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt qui in remotioribus locis per Presbyteros baptizati, ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inviſerentur*. Duplici ergo de cauſsa ſolus Epiſcopus inſtitutus eſt ordinarius Confirmationis miniſter, tum ut major dignitati Epiſcopali honos conciliaretur; tum ut declararetur Sacramentum iſtud abſolute, ſeu neceſſitate medii neceſſarium non eſse ad ſalutem. Unde S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 18. in cap. 8. Act. Apoſt. quærens quare Philippus Samaritanis, quos baptizaverat, Spiritum ſanctum non dediſset, duas affert cauſsas, & rationes: nempe quia Philippus Apoſtolos honorare voluit, & quia ipſe non acceperat facultatem dandi Spiritum ſanctum. *Ed. Commel. p.* 580.

Aliam reſponſionem, quæ ad mentem Baronii accedit, proponit idem Bellarminus loc. cit. *Dici poteſt*, inquit, *loqui Hieronymum de lege, quæ ſumatur ex natura rei, ut ſenſus ſit; id eſſe tributum ſolis Epiſcopis*, non ob legis neceſſitatem: *ideſt, non quod id neceſſario requirat natura rei, quaſi fieri non poſſet; ſed quia voluit Dominus hac re honorare Epiſcopalem dignitatem*. *T. 3. p.* 149. B. C.

Objic. 3. Conc. Regienſe an. 439. can. 5. Sacerdoti licentiam tribuit con- *Tom. 3. Conc. p.* 1287.

consecrandi virginem, & neophytum confirmandi, en verba: *Visum est, omni Presbytero per familias, per agros, per privatas domos, pro desiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire . . . in Ecclesia quoque, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum, jus habebit.*

Tom. 5. Conc. p. 1605. D. Et Conc. Barcinonense II. can. 2. statuit, *ut cum chrisma Presbyteris Diæcesanis datur pro neophytis confirmandis, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Supponit igitur Concilium, licitum esse Presbyteris confirmare neophytos chrismate, quod ab Episcopo consecratum fuit.

Resp. ad Conc. Regiense, non unum & eumdem esse Sacerdotem, cui in prima Canonis parte datur facultas *benedicendi*, & in posteriori parte, *consecrandi virginem, & neophytum confirmandi*: siquidem in ista posteriori parte agitur de Armentario Episcopo deposito, cui una permittitur Parochia, in qua consecrare virginem, & neophytum consignare possit, non tamen extra istam Parochiam, imo nec in illa istud ei conceditur, si præsens adfuerit Episcopus. Cum vero Armentarius Episcopali charactere donatus esset, potuit legitime deputari ad confirmandos neophytos Parochiæ, cui præpositus fuerat.

Ad Conc. Barcin. Non aliud decernit, quam ut a Presbyteris nihil exigatur pro chrismate, quod ab Episcopo percipiunt, & quo neophyti confirmantur; non quidem a Presbytero (neque enim id Concilium asserit) sed ab Episcopo: quamquam non desunt inter nostros, qui verbo, *confirmandis*, eo in Canone intelligunt unctionem baptismalem verticis, quæ latiori quodam sensu Confirmatio dici potest. Ita Vvalafridus Strabo: quo sensu verbum idem adaptatur & Eucharistiæ, & cæremoniæ, per quam olim Hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur, sicut ex dicendis paullo post manifestum erit.

Objic. 4. Synodum II. Carthaginensem an. 390. & tertiam item Carthaginensem an. 397. quibus chrismatis confectio Presbyteris prohibetur: Ergo, concludit Dallæus, antea licita ipsis erat: quidni & usus hujus chrismationis?

Resp. nihil hac objectione levius proferri posse, ex qua hoc unum extundi potest, nonnullos simplices Presbyteros confectionem chrismatis sibi aliquando arrogasse, quorum temeritatem repressit utraque laudata Carthaginensis Synodus. Qua vero machina inde cum Dallæo concludi possit, aut illam chrismatis confectionem, ante prohibitionem, illis Presbyteris permissam, ac licitam fuisse; aut illos eo chrismate usos, ut impune baptizatos confirmarent, fatemur non satis nos intelligere.

Objic. 5. Ex Pontificali Damasi in vita Sylvestri, Sylvester istud Episcopis privilegium concessit, ut baptizatum consignent *propter hæreticam suasionem*, excepto casu periculi mortis, quo potestas fit Presbyteris consignandi infantes, *propter occasionem*, inquit, *transitus mortis*. Porro, ait Dallæus, si Sylvester hoc privilegium Episcopis indulsit, ut baptizatos consignent; ergo ante Decretum istud Presbyteris cum Episcopo communis fuit potestas baptizatos consignandi.

Resp. nego ant. Liber quippe ille Damasi eruditis suppositionis, ac falsitatis merito suspectus videtur: recentior est, quam ut fidem certam faciat. Baronius & Bellarminus scriptum ajunt ab Anastasio Biblio-

bliothecario, qui an. 858. vel etiam paullo serius scripsit. Alii Anastasio antiquiorem putant, quia laudatur a Vvalafrido lib. de exordiis & incrementis rerum Eccleſiast. c. 26. & ab Amalario l. 1. de Officiis Eccleſiast. c. 27. & a Rabano lib. 1. de Instit. Cleric. Vvalafridus autem vivere desiit an. 849. Amalarius vero scribebat an. 830. & Rabanus an. 810. Præterea verisimile non videtur, Sylvestrum initio quarti sæculi jus illud seu privilegium administrandæ Confirmationis Episcopis primum contulisse, cujus originem ex Apostolorum exemplo ac traditione repetunt, Cyprianus, Firmilianus, Innocentius I. Hieronymus, Ambros. Chrysostomus, Augustinus, & alii, quos antea laudavimus.

Objicies 6. can. 1. Synodi I. Arausic. an. 441. quo decernitur: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si desit Episcopus a Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari, si ii Catholici esse desiderant.* Et can. Conc. Epaonensis, ad an. 517. *Presbyteros propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis & decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Inde concludit Dallæus, Presbyteris licitum fuisse conversos ab hæresi in mortis periculo chrismate ungere, multo magis neophytos. *Tom. 3. Conc. p. 1447. Tom. 4. Conc. p. 1578.*

Resp. 1. incertum plane esse, utrum illa unctio seu chrismatio, per quam Hæretici ad Ecclesiam redeuntes olim recipiebantur, verum fuerit Sacramentum Confirmationis; an mera cæremonia, cujus ritus valde affinis erat ritui Confirmationis: de qua controversia paullo post dicturi sumus.

Resp. 2. hoc unum ad summum inde concludere posse Dallæum, in casu necessitatis simplices Presbyteros delegatos fuisse ministros Confirmationis extraordinarios, quod quidem fieri posse mox ostendemus.

Objic. 7. Venerabilem Bedam in Ps. 26. ad hæc tituli verba: *Priusquam liniretur David &c. Sciendum est*, inquit, *quod illa unctio, quæ per manus impositionem ab Episcopis, quasi alia a duobus prædictis* (olei nimirum & chrismatis, quarum prior Baptismum præcedit, posterior subsequitur) *& vulgo Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda*, (nempe verticali) *propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.* Ergo, concludit Dallæus, frontis unctio, quæ Confirmatio dicitur, reipsa eadem est cum unctione verticis: attamen propter *arrogantiam Presbyterorum*, istis prohibita fuit, & solis Episcopis reservata. *T. 3. p. 558. n. 70.*

Suspicantur nonnulli, textum hunc Bedæ corruptum esse ac mutilum, cujus prior pars sensum obscurum & imperfectum exhibet; sed quidquid sit,

Resp. Bedam triplicem eo loci distinguere unctionem: unam, quæ fit ante Baptismum, qua illuminamur oleo Catechumenorum: alteram, qua neophyti post Baptismum unguntur in vertice; tertiam, quæ fit in Cælo: *Recte*, inquit, *in titulo dictum est: Priusquam liniretur: quia videlicet vox est perfectæ animæ desiderantis veram unctionem, quæ in fine in nobis perficietur. Nunc autem in Sacramento olei, & chrismatis ungimur, per quod Sacramentum quiddam mirum, & ineffabile, quod in fine futuri sumus, significatur . . .* Et paullo post: *Potest quoque*, ait, *si cui libuerit, illuminatio ad primam tantum unctionem, in qua simpliciter abrenunciamus satanæ, referri; salus vero ad secundam, in qua magis firmamur, quia & nomen Christi in ea profitemur, & ab eo nomen accipimus*, quibus certe verbis distincte Beda exprimit verum Confirmationis Sacramentum. Cum igitur *Ib. n. 30.* *Ib. n. 60.*

verbis in objectione relatis ait unctionem, quæ per manuum impositionem fit ab Episcopo, eadem esse cum secunda, quæ fit in vertice, intelligendum est, eadem esse, tum ratione materiæ, tum ratione significationis, quia utraque & oleo constat, & gratiam Christianismi significat, non vero eamdem natura & effectu; unctio enim baptismalis in vertice pura cæremonia, unctio vero frontis verum Sacramentum, quod gratiam ex se, seu ex opere operato producit. Ad primam *abrenunciatio satanæ*, ad secundam *salus* pertinet. Primam administrant Presbyteri; alteram soli Episcopi, non Presbyteri, ne forte isti arrogantius superbirent, & Episcopis se coæquales esse jactarent, si eodem cum ipsis ordinario jure confirmandi neophytos donati fuissent.

Objic. 8. Ambrosiastrum Comment. in c. 4. ad Ephes. ubi ait apud Ægyptum Presbyteros consignare, si præsens non fuerit Episcopus.

Resp hujusce Scriptoris nomine, quem Luciferianum fuisse ajunt, parum Catholicos moveri, cum nullum ille testem proferat, vadem nullum facti quod narrat. Esto apud Ægyptios Presbyteri consignent: dubium est 1. an consignatio hæc seu unctio verum fuerit Confirmationis Sacramentum: an mera cæremonia. 2. quo jure consignaverint; an ordinario, an ex delegatione tantum; si ordinario; an mos ille approbatus fuerit, vel improbatus: si ex delegatione; a quo facta illa fuerit, an a privatis Episcopis, vel a Romano Pontifice. Hæc omnia in suspenso reliquit Dallæus: nihil igitur certi ex testimonio tam incerto ac dubio concludere ille potest.

Objic. 9. Græci Presbyteri non tantum ex delegata, & extraordinaria, sed etiam propria, & ordinaria potestate dispensant Sacramentum Confirmationis, non tantum a tempore inducti schismatis per Photium, sed etiam ante: ipse siquidem Photius in Epistola ad omnes Orientales Episcopos, Nicolaum dure exagitat, eo quod jussisset iterum confirmari, quos Græci Presbyteri in Bulgaria confirmaverant; contenditque hanc esse Ecclesiæ suæ omni memoria superiorem consuetudinem: imo ad jus ipsum primævum recurrens, quærit *unde venerit ista lex, quod soli Episcopi confirment? Quis illius auctor? Quis Apostolorum? An Petrus? An ex Synodis aliqua? Sed ubi & quando habita, & quorumnam confirmata sententiis? Non licet*, inquit, *Sacerdoti baptizatos oleo signare? Certe tum nec baptizare*. Atqui tamen valet apud Græcos etiamnum datum a Presbyteris jure ordinario Sacramentum Confirmationis.

Inde est, quod Nicolaus I. Græcos non damnat simpliciter ob istam præcise causam, quod confirmassent; sed tum quod in ea regione id sibi assumpsissent, in qua nullum jus habebant, nempe in Bulgaria, quæ subjecta non erat Patriarchæ Constantinopolitano: tum quod propter inductum schisma suspensi essent ab omni Ordinum suorum exercitio. Ita factum Nicolai explicat Adrianus II. S. P. in epistola ad Ignatium verum ac legitimum Patriarcham Constantinopolitanum, quo adhuc vivente Photius Sedem hanc vi ac dolo invaserat. Refertur hujus Epistolæ fragmentum in VIII. Synodo Oecumenica. *Quod si dicas*, inquit Adrianus alloquens Ignatium, *prius a nobis Constantinopolitanæ Diœceseos Presbyteros in ea regione* (Bulgarorum) *sacrificare prohibitos, haud inficias imus. Erant Photiani, illiusque symmistæ, quibus non solum in Bulgarorum Provincia, sed ubique Gentium sacerdotali munere interdiximus, interdicimusque.*

Tom. 8. Conc. p. 1386. A.

Inde

Inde quoque est, quod Innocentius III. antea citatus, solis Presbyteris Latinis Constantinopoli commorantibus prohibuerit, ne Confirmationis Sacramentum ministrare attentarent.

Resp. errare inter Græcos, quotquot existimant simplices Presbyteros institutione divina ordinarios esse Sacramenti Confirmationis ministros. Id quidem contendisse videtur Photius schismatis auctor, qui ad veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem provocat, nullamque contrariam legem esse in Scripturis aut Traditione tam confidenter supponit. Sed quam facilis ac proclivis est a schismate ad hæresim lapsus! quam istud omnibus Novatoribus familiare, & errores suos præsidio Scripturæ ac SS. PP. confirmare, & Catholicos onerare mendaciis! Nonne Photius ipse in citata epistola multa manifeste falsa Latinis imponit? V. g. eos *abominari nuptias, quia Presbyteros sortiri conjuges prohibent? chrisma ex aqua fluminis conficere; agnum in Pascha more Judæorum super altare pariter cum dominico Corpore benedicere; & offerre &c.* Verum quid aliud reportavit Photius? nisi quod a Romanis Pontificibus constanter damnatus, ac proscriptus fuit; ac iterata Confirmatio a suis Presbyteris sine legitima dispensatione collata.

Reipsa vetus est in Ecclesia Græca consuetudo, quæ etiamnum obtinet, ut nempe simplices Sacerdotes statim post Baptismum confirment; neque legimus Ecclesiam in Conc. Florentino nullum, & irritum declarasse istud Sacramentum. Unde necesse est inferre, quod ex Goario jam observavimus, Romanam Ecclesiam tacito saltem consensu approbasse, ut Græci Presbyteri ex delegata, & extraordinaria auctoritate ministri sint Sacramenti Confirmationis.

Ad factum Nicolai I. resp. merito improbatum ab eo fuisse, quod a Sacerdotibus Græcis gestum fuerat in Bulgaria. 1. quia illi Photiani Sacerdotes in eodem, cum duce suo Photio, errore versabantur; nempe simplices Presbyteros; jure ordinario, non ex dispensatione, ministros esse Confirmationis. 2. quia jus illud usurpaverant in ea regione Bulgarorum, in quam nullam auctoritatem habebant. 3. quia etsi supponeretur, cum illis ante inductum schisma dispensatum fuisse, ut confirmarent, ab illa tamen gratia exciderant, tum vitio schismatis, tum pœna excommunicationis, qua percussi fuerant a Nicolao I. Adrianus autem II. S. Pontifex una aut altera adducta ratione, alias non censetur negare & excludere.

Ad Constitutionem Innoc. III. dico revera illum Latinis dumtaxat Presbyteris Constantinopoli commorantibus prohibuisse administrationem Sacramenti Confirmationis, quia nulla ipsis concessa fuerat dispensatio, atque postulabat ratio & æquitas, ut moribus Ecclesiæ suæ Latinæ viverent, consuetudinem vero Græcorum, tametsi dispensatione aliqua suffultam, non sequerentur.

ADDITIO.

(*)

Constat id ex ipsis Innocentii verbis. Volentes igitur hæc, & alia, quæ oculos Divinæ majestatis offendunt, de agro dominico extirpari, discretioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris, apud Constantinopolim constitutis, districte

prohibeas, ne talia de cetero sua temeritate præsumant. *Ita quippe habet integra decretalis apud Balusium* tom. 1. epist. Innoc. III. p. 480. & *Gonzalez. Sed quia in compilatione Decretalium, qua in scholis, & foro utimur, omissum est verbum illud* Latinis, *hinc auctores contrarii ansam acceperunt asserendi, Innocentium irritam pronunciasse Confirmationem a Græcis etiam Sacerdotibus collatam, sicuti scite animadvertunt Morinus* cit. differ. c. 22. & *Van-Espen* Jur. Eccl. univers. part. 2. tit. 3. c. 2. n. 4.

Aliis igitur in locis, inquit Benedictus XIV. de Syn. Diœcef. l. 7. c. 9. in quibus Chrismatio data a Sacerdotibus Græcis, non est a sede Apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda, ob tacitum saltem privilegium a sede Apostolica illis concessum: cujus quidem privilegii præsumptionem inducit ipsamet conniventia, & tolerantia Romanorum Pontificum, qui prædictum Græcorum morem scientes, non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt, sicuti post Goarium, & alios, recte ratiocinatur Arcudius de Concord. Eccles. Occident. & Orient. l. 2. de Confirm. c. 15. p. 96. *inquiens*: Tutissimum est dicere, Græcorum Presbyteros, per suos Patriarchas, & Antistites ejusmodi facultatem a Summo Pontifice obtinuisse, a quo omnis jurisdictio, quasi a Capite, in alios, veluti membra, immediate vel mediate derivatur, & diffunditur.

Sed quoniam omnis præsumptio cedit veritati, eadem Confirmatio est irrita reputanda in locis, in quibus certo novimus talem facultatem Græcis, alteriusve Orientalis ritus Sacerdotibus, esse ab Apostolica sede expresse ademptam. Præter autem Sacerdotes in Bulgaria, quibus eam ademptam audivimus a Nicolao I. & Sacerdotes in regno Cypri, quibus eamdem abstulit Innocentius IV. scimus a Clemente VIII. severe interdictum Sacerdotibus Italo-Græcis, ne baptizatos Chrismate consignare præsumant, cujus decretum nos confirmavimus in nostra Constitutione 37. Bullar. nostri tom. 1. p. 167. *in cujus §. 3. hæc ad rem ediximus*: Episcopi Latini, infantes, seu alios in suis Diœcesibus baptizatos a Presbyteris Græcis absolute Chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per prædecessores nostros, neque per nos Græcis Presbyteris, in Italia, & Insulis adjacentibus, & infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur: quin imo usque ab anno 1595. a fel. record. Clemente VIII. Prædecessore nostro fuit Presbyteris Italo-Græcis expresse interdictum, ne baptizatos Chrismate consignent. Secus sub conditione, & cum cautela eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest, utrum ab Episcopis Græcis, ordinem Baptismi juxta eorum Euchologium servantibus, fuerint baptizati. *In alia pariter nostra Constitutione* 129. §. 4. cit. tom. ejusdem Buchar. pag. 113. *illata mentione ejusdem Græcorum consuetudinis, hæc addidimus*: Quemadmodum enim Græcis incolis Italiæ expresse vetita est administratio utriusque Sacramenti, ab eodem Ministro contemporanee facienda; ita patientia quadam, & facilitate Sedis Apostolicæ factum est, ut unum & alterum Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferretur: & §. 5. permittendum diximus Cophtis perseverare in eodem ritu, jam diu ab ipsis recepto, atque ab Apostolica sede tolerato. Hactenus Pontifex.

Minister extraordinarius Confirmationis.

Quæritur utrum simplex Presbyter possit ex delegatione, tamquam extraordinarius minister, Sacramentum Confirmationis valide conferre. Circa quæstionem hanc duplex generatim est Scholæ opinio, negans una, affirmans altera.

Negant Robertus Pullus Cardinalis p. 5. Sententiarum cap. 23. Hugo Victorinus l. 2. de Sacram. p. 7. c. 2. Altissiodorensis l. 4. c. 3. Durandus in 4. dist. 7. q. 3. & 4. Gabriel in 4. dist. 7. art. 2. concl. 3. Inter recentiores Estius in 4. dist. 7. §. 21. 22. Aurelius in Anæretico p. 453. & in Orthodoxo p. 531. Sambovius Tract. de Sacramento Confirmationis &c. Inter istos Scriptores sunt, qui cum Durando existimant contrariam opinionem non solum falsam, sed etiam fidei, ac Ecclesiæ periculosam esse.

Affirmant vero Jacobus a Vitriaco Cardinalis Serm. in Vigilia Pentecostes, Alensis p. 4. q. 9. membr. 5. art. 1. S. Th. 3. p. q. 72. art. 11. ad 1. Suarez, Bellarminus de Valentia T. 4. disp. 5. q. 2. punct. 1. ubi contendit opinionem istam post Concilium Florentinum ad fidem pertinere, Sylvius, & alii inter recentiores bene multi, quorum sententia in Scholis communior jam videtur. Divisi tamen sunt in varias partes: sunt enim, qui volunt ab uno solo S. Pontifice posse ministerium illud Presbyteri committi, alii etiam ab Episcopis in suis Diœcesibus; alii non tantum Presbyteris, sed & Diaconis provinciam hanc demandari posse existimant; alii denique putant, etiam absque ulla dispensatione posse simplices Presbyteros valide, tametsi non licite, Sacramentum Confirmationis ministrare. Rem istam in Conc. Florent. definitam asserunt nonnulli, de illa multum in Conc. Trid. disputatum narrat Card. Pallav. l. 9. Hist. Conc. Trid. c. 7.

Utrum Ecclesia in Conciliis Florentino, vel Tridentino, quidquam definierit circa ministrum extraordinarium Confirmationis.

Affirmant Baronius, Gregorius de Valentia &c. propter auctoritatem vel Concilii Florentini, vel Tridentini, vel utriusque.

In Concilio Florentino, seu Decreto Eugenii ad instruendos Armenos dicitur: *Confirmationis ordinarius minister est Episcopus.* Et paucis interjectis: *Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Concil. Florent. *Tom.* 13. *Conc. p.* 536.

In Conc. vero Trid. Sess. 7. Can. 3. sic definitur. *Si quis dixerit, Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Concil. Trident. *Tom.* 14. *Conc. p.* 779.

Verum, neque Florentinum, neque Tridentinum Concilium quidquid hic velut fide certum definivit.

Non Florentinum, seu S. Pontifex Eugenius in Decreto seu Instructione Armenorum.

I. Quia, qui dicit Episcopum esse ministrum ordinarium Confirmationis, non continuo definit simplicem Presbyterum esse posse ministrum extraordinarium, Prius, quia certum est, Concilium definivit; de altero, quia incertum, silet: esto istud subobscure insinuet, aperte tamen

non declarat, neque unum ex alio necessario sequitur. Quemadmodum, cum ait Eugenium Episcopum ordinarium esse consecrationis, qua Presbyteri, & Diaconi ordinantur, ministrum: an recte inferes, ex mente ipsius simplicem Sacerdotem esse hujus consecrationis ministrum extraordinarium? *Sic locuti sunt utriusque Concilii Patres*, ait Estius in 4. dist. 7. §. 22. ad 2. *quod quæstionem inter doctores controversam definire nolent: quomodo & locuti sunt de ministro Sacramento Ordinis, propter controversiam de minoribus Ordinibus.*

P. 92. col. 2. F.

II. Recte observat alia in occasione Bellarminus L. de Confirmatione c. 9. in responsione ad primam Kemnitii objectionem, *non omnia quæ habentur in Decretis, aut Conciliis ad fidem pertinere, sed solum ea, quæ definiuntur*. Quod autem spectat ministrum extraordinarium Confirmationis, hic non definitur, sed obiter tantum innuitur.

T. 1. p. 145. B.

III. Multa ea in Decreto dicit Eugenius circa materiam Confirmationis, confectionem chrismatis ex balsamo; item circa porrectionem instrumentorum, quam velut essentialem sacræ Ordinationis materiam assignat, quæ tamen graviſſimorum Theologorum judicio ad fidem non pertinent, sed ad meram Scholæ disputationem; circa quam sequutus est Eugenius Armenos instruens, quam probabiliorem putabat Scholasticorum sententiam.

IV. Jam superius, ubi de forma Sacramenti Confirmationis, observatum a nobis fuit, Decretum illud Eugenii, post dissolutam Synodum ac Græcorum discessum, latum fuisse, non a tota Synodo. Quapropter cum sub finem hujus Synodi, Decretum illud datum dicitur *Florentiæ in publica Sessione Synodali sollemniter in Ecclesia majori celebrata*: de solis dumtaxat Occidentalibus Episcopis intelligi istud debet, qui Florentiæ, præside Eugenio, congregati tribus fere annis remanserunt. Quod quidem non eo animo dicimus, ut quidquam detractum velimus hujus Decreti auctoritati, absit: sed ut intelligas quæcumque in eo continentur, a toto Concilio, tanquam ad fidem pertinentia, definita non fuisse.

V. Observat Estius in 4. dist. 7. §. 22. ad 2. *Concilium non affirmare id aliquando factum esse*, (*nam revera*, inquit, *factum esse probari non potest*) *sed id legi vel in decreto Gratiani, vel apud Scholasticos Doctores, qui factum Gregorii juxta suam opinionem sunt interpretati, eamque ob causam se addidisse ordinarium, quod ita opinantibus præjudicare nollet*. Fallitur, nostro quidem judicio, Estius, cum ait, probari non posse aliquando reipsa dispensatum a Summis Pontificibus cum Presbyteris, ut Sacramentum Confirmationis ministrarent: contrarium mox patebit.

P. 39. col. 1. A.

Quantum vero ad Conc. Trid. certum est rem inter Scholasticos controversam, pro more suo definire noluisse, ut ulli opinioni præjudicium inferret: declaravit quidem, tamquam fidei caput solum Episcopum ministrum esse ordinarium Sacramenti Confirmationis, nulla prorsus facta mentione ministri extraordinarii. Vide Pallavicinum Hist. Conc. Trid. l. 9. c. 9. Præsens igitur controversia una ex iis est, quæ salva fide in utramque partem agitari possunt. Itaque sit

CON-

CONCLUSIO.

Posſunt ſimplices Presbyteri, ex delegata auctoritate ſeu diſpenſatione, adminiſtrare Sacramentum Confirmationis.

Probatur 1. auctoritate Eugenii S. Pontificis in Decreto ſeu inſtructione Armenorum, quod ſi non a toto Florentino Concilio, ſaltem ab omnibus Latinis adhuc Florentiæ, poſt Græcorum diſceſsum, congregatis probatum fuit. Qua de cauſa Cardinalis a Monte Præſes Conc. Trid. in Congregatione generali die 26. April. an. 1547. Epiſcopo Clodienſi, qui contendebat Bullam unionis Jacobitarum idcirco non pertinere ad Conc. Florent. quia diſsolutum jam fuerat an. 1493. cum tamen Bulla illa data eſset an. 1441. dixit, hallucinari, eos qui putant finem impoſitum fuiſse Concilio, quando unio Græcorum facta eſt; cum illud per tres ferme annos ab unione facta duraverit, Occidentalibus cum Eugenio Florentiæ remanentibus. Ita referunt Spondanus ad ann. 1439. n. 18. & Pallavicinus Hiſt. Conc. Trid. l. 6. c. 11. Sua igitur firma ſtat huic Decreto auctoritas, ac debetur reverentia; tametſi ex certa fidei lege non teneantur Theologi, ea omnia ſequi quæ circa materiam, & formam nonnullorum Sacramentorum in eo continentur.

Concilium igitur, ſeu Eugenius, poſtquam eo in Decreto dixit: *ſolum Epiſcopum ordinarium eſſe Confirmationis miniſtrum*, ſtatim addit: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſſa, ſimplicem Sacerdotem, chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſse Confirmationis Sacramentum.*

Exempla illa diſpenſationum non refert quidem S. Pontifex, ſed ſupponit, eaque approbare cenſendus eſt, cum ait eas *ex rationabili & urgente admodum cauſſa* conceſsas fuiſse: neque dubitandi locus eſt, quin Occidentales Epiſcopi exempla illa ſedulo, & accurate perpenderint. Præcipua hic referenda.

Vim non faciemus in teſtimonio Ambroſiaſtri, ſeu Hilarii Diaconi aſſerentis, apud Ægyptum, ac per totam Alexandriam Presbyteros, abſente Epiſcopo conſignare: plus enim ex illo atque aliis hujuſcemodi teſtimoniis, quæ Dallæus objicit, efficeretur, quam permittat Catholica doctrina: nempe ſimplices Presbyteros, non tantum ex delegatione, ſed proprio & ordinario jure miniſtros eſse Confirmationis.

I. Igitur licentiam adminiſtrandæ Confirmationis in caſu neceſſitatis conceſſiſse videtur Concilium Arauſicanum I. an. 441. can. 1. *Hæreticos*, inquit, *in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, a Presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignare placuit.* *Tom. 3. Conc. p. 1447.*

Idem & placuit Conc. Epaonenſi an. 517. c. 16. *Presbyteros*, inquit, *propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus, deſperatis decumbentibus hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, chriſmate permittimus ſubvenire. Quod omnes converſuri, ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo noverint expetendum.* *Tom. 4. Conc. p. 1578.*

Non ignoramus ex noſtris multos exiſtimare, his in Canonibus deſignari meram cæremoniam, per quam olim redeuntes ab hæreſi in Eccleſia recipiebantur, non autem verum Sacramentum Confirmationis: alias,

inquiunt, sæpius iteratum fuisse Sacramentum illud, dicendum foret: Verum, multos aliter sentire fatendum est, in primis doctissimum & illustrissimum Petrum de Marca in notis ad Concilium Claromontanum anni 1095. Neque sequitur, sæpius iteratum fuisse istud Sacramentum: namque verisimile prorsus est, illos Hæreticos, de quibus mox laudati canones, verum apud suos Confirmationis Sacramentum, sive ex errore, sive ex negligentia, non percepisse.

Tom. 10. Conc. p. 585.

II. Cum S. Gregor. Magnus an. 593. epist. 9. l. 4. Presbyteris Calaritanis prohibuisset, *ne baptizatos infantes signare in fronte chrismate præsumerent, sed eos ungerent in pectore, ut Episcopi postmodum ungerent in fronte*: anno proxime sequenti cum accepisset hac sua prohibitione multos offensos & scandalizatos fuisse, epistola 26. respondet: *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungere debeant, concedimus.* Aliqui juxta editionem Parisiensem anni 1533. legunt *baptizandos*, non *baptizatos*: unde inferunt loqui S. Gregorium de unctione ante Baptismum, seu verticis, quam illi Presbyteri contra usum Ecclesiæ Romanæ in fronte faciebant; non vero de unctione confirmatoria, quæ Baptismum sequitur. Verum evanescit penitus hæc observatio, si epstola illa 26. per quam S. Pontifex licentiam restituit, quam prius abstulerat, conferatur cum epistola 9. in qua certum est mentionem fieri de unctione facienda *baptizatis*, *non baptizandis*.

T. 2. p. 619. B.

Ibid. p. 705.

Ad istud S. Gregorii exemplum respondebant nonnulli, ætate ipsa S. Thomæ, ipsomet referente in 4. dist. 7. q. 3. art. quæstiunc. 3. in corp. sanctum Gregorium non dedisse facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis, *sed aliquid sacramentale, simile illi Sacramento: sicut alicui porrigitur panis benedictus loco Eucharistiæ*: idest S. Pontificem non Sacramentum, sed meram cæremoniam, administrandi licentiam indulsisse; quam solutionem sequuti sunt Adrianus VI. in 4. dist. 7. art. 3. Petrus de Marca dissertatione ad canonem 28. Concilii Claromontani an. 1095. Licet enim doctissimus auctor existimet, ex gravi causa posse simplicem Sacerdotem ex dispensatione Sacramentum Confirmationis conferre; negat tamen ex eo loco, id est facto Gregorii Magni, confici istud posse. Assentitur Estius in 4. dist. 7. §. 22.

Verum responsio hæc gratis ficta videtur 1. quia id concessit S. Gregorius per epistolam 26. quod negaverat per epistolam 9. atqui per epistolam 9. conceptis verbis prohibuerat, *ne Presbyteri baptizatos infantes signare sacro chrismate in frontibus præsumant, sed eos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte*, quæ sane unctio frontis verum erat Confirmationis Sacramentum; neque enim aliter apud Veteres solebat designari. 2. Si de una dumtaxat cæremonia quæstio fuisset, quare illam in absentia dumtaxat Episcopi Presbyteris S. Gregor. permisisset? An non jure ordinario Presbyteri omnes Baptismi cæremonias observabant? Unde tanta Calaritanorum offensio, scandalum tantum, si de una cæremonia dumtaxat actum fuisset?

Ibid. p. 689.

Objectio. At, inquies I. Si de vero Confirmationis Sacramento egisset S. Gregorius, illud haud dubie, quod sine legitima licentia & auctoritate contulerant

lerant Presbyteri Calaritani, nullum & irritum declaraſset, iterumque eos juſſiſset confirmari, quod factitatum a Gregorio non legimus.

II. Cur S. Pontifex unum opponit Eccleſiæ ſuæ Romanæ uſum, non vero inſtitutionem Chriſti, quæ longe majoris ponderis, ac momenti fuiſset?

Reſp. ad primum, ex œconomia & prudenti diſpenſatione ſic egiſse S. Gregorium, ne Calaritanos gravius adhuc offenderet ac perturbaret. Quin & conjici non immerito poteſt, ſuppoſuiſſe Pontificem, ex conſenſu ſaltem tacito Eccleſiæ Romanæ, datam Calaritanis Confirmationis adminiſtrandæ facultatem; unde judicavit neceſſe non eſſe, ut juberet eos iterum confirmari. Reipſa quidem facultatem hanc revocaverat ipſemet Gregorius: at re maturius expenſa, brevi, anno nempe ſequenti eam reſtituit, non improbatis iis, quæ ab illis Presbyteris geſta fuerant.

Ad ſecundum: inſtitutionem quidem Chriſti non opponit Gregorius, at nec etiam negat; imo hunc Eccleſiæ ſuæ uſum, quem objicit, ſupponit haud dubie in ea divina Chriſti inſtitutione ſubnixum eſſe.

III. Vel Græci non habent verum Confirmationis Sacramentum, quod plane abſurdum & falſum eſſe demonſtrant Goarius, Arcudius, & alii; quia revera Latini, cum de unione reſtituenda quæſtio fuit, nuſquam ipſis objecere nullum eſſe apud illos Sacramentum Confirmationis: vel fatendum eſt poſſe ſimplices Sacerdotes, ex diſpenſatione Eccleſiæ, Sacramentum hoc adminiſtrare; certum enim eſt Græcos Presbyteros illud diſpenſare. Qui ergo paullo ante laudati fuere SS. Pontifices, improbaverunt quidem Græcorum abuſum, qui videbantur duce Photio ſibi arrogare ordinarium hujus Sacramenti adminiſtrandi jus & officium: at tandem, tacito ſaltem conſenſu & lapſu temporis, permiſerunt eos in antiquo ſuo uſu permanere. Rem ita explicat Goarius in ſuis notis ad Euchologium Græcorum. *Quæſtio eſt*, inquit, *ſolvenda, utrum ſolus Epiſcopus Sacramenti Confirmationis ſit miniſter? Satis ſit*, pergit ille, *nobis difficultatem abrumpere, & nodum præſcindere vel ictu levi. Cum puerorum & adultorum confuſa plebs, non amplius ſollemnibus Paſchatis, Pentecoſtes, & Theophaniorum feſtis ſacro Baptiſmatis fonte luſtraretur ab Epiſcopis, cum individua comes ex antiquo inſtituto chriſmatis conſignatio ſeu perfectio & manus ejus ultima haberetur, ne forſan pueri morte immatura prærepti, ſancti illius myſterii fierent exortes, ita conſentientibus primo totius Orientis Epiſcopis, Sacerdotes confirmandi officium vel arrogarunt, vel ſibi conceſſum ad hunc uſque diem retinuerunt.* Ita Goarius, qui in hanc rem laudat ibid. teſtimonium Gabrielis Philadelphienſis Epiſcopi. P. 367.

Et vero novimus ex Hiſtoria Concilii Florent. inter quæſtiones undecim, quæ Græcis poſt unionem a Latinis propoſitæ ſunt, iſtam fuiſſe: *Quare Pontifices non inungunt ſacro chriſmate, ſed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus ſit datum?* Cui quæſtioni Mytilinenſis Præſul Græcorum nomine ſatisfecit: ſic enim legimus poſt undecim illas quæſtiones, *Hæc a Latinis objecta Mytilinenſis Præſul legitime & canonice omnia diſſolvit, præterquam duo, ſcilicet ſeparationem matrimonii, & creationem Patriarchæ extra Conſtantinopolim.* Ignoramus quidem præciſe, quid ad propoſitam quæſtionem reſponderit dictus Præſul; ſed legitime & canonice ab illo ſolutam eſſe, generatim ſaltem diſcimus ex hiſtorica Concilii narratione. *Tom. 13. Conc. p. 523. D.*

Quin

Quin Gregorius Protosyncellus, qui adfuit Concilio Florent. tamquam Legatus Patriarchæ Alexandrini, & qui postea creatus est Patriarcha Constantinopolitanus, scribens adversus Epistolam Marci Ephesini testatur ritum Græcorum probatum fuisse a Patribus Concilii Florentini. Sic enim loquitur: *Verum Latini etiam nostros consignabant, & chrismatos appellabant. Sed hæc non fuisse ex æquo & bono facta constat ex eo, quod in nostra unione nihil habuerunt, quod nobis objicerent; sed cum essemus orthodoxi, habiti sumus ab orthodoxis orthodoxi.*

Ibid. p. 790. A.

Probatur denique ex multis SS. Pontificum Diplomatibus, in quibus confirmandi licentia simplicibus Presbyteris concessa est. Arcudius lib. 2. de Confirmatione c. 15. ait se accepisse a P. Fonseca Soc. Jesu, eum Diplomate Pontificio facultatem accepisse Christianis Brasilianis conferendi Sacramentum Confirmationis: idem pariter plurimis Franciscanis concessum fuisse testatur Vadingus in Annalibus Fratrum Minorum, affertque eam in rem diploma Joannis XXI. quod confirmatur Diplomate Nicolai IV. ad an. 1447. Diploma Eugenii IV. ad annum 1444. Diploma Leonis X. concessum duobus Confessariis Caroli V. Diploma Urbani V. quæ omnia authentico Diplomate confirmavit Adrianus VI. quod in Cœnobio Franciscanorum Hispali asservatur. Quamquam idem Adrianus in Scriptis suis Theologicis, antequam ad supremum Pontificatum assumeretur, docuisset, non posse simplices Presbyteros, etiam ex dispensatione, Sacramentum illud administrare. Vide Pallavicinum lib. 9. Hist. Conc. Trid. c. 7. n. 12.

ADDITIO.

(*)

Eamdem facultatem Abbati Montis Casini concessit Sixtus V. confirmavitque Benedictus XIII. in sua Constit. 8. post Concilium Romanum. *Recens pariter extat exemplum san. mem. Clementis XI. qui eodem ann. 1721. quo summum diem obiit, Patri Custodi terræ Sanctæ, Ordinis Minorum, permisit Confirmationis Sacramentum, Chrismate ab Episcopo confecto, conferre. Evectique ad Petri Cathedram, etiam nos potestatem fecimus Patri Custodi, & Guardiano Sancti Sepulcri D. N. Jesu Christi, Ordinis Minorum de Observantia, idem conferendi Sacramentum Confirmationis in locis Terræ Sanctæ, in quibus actu non degunt Episcopi Latini, & quoad fideles Græci ritus, ubi desit Episcopus Græcus Catholicus, qui in propria resideat Diœcesi, aut ubi istius ibidem residentis accesserit consensus, ut habetur* in nostra Constit. 10. *atque* in Constit. 87. §. 14. *nostri Bullar. tom. 1. pag. 28. & pag. 294.*

(*)

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Summos Pontifices, Nicolaum I. Innocentium III. Gregorium IX. Innocentium IV. Clementem VIII. qui omnes tamquam pravam & abusivam damnarunt consuetudinem Græcorum Presbyterorum, qui Sacramentum Confirmationis communiter apud suos administrant. Imo nullum ac irritum sic collatum censuit Sacramentum Nicolaus I. jussit.

juſſitque iterum confirmari eos, qui a Presbyteris Photianis confirmati jam fuerant: idem ut ſaltem ſub conditione fieret, juſſit Clemens VIII. verba Summorum illorum Pontificum paullo ante relata ſunt, ubi de ordinario Confirmationis miniſtro: ea conſule. Porro ſi poſſet ſimplex Presbyter ex delegatione ſaltem miniſtrare iſtud Sacramentum, ea non accedente, illicite quidem at valide ſaltem Sacramentum iſtud perficeret; quemadmodum valide Corpus Chriſti conſecrat Sacerdos, tametſi illicite, cum a functione ſui Ordinis ſuſpenſus eſt. Ergo non debuiſſet Nicolaus I. irritam declarare Confirmationem a Presbyteris Græcis collatam: eam autem declarando nullam, manifeſte ſignificat non poſſe ſimplices Presbyteros ad id munus ullo pacto deputari.

Reſp. His Summorum Pontificum Decretis, præſertim Nicolai I. directe, ac primario impeti errorem Photii, qui ut antea vidimus, contendebat nullo Scripturæ teſtimonio, nullave lege conſtare ſolos Epiſcopos ordinarios eſſe Confirmationis miniſtros; atque officium illud pari jure commune eſſe tum Epiſcopis, tum Presbyteris: quo errore ſuppoſito, nullaque præeunte publica Eccleſiæ diſpenſatione, merito Nicolaus I. judicavit nullam eſſe Confirmationem, quam Græci Presbyteri tamquam proprio & ordinario jure diſpenſabant; maxime in ea regione, in qua nihil auctoritatis, ac juriſdictionis habebant Græci. Nec urget, quod addit objectio: licet enim inchoatam & incompletam poteſtatem habeat ſimplex Presbyter, ut aptus & capax eſſe poſſit Confirmationis miniſter; ligata nihilominus illa eſt, nec libera, plena, & completa, donec accedat legitima diſpenſatio. Si quæras unde iſtud? reſpondeo, ex inſtitutione Chriſti, quam ex Traditione, ac uſu Eccleſiæ certam & exploratam habemus. Exemplum autem Euchariſtiæ hic aptum non videtur: habet quippe Sacerdos, vi ſuæ Ordinationis, plenam & completam poteſtatem, ut valide Corpus Chriſti perficiat; quamquam illicite, ſi ſpretis Eccleſiæ legibus, ac cenſuris, vel cum alicujus alterius peccati mortalis conſcientia, illud miniſterium exercuerit.

Ad Innocentium vero III. dico 1. eum Latinis dumtaxat Presbyteris, qui Conſtantinopoli tunc verſabantur, ac Græcorum ſequebantur conſuetudinem, interdicere ne confirment, non vero Græcis. Patet iſtud ex verbis Innocentii III. in Epiſtola ad Lucium Legatum ſuum, qualem habemus in Editione Baluſiana. *Dilectioni tuæ mandamus*, inquit, *quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis diſtricte prohibeas, ne talia de cetero ſua temeritate præſumant &c.* Et vero Latinis diſpenſatum non fuerat, ac Eccleſiæ ſuæ Latinæ ritum obſervare illi tenebantur. Dico 2. Pontifices Innocentio II. poſteriores, qui uſum Græcorum improbarunt, aut non ſatis attendiſſe, aut forſan ignoraſſe diſpenſationem conceſsam ipſis fuiſſe a Gregorio Magno, ut Confirmationem tamquam extraordinarii miniſtri diſpenſarent. Clemens vero VIII. dubitans an Græci, qui in quibuſdam Italiæ partibus verſabantur, legitimam, ac ſufficientem diſpenſationem & licentiam percepiſſent, ſub conditione jubet eos iterum confirmari, qui confirmati ab illis fuerant.

T. 1. p. 480. col. 1.

Objicies 2. Poteſtas confirmandi Epiſcopo convenit, vel ratione Ordinis, vel ratione Juriſdictionis, vel utriuſque ſimul. Si ratione Ordinis, nulli alteri quam Epiſcopo concedi valide poteſt; ſicut concedi non po-

potest Diacono, v. gr. potestas consecrandi Eucharistiam, & absolvendi a peccatis. Quare? quia quæ sunt essentialiter annexa Ordini alicui, non possunt nisi iis concedi, qui eo Ordine seu charactere instructi sunt. Si ratione Jurisdictionis, sequitur 1. Episcopum electum & non consecratum, posse Sacramentum Confirmationis administrare, quia ipse Ordinem habet Presbyteralem, & jurisdictionem Episcopalem. 2. invalidam fore Confirmationem, quam Episcopus extraneis, in quos nullam habet jurisdictionem, conferret. 3. posse Episcopum in sua Diœcesi, virtute jurisdictionis qua fruitur, licentiam confirmandi concedere, non tantum Presbyteris, sed etiam Diaconis, Subdiaconis, Clericis, in quos jurisdictionem suam exercere potest. Atqui hæc omnia falsa & absurda sunt. Si ratione utriusque, tum Ordinis, tum Jurisdictionis, utriusque mox exposita incommoda recurrunt.

Idem plane objici potest, ut efficias non posse simplicem Sacerdotem, etiam ex dispensatione, valide Sacramentum istud administrare. Namque vel illa potestas valide confirmandi essentialiter pendet a charactere sacerdotali, vel non pendet. Si prius: ergo etiam sine dispensatione valide confirmaret simplex Sacerdos, quamquam non licite: quemadmodum valide Eucharistiam perficit, quamquam illicite, Sacerdos suspensus & excommunicatus. Si posterius: ergo Diacono & Subdiacono concedi similiter poterit licentia valide confirmandi. En angustiæ & incommoda sententiæ, quam propugnamus.

Resp. Miram esse nostrorum Scholasticorum in eo dissolvendo nodo industriam & fecunditatem. Verum iis omnibus tricis & argutiis hic prætermissis, uno verbo sic dissolvi objectio potest, nempe ex institutione Christi habere Episcopum ut sit ordinarius; simplicem vero Presbyterum, ut esse possit extraordinarius Confirmationis minister. Hærere hic merito possemus; neque enim in factis hujusmodi alia quærenda ratio, quam Christi voluntas nobis per Ecclesiam declarata.

Si tamen pro more Scholæ aliquid amplius volueris,

Dicam 1. Esse in Episcopo ratione Ordinis, ordinariam, plenam, & completam facultatem administrandi jure ordinario Sacramentum Confirmationis: unde sequitur eam validam non esse ab Episcopo electo, & non consecrato; econtra validam esse datam ab eodem extraneis, in quos nullam habet jurisdictionem. An vero possit Episcopus in sua Diœcesi cum Presbyteris, vel Diaconis aut Subdiaconis dispensare ut confirment, dubitare nonnulli videntur: quia, inquiunt, id potest sua in Diœcesi Episcopus, quod potest Summus Pontifex in tota Ecclesia, nisi obstet lex aut reservatio contraria. Verum longe verisimilior est aliorum negans opinio, propter hanc ipsam contrariam legem, ac reservationem: quia nempe usus, ac consuetudo Ecclesiæ non Episcopis privatis, sed solis Summis Pontificibus jus reservat dispensandi cum simplicibus Presbyteris, ut confirment, quando gravis aliqua ratio & urgens necessitas postulat.

Dicam 2. Simplicem Presbyterum, ratione sui Ordinis, habere quidem radicalem, inchoatam, & incompletam potestatem confirmandi, sed ligatam & impeditam, quæ nonnisi per legitimam dispensationem libera, completa, & expedita evadere potest: eo fere modo quo licet

Sa-

Sacerdos in Ordinatione sua recipiat potestatem absolvendi a peccatis, ea tamen uti valide non potest, nisi accedente jurisdictione, quam ipsi Episcopus concedit. Frustra objicitur, Sacerdotem vi suæ Ordinationis posse valide consecrare Eucharistiam, licet per suspensionem vel excommunicationem prohibeatur. Namque, ut jam dictum est in responsione ad primam objectionem, Sacerdos ille vi suæ Ordinationis, plenam, ac completam habet potestatem valide perficiendi Eucharistiam; non vero plenam & completam, ut valide confirmet independenter a licentia seu legitima dispensatione.

Non pigebit hic exscribere responsionem Bellarmini ad propositam difficultatem, unde Conclusio nostra lucis plurimum mutuabitur. Lib. 2. de Confirm. c. 12. sic ait: *Respondeo, confirmare esse actum Ordinis, & eum Ordinem esse etiam in Presbytero, saltem inchoatum & imperfectum. Observandum est enim, characterem Episcopalem, sive sit alius a Presbyterali, sive idem extensior & major, esse potestatem absolutam, & perfectam, & independentem conferendi Sacramenti Confirmationis & Ordinis, & ideo non solum posse Episcopum sine alia dispensatione confirmare & ordinare, sed etiam non posse impediri ab ulla superiori potestate, quin revera Sacramenta ista conferat, si velit, licet peccet, si id faciat, prohibente Summo Pontifice: characterem autem Presbyteralem esse quidem potestatem absolutam, perfectam, & independentem, quoad Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ; esse autem potestatem inchoatam, imperfectam & dependentem a voluntate Superioris, quoad Sacramentum Confirmationis. Quocirca nisi perficiatur per dispensationem Superioris ea potestas, Presbyter confirmando nihil ageret: at si perficiatur, jam ex ipso suo charactere confirmabit: id quod minus mirum videbitur, si cogitemus characterem non esse physicam aliquam potentiam, quæ physice aliquid operetur, (tunc enim difficile esset intelligere quomodo posset perfici per dispensationem Pontificiam) sed esse signum divini cujusdam pacti, quo Deus concurrit ad effectum Sacramentalem producendum cum eo qui habet characterem, & non cum aliis: facile enim est intelligere, unum characterem esse signum pacti absoluti, alium autem esse signum pacti conditionati.* Hactenus Bellarminus. T. 3. p. 148. G.

Objicies 3. Non potest Summus Pontifex, imo nec Ecclesia universa, conferre Diaconis licentiam consecrandi Eucharistiam, & absolvendi a peccatis; ergo nec simplici Presbytero potestatem administrandi Confirmationem.

Resp. nego paritatem. Disparitas est, quia potestas consecrandi Eucharistiam & absolvendi a peccatis, essentialiter pendet a charactere sacerdotali; quapropter Diaconis communicari illa non potest, in quibus ne inchoata quidem & incompleta inest ad hæc sacerdotalia munia valide obeunda potestas: econtra vero habent simplices Sacerdotes, ratione sui Ordinis, inchoatam saltem & incompletam facultatem administrandæ Confirmationis, quæ, accedente legitima dispensatione, perficitur & completur.

AD-

ADDITIO.

(*)

„ AT poteſtne Epiſcopus ſimplicem Sacerdotem delegare ad Confir-
„ mationis Sacramentum adminiſtrandum?
„ Cardinalis Pallavicinus *hiſt. Conc. Trid. lib. 9. c. 7. nu. 16.* Chriſtia-
„ nus Lupus *in notis ad Canones octavæ Synodi cap. 5. tom. 2. pag. 1423.*
„ *& ſeq.* Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 1. lib. 2. cap. 23.*
„ *num. 6.* Franciſcus Farvacquius *de Sacram. Confirm. cap. 3. qu. 4. & 5.*
„ Van-Eſpen *Jur. Eccleſiaſt. par. 2. tit. 3. cap. 2. nu. 5. & ſeq.* Juenin *cit.*
„ *diſſert. 3. quæſt. 5. cap. 2. art. 1. §. 3. in fin.* Petrus Couſtant. *in Epiſt.*
„ *Roman. Pontif. tom. 1. col.* 857. aliique recentiores opinantur, ſola in-
„ ſpecta inſtitutione divina, & ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, poſſe E-
„ piſcopum ſimplici Sacerdoti committere, ut Chriſmate a ſe confecto
„ fideles conſignet, ne ſecus degentes in locis, ad quæ ipſe accurere
„ nequit, Sacramento Confirmationis perpetuo careant. Nec vero pau-
„ ca, nec levia ſunt rationum momenta, quibus hæc opinio innititur.
„ Nam, ceteris prætermiſſis, quæ videri poſſunt apud laudatum Lu-
„ pum, Concilium Toletanum I. celebratum anno 400. cui Patres un-
„ deviginti ſubſcripſere, *can.* 20. Collectionis Harduini *tom. 1. col. 989.*
„ ita ſtatuit: *Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo Chriſma*
„ *nemo conficiat; tamen, quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri di-*
„ *cuntur Chriſma conficere, placuit ex hac die, nullum alium, niſi Epiſcopum*
„ *Chriſma facere, & per diœceſim deſtinare . . . . Statutum eſt, Diaconum*
„ *non Chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo; præſente vero, ſi ab ipſo*
„ *fuerit præceptum.* Toletano concinunt Concilium Arauſicanum I. anni
„ 441. & Epaonenſe anni 517. *tom. 1.* Collectionis Harduini *col. 1783.*
„ *& tom. 2. col. 1049.* quorum primum *can. 1.* ait: *Hæreticos in mortis*
„ *diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, a Presby-*
„ *teris cum Chriſmate & benedictione conſignari placuit*: alterum autem *can.*
„ 16. inquit: *Presbyteros, propter ſalutem animarum, quam in cunctis optа-*
„ *mus, deſperatis, & decumbentibus hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant,*
„ *Chriſmate permittimus ſubvenire. Quod omnes converſuri, ſi ſani ſunt, ab*
„ *Epiſcopo noverint expetendum.* Ad hæc, Martinus Archiepiſcopus Bra-
„ carenſis *in ſua Canonum Collect. cap. 51.* non de hac, aut illa regione,
„ ſed veluti de conſuetudine, ubique recepta, ait: *Presbyter, præſente*
„ *Epiſcopo, non ſignat infantes, niſi forte illi ab Epiſcopo fuerit præceptum.*
„ Sed licet hæc momentoſa ſint, non tamen leviora ſunt, quæ in
„ contrarium proferuntur. Etenim Innocentius I. qui ſtatim poſt alle-
„ gatam Synodum Toletanam, hoc eſt anno 402. fuit Pontifex renun-
„ ciatus, *cit. Epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum*, ex actis Apo-
„ ſtolorum colligi aſſeruit, ſolius Epiſcopi eſſe, baptizatorum fron-
„ tem inungere, eaque unctione *Spiritum Paracletum tradere*. Non po-
„ tuiſſet autem Pontifex, ſine ulla hæſitatione, hæc affirmare, ſi eadem
„ ætate viguiſſet alicubi conſuetudo, ut baptizati infantes a ſimplici
„ Presbytero confirmarentur: quare, etſi Thomaſſinus dixerit, ſe non
„ videre, nec ſuſpicari poſſe, quidnam aliud, quam Sacramentum Con-

„ fir-

„ firmationis, Patres Toletani simplici Sacerdoti permiserint; attamen „ alii ex hac ipsa Innocentii I. Decretali manifeste confici arbitrantur, „ eos de sola loquutos unctione, fieri solita post Baptismum ex mera „ cæremonia, a qua facienda jusserunt Presbyterum abstinere, si Episco- „ pus astaret? Ita Toletanum canonem interpretantur Binius *in notis ad* „ *eumdem*, apud Cardinalem de Aguirre *tom. 2. Concilior. Hispaniæ pag.* „ 148. inquiens: *Hæc verba Canonis intelligenda sunt, non de Sacramentali* „ *unctione Chrismatis in fronte, sed de unctione cæremoniali, quæ in sollemni* „ *Baptismo in vertice baptizandi adhibetur. Hanc cæremonialem unctionem,* „ *olim Presbyteris interdictam, nonnisi cum licentia Episcopi ab iisdem usur-* „ *patam fuisse . . . recensuimus.* Hanc vero fuisse mentem præfati Con- „ cilii Toletani, suadent etiam acta Concilii Hispalensis II. habiti anno „ 619. adversum Agapium, Cordubensem quondam Episcopum, cui „ inter cetera, crimini datum est, quod meris Sacerdotibus potestatem „ delegasset *conficiendi Chrisma, & Chrismate Baptizatorum frontem signan-* „ *di. Hæc enim omnia* (dixerunt Hispalenses Patres *cap. 7.*) *illicita esse* „ *Presbyteris, vel Chorepiscopis, quia Pontificatus apicem non habent, quem* „ *solis deberi Episcopis, auctoritate canonum præcipitur: tom. 3.* Collectionis „ Harduini *col.* 560. Minime autem reprehendendus fuisset Agapius, „ si rem gessisset a Patribus Toletanis Episcoporum arbitrio permissam. „ Minus porro hujus sententiæ patroni se urgeri opinantur ab allega- „ tis Arausicani, & Epaonensis Conciliorum locis: incertum quippe „ esse ajunt, num in illis sermo sit de Confirmatione, an potius de „ unctione, per quam hæretici ad Ecclesiam redeuntes, ritu valde affini „ ritui Confirmationis, olim recipiebantur; & verosimilius credunt, ad „ hanc solam illa referri; ea siquidem tempestate, qua Confirmatio sta- „ tim post Baptismum conferebatur, vix evenire poterat, ut hæretici „ in Ecclesiæ Catholicæ gremium se recipi exoptantes, nondum essent „ confirmati, ac propterea in mortis articulo sacro Chrismate signandi „ forent. Ad hæc Theodulfus Aurelianensis Episcopus, cui certe Cano- „ nes Conciliorum Galliæ ignoti non erant, *lib. de ordine Baptismi cap.* „ 17. *tom. 14. Biblioth. Patr. pag.* 13. absolute ait: *Quod ergo Presbyteris* „ *baptizatos Chrismate ungere licet, Spiritum vero Sanctum per manus impo-* „ *sitionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est tradi-* „ *tus.* Nulla autem ratione potuisset Theodulfus id ab Apostolis tradi- „ tum asserere, si oppositum sciviset Galliæ moribus olim usitatum.

„ Ita ratiocinantur Doctores, jus, de quo agimus, uni vindicantes „ Romano Pontifici, quorum longum catalogum contexuit Verricellus „ *de Apostol. Mission. quæst.* 130. *& duabus seq.* eorumque agmen ducit D. „ Thom. *3. par. qu. 72. art. 12. Ad primum*, ubi hæc habet: *Dicendum* „ *quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam,* „ *quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut qui-* „ *busdam Presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad pote-* „ *statem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius* „ *Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scan-* „ *dalum tolleretur.*

„ Ceterum quidquid sit de hac difficili, & valde implexa contover- „ sia, omnibus in confesso est, irritam nunc fore Confirmationem a

„ sim-

„ simplici Presbytero Latino, ex sola Episcopi delegatione, collatam, „ quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit; quam quidem „ reservationem non tantum a consuetudine in tota Ecclesia Latina „ jamdiu recepta tacite inductam arbitramur, sicuti opinantur Juenin „ *cit. Loco*, & Tournely *de Sacram. Confirmat. qu. 3. art. 2.* Sed jam ante „ IX. sæculi finem expresse factam colligimus *ex epist. 70.* Nicolai I. ad „ Hincmarum, & ceteros Archiepiscopos, atque Episcopos, in regno „ Caroli constitutos, in qua legitur, Græcorum Imperatores, eosque, „ qui illis parebant, calumniari Sanctam Romanam Ecclesiam, imo „ omnem Ecclesiam, quæ latina utitur lingua, *quia Presbyteros sortiri „ conjuges prohibemus, & quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, tom. 5.* Collectionis Harduini col. 309. Posita autem reservatione facultatis, de qua est sermo, a Summo Pontifice sibi facta, nec licite, nec valide potest Episcopus Latinus illa „ uti: nam, quamvis confirmare sit actus ordinis Episcopalis, cujus firmitas, & validitas a Pontificis nutu non pendet, delegare tamen „ simplici Presbytero potestatem exercendi ejusmodi actum, potius ad „ jurisdictionem, quam ad ordinem, pertinet; Episcoporum vero jurisdictio, sive sit immediate a Christo Domino, sive a Summo Pontifice, ita semper huic subest, ut consentientibus omnibus Catholicis, „ ejusdem auctoritate, & imperio limitari, atque ex legitima causa „ omnino auferri possit. Illud etiam ad rem facit, quod modo audivimus a D. Thoma, nempe delegationem, de qua est sermo, esse „ actum potestatis, & jurisdictionis supremæ, a Christo Domino soli „ suo in terris Vicario commissæ.

„ Quamobrem Clemens VI. priusquam ad Catholicam communionem „ reciperet Consolatorem Armenorum Patriarcham, certior fieri voluit, „ an cum Ecclesia Romana sentiret etiam in hisce articulis, expressis „ in Apostolicis litteris ad eumdem Patriarcham datis, quæ habentur „ apud Raynaldum *ad ann. 1351. num. 12.* nimirum: *Primo de Consecratione Chrismatis, si credis, quod per nullum Sacerdotem, qui non est Episcopus, Chrisma potest rite, & debite consecrari. Secundo, si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium, quam per Episcopum non potest ex officio ordinarie ministrari. Tertio si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi. Quarto si credis, quod Chrismati per quoscumque Sacerdotes, qui non sunt Episcopi, neque a Romano Pontifice super hoc commissionem, seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum, vel Episcopos sint Chrismandi.* Quæ verba perpendant, oportet, „ qui potestatem, de qua diserimus, Episcopis attribuunt. Hæc ex Benedicto XIV. de Synod. diœcesi. l. 7. c. 8.

(*)

ARTICULUS III.

De subjecto Sacramenti Confirmationis.

QUæres 1. quodnam sit idoneum hujus Sacramenti subjectum. Resp. Esse omnem hominem baptizatum. Tum quia Ecclesia Latina

tina per duodecim sæcula etiam infantibus Confirmationem administravit simul cum Bapiismo; qui mos adhuc apud Græcos observatur. Ratio est, quia, inquit S. Th. hic art. 8. ad 2. *etiam in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis; & inde est*, inquit, *quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo*. Tum quia Baptismus aditum aperit ad omnia Christi Sacramenta.

Quæres 2. an fuerit aliquando baptizatis denegata Confirmatio.

Resp. affirmative; sic enim colligitur ex can. 39. Concilii Eliberitani. *Gentiles*, inquit, *si infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manus imponi, & fieri Christianos*. Ergo si non fuisset eorum vita omni ex parte probata, denegata ipsis fuisset Confirmatio, quæ ibi designatur per manus impositionem, ait doctissimus & Illustrissimus Albaspinæus. *Tom. 1. Conc. p. 975. A.*

Quæres 3. Qua ætate percipi debeat Sacramentum Confirmationis.

Resp. Si spectetur institutio Christi, omnem ætatem huic Sacramento idoneam esse, si vero jus attendatur Ecclesiasticum, varia fuit disciplina. Olim, ut mox dictum est, infantibus simul cum Baptismo dabatur: nunc variis Conciliorum canonibus statutum est, ut pueris, postquam discretionis annos attigerint, ideest, pro septimum ætatis annum, administretur. Ita Synodus Lingonensis an. 1404. Senonensis 1524. Parisiensis 1557. Conventus Melodunensis an. 1599. Bituricensis an. 1584. Aquensis an. 1585. Mediolanensis I. sub S. Carolo an. 1565. Sunt tamen, qui ad duodecimum usque ætatis annum expectandum esse volunt; cujus utriusque disciplinæ meminit Catechismus Romanus par. 2. de Sacramento Confirmationis n. 15. qua in re quisque Ecclesiæ in qua vivit, usum & morem sequi debet, juxta istud S. Ambrosii, quod S. Aug. oraculi loco habuit, *Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*. Unde ipse S. Aug. Epist. 54. alias 118. ad Januarium. *Quod*, inquit, *neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & propter eorum, inter quos vivitur societatem, servandum est*. *T. 2. p. 124. D.*

Quæres 4. an nusquam licitum sit prævenire septimum ætatis annum.

Resp. Maxime licere & expedire, quando urget mortis periculum. Ita S. Th. 3. par. q. 72. art. 8. ad 4. quam doctrinam hausit in Concilio Parisiensi VI. in cujus lib. 1. c. 33. dicitur: *Sicut a duobus temporibus, Pascha videlicet & Pentecoste, Baptismus; ita etiam Spiritus sanctus per impositionem manus Fidelibus tradatur, exceptis infirmis, & morte periclitantibus*. Ita quoque Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis par. 7. c. 3. *Tom. 7. Conc. p. 1612. A.*

Quæres 5. Quæ requirantur dispositiones ad percipiendum Sacramentum Confirmationis.

Resp. Aliquas requiri ex parte corporis & animæ.

I. Ex parte corporis. Duodecim prioribus Ecclesiæ sæculis Sacramentum hoc nonnisi jejunis dabatur; sæculo undecimo Gratianus *De Consecratione* dist. 5. & duodecimo Magister Sententiarum mentionem faciunt istius consuetudinis. Post duodecimum sæculum etiam non jejunis data est Confirmatio, ut testatur S. Thom. part. 3. quæst. 73. art. 12. ad 2. Laudabilis tamen est ea consuetudo, & quantum fieri potest, observanda, ut si Confirmatio mane

administretur, & a jejunis detur, & a jejunis percipiatur. Ita Catechismus Romanus. 2. Requiritur ut frontem apertam & nitidam habeant, qui confirmandi sunt. Ita Concilium Aquense an. 1575. ut quisque vittam seu fasciolam linteam habeat, qua frons sacro chrismate illita, contegatur. Hanc tegendæ confirmatorum frontis consuetudinem perantiquam esse testantur Ordo Romanus, & Amalarius lib. de divinis Officiis. 3. Requiritur ut mares, tam ii, qui confirmandi sunt, quam qui confirmandis patrini dantur, veste simplici, & ad modestiam composita accedant: ita feminæ sint sine fuco & pigmento, non immoderato capitis corporisve ornatu decoratæ.

II. Ex parte animæ, requiritur 1. ut confiteantur sacramentaliter, si gravium peccatorum conscii sunt. Ita statuit Concilium Aurelianense, quod laudat Gratianus *De Consecratione* dist. 5. & Concilium Rothomagense an. 1581. & Burdigalense an. 1583. Requiritur 2. ut bonis operibus, ac pietatis officiis, præsertim oratione & secessu, ad recipiendum Spiritum sanctum sese disponant: & Apostolos imitentur, de quibus dicitur; *Erant permanentes in oratione.*

Act. 1. v. 14.

QUÆSTIO QUARTA.

De effectibus Sacramenti Confirmationis.

DUplex distinguitur hujus Sacramenti effectus; gratia nempe roborans & confortans, ac character. De utroque hic differendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De gratia, quæ per Sacramentum Confirmationis confertur.

CAtholicorum communis ac trita sententia est, per Sacramentum Confirmationis gratiam sanctificantem conferri, quæ dicitur gratia perficiens, roborans, & confortans ad fidem intrepide profitendam, & superandas omnes, quæ contra illam insurgunt, dæmonis, ac mundi tentationes.

Doctrinam hanc irrident Novatores Lutherani, & Calvinistæ, ac contendunt 1. Apostolos per manus impositionem contulisse dumtaxat gratias gratis datas seu chrismata Spiritus sancti, non gratiam ipsam sanctificantem. 2. Post tempora Apostolorum, quibus necessaria non fuerunt amplius ea conspicua dona *ad fidem confirmandam, & primordia Ecclesiæ dilatanda*, Confirmationem nihil fuisse aliud quam Catechesim, in qua Christiani fidei suæ rationem coram Ecclesia reddebant. 3. denique Confirmationem nostram meram jam esse, eamque plane otiosam, omnisque effectus spiritualis expertem cæremoniam, imo Baptismo injuriosam, & contumelioſam, quæ illius virtuti detrahit, quasi gratia baptismalis ex se perfecta non foret, atque per nostram Confirmationem perfici ac consummari deberet, ut homo baptizatus fidei defendendæ ac profitendæ idoneus esse possit: *Dicunt isti Unctores*, ait inverecunde Calvinus lib. 4. Inst. c. 19. n. 8. *Spiritum sanctum in Baptismo ad innocentiam dari; in Confirmatione, ad gratiæ augmentum. In Baptismo nos regenerari ad vitam; in Confirmationem nos ad pugnam instrui; & ideo nihil eos pudet, ut negent Baptismum rite sine Confirmatione perfici posse ... Hæc Satanæ doctrina est, quæ promissiones*

P. 538.

Ba-

Baptismi proprias a Baptismo abscissas alio derivat & transfert. Verum more suo nos proterve calumniatur Hæresiarcha. Neque enim dicimus: *Baptismum rite sine Confirmatione perfici non posse*; sed hoc unum, per Confirmationem novam gratiam, aut novum gratiæ gradum ad robur & firmitatem fide baptizatis accedere: habet enim quodlibet Sacramentum suam propriam gratiam, quæ sacramentalis dicitur, ad proprium suum effectum destinatam: *Per Baptismum*, ait Eugenius S. Pontifex in Decreto *spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur &c.* T. 13. Conc. p. 534. E.

Inde nata inter Theologos controversia, quid sit gratia illa sacramentalis: an essentialiter distincta a gratia sanctificante habituali, quæ per Sacramentum confertur; an tantum jus addat ad obtinenda, cum opus est, auxilia gratiæ necessaria ad proprios uniuscujusque Sacramenti effectus consequendos; an novus dumtaxat ejusdem gratiæ gradus, novaque intensio seu perfectio, de qua quæstione diximus, ubi de Sacramentis in genere, ad Quæstionem quartam p. 225. & seq. Eadem hic recurrit quæstio circa gratiam Confirmationis, an essentia differat a baptismali, an tantum gradu. S. Th. 3. p. q. 72. art. 7. ad 3. quæstionem solvit his verbis: *Dicendum quod gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam, aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc Scramento collata, quantum ad id, quod est commune, sic per hoc Sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quam per Baptismum, sed quæ prius inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale quod superadditur, sic non est ejusdem speciei cum ipsa.* Idem S. Doct. eadem p. q. 62. ar. 2. tria distinguit in effectibus Sacramentorum; gratiam sanctificantem, virtutes & dona; & gratiam sacramentalem, seu quoddam divinum auxilium ad finem Sacramenti consequendum: *Et sicut*, inquit, *ab essentia animæ fluunt ejus potentiæ, ita a gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus.* Si fides intellectum perficit ad credendum, charitas voluntatem ad amandum &c.

Rursus observa, gratiam, quæ per Sacramenta confertur, vel primam esse, quæ justificat; vel secundam, quæ adeptam justitiam auget, ac perficit. His præmissis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Sacramentum Confirmationis confert sanctificantem gratiam, non quidem primam, saltem per se, sed secundam.

Probatur prima pars. Quia istud omnibus Sacramentis commune est, ut sanctificantem conferant gratiam iis omnibus, qui eo, quo par est, pietatis ac religionis sensu ea percipiunt. Vide, quæ eam in rem diximus, ubi de Sacramentis in genere.

Secunda pars non minus certa & evidens est. Quia Confirmatio ex se instituta non est ad remissionem culpæ, sed ad augmentum & firmitatem justitiæ; neque est, ut ajunt, Sacramentum mortuorum, sed Sacramentum viventium.

Unde concludit S. Th. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. illam dandam non esse iis, qui non habent gratiam, sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam.

SECUNDA CONCLUSIO.

Gratia propria Sacramenti Confirmationis, est gratia roboris ac virtutis ad fidem intrepide ac fortiter propugnandam, & superandas, quæ adversus eam insurgunt, dæmonis, ac mundi tentationes.

Communis est ista Traditionis Ecclesiæ doctrina; quæ ad nos usque serie non interrupta defluxit: unde a Scriptoribus Ecclesiasticis dicitur gratia roboris, virtutis, perfectionis, consummationis, seu augmenti spiritualis: ad discrimen gratiæ baptismalis, quæ est spiritualis infantiæ, propria scilicet infantium, de quibus S. Petrus Epistolæ primæ c. 2. v. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Ex ipso nomine* (Confirmationis) *apparet*, ait S. Th. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. *hoc Sacramentum dari ad confirmandum, quod prius invenerit.* Ita Veteres.

T. 1. p. Con. 975. & 978. Patres Concilii Eliberitani Can. 38. & 77. gratiam hanc *perficientem* appellant, non quod perfecta sit, aut quidquam desit illi, quæ in Baptismo datur; absit hunc esse Catholicorum sensum: sed quod novus gratiæ gradus accedit homini baptizato, ad robur, & firmitatem justitiæ jam adeptæ, asserit S.

T. 2. p. 363. E. Ambr. lib. 3. de Sacramentis c. 2. *Post fontem*, inquit, *superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.*

S. Cypr. gratiam *consummantem* appellat, Epist. 73. *Ut*, inquit, *per*

P. 124. *nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.*

Tertull. gratiam munientem lib. de Resurrectione Carnis cap. 8. *Caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut & anima muniatur.* Et lib. de

P. 330. B. Præscriptionibus cap. 26. loquens de Romana Ecclesia: *Fideles*, inquit, *aqua signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit.*

P. 215. B. Alii vulgo gratiam roborantem ac confortantem dicunt. Ita in primis:

S. Cyrill. Jerof. Catech. 3. mystagogica: *Ut enim Salvator*, inquit, *post*

P. 235. C. *Baptismum, & Spiritus sancti adventum egressus in prælium, devicit adversarium; sic & vos post sacrum Baptisma, & chrisma mysticum, induti armis Spiritus sancti adversus oppositam vobis potestatem præliamini, dicentes: Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo. Hujus sancti Chrismatis dono accepto, merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione; ante enim quam hæc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.*

Eucherius Lugdunensis Hom. de Pentecoste: *Forte*, inquit, *cogitat sibi ali-*

Bibl. PP. T. 6. p. 649. G. *quis: Quid mihi prodest post mysterium Baptismatis, ministerium confirmantis? Attendat charitas vestra... Sic enim exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum. Ita in baptizato benedictio illa, munitio est...* Et postea: *Ergo Spiritus S. qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstet ad gratiam; & quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Ac*

sic

sic continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. cum Kemnitio in examine Conc. Trid. Gratia quam Sacramento Confirmationis tribuimus, injuriam & contumeliam infert gratiæ baptismali, quasi vires ista non præberet pares, & idoneas ad fidem intrepide propugnandam adversus omnes demonis, ac tyrannorum insultus; quasi sine Confirmatione rite perfici Baptismus non posset. Ad quid enim tot interrogationes quibus baptizandus pulsatur, an credat in Deum Patrem &c. an renunciet diabolo, & pompis ejus, nisi supponeretur conferri per Baptismum Spiritum sanctum ad pugnam cum diabolo?

Resp. nego ant. Cujus probatio mera est Kemnitii ignorantia vel malitia. Nemo quippe nostrum negavit unquam, in Baptismo gratiam dari ad fidem propugnandam; nemo dixit unquam, Baptismum sine Confirmatione rite non perfici, quasi aut nullus foret, aut ipsi ad proprium effectum assequendum quidquam deesset: sed contendimus gratiæ baptismali novam & uberiorem addi per Sacramentum Confirmationis, per quam recto sensu gratia baptismalis perfici ac compleri dici potest. Nonne ipsimet Lutherani, & Calviniste ista duo simul fatentur, & Baptismi gratiam per Eucharistiam augeri & perfici, & Baptismum sine Eucharistia rite perfici? Cur igitur ægre ferunt nos idem de Confirmatione affirmare?

At, inquies, ita confunditur utriusque Sacramenti effectus. Minime: effectus quippe proprius Baptismi, est gratia regenerans; Confirmationis, roborans & confortans; sicut Eucharistiæ, nutriens. Gratia baptismalis est, sine qua nemo salvus esse potest; non ita gratia Confirmationis, quæ tantum integrans est: illa est gratia infantiæ spiritualis: *Quasi modo geniti infantes*, hæc quasi virilis ætatis: *Sicut Baptismus*, ait S. Th. 3. p. q. 72. art. 5. in corp. *est quædam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam Confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem ætatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati; & alia actio, quæ competit ei, cum ad perfectam ætatem pervenerit &c.* Et in resp. ad 1. *Pugna spiritualis*, ait, *contra hostes invisibiles, omnibus competit: sed contra hostes visibiles, idest contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum, qui jam sunt perfecti spiritualiter ad virilem ætatem, secundum quod dicitur primæ Joan. 2. Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum. Et ideo character Confirmationis est signum distinctivum, non Infidelium a Fidelibus; sed spiritualiter provectorum, ab his, quibus dicitur: Sicut modo geniti infantes.*

Objic. 2. Cum Calvino lib. 4. Inst. c. 19. nu. 8. ea Scripturæ testimonia, quæ Baptismo vim efficacem ad justitiam, & pugnam contra fidei hostes tribuunt. Rom. 6. v. 4. ubi asseritur, eos omnes *qui baptizati sunt in Christo Jesu, in morte ipsius baptizatos esse & consepultos cum illo per Baptismum, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Quid est instrui ad pugnam, ait, Calvinus, nisi hoc? Gal. 3. v. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; utique cum suis donis, inquit Calvinus. Addit & hunc canonem Milevitanum:

Qui dicit Baptismum in remissionem peccatorum dari tantum, & non ad adjutorium futuræ gratiæ, anathema sit.

Resp. Calvinum aera verberare. Quis enim nostrum hæc negat? nemo certe. An gratia Baptismi excludit gratiam Confirmationis? An si hæc alteram perficit, idcirco injuriosa ipsi dicenda? Nonne, ut jam observatum est, agnoscunt Calvinistæ gratiam Baptismi per Eucharisticam alimoniam quodammodo compleri ac perfici? An idcirco virtuti & efficaciæ Baptismi detrahitur? neutiquam. Ergo nec gratia, quæ Confirmationis propria est, quidquam detrahit, imo potius auget gratiam Baptismatis. Canon Milevitanus hic certe ad rem non est; oppugnat enim eos, qui omnem Baptismi virtutem in sola peccatorum remissione collocabant, exclusis interioris gratiæ auxiliis. An ita Catholici? absit.

Objicies 3. cum Dallæo lib. 1. de Confirmatione c. 2. S. Cyprianum, qui vim efficacem ad pugnandum contra hostes fidei, Eucharistiæ tribuit, non Confirmationi, Epist. 54. ad Cornelium: *Quomodo docemus*, P. 76. inquit, *aut provocamus eos in confessione nominis Christi sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus? ... Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Eu-* P. 77. *charistia erigit, & accendit.*

Resp. 1. Neminem ex nostris usquam dubitasse, quin digna Eucharistiæ perceptio vires & robur adderet baptizato, & confirmato, ad fidem coram tyrannis generoso ac intrepido animo profitendam; atque distorte admodum inferretur, inutilem & otiosam esse Confirmationem. Annon ipsemet Dallæus vim eamdem tribuit Baptismo, & Eucharistiæ? neque tamen inutilem alterutrius virtutem affirmat. Quidni ergo idem licebit Catholicis, cum vim eamdem, velut propriam Sacramento Confirmationis attribuunt?

Resp. 2. S. Cyprianum loco citato non excludere virtutem Baptismi, & Confirmationis ad ferendum martyrium; sed agit dumtaxat S. Doctor de lapsis in persecutione, quibus post deperditam gratiam Baptismi, & Confirmationis, unum supererat Pœnitentiæ, & Eucharistiæ subsidium, quod deperditas vires recuperare possint ad mortem pro Christo fortiter sustinendam.

ARTICULUS II.

De charactere quem imprimit Confirmatio, & de ritu, quo redeuntes ab hæresi olim recipiebantur: an verum esset Confirmationis Sacramentum.

Errores & opiniones.

IN Tractatu de Sacramentis in genere, diximus Novatores Lutheranos & Calvinistas irridere characterem illum, quem Orthodoxi per tria Sacramenta imprimi contendunt.

Dallæus l. 1. c. 3. de Confirmatione, reponit istam fidei propositionem inter somnia Catholicorum. Adversus errorem hunc Concilium Trid. Sess. 7. nonum edidit canonem his verbis conceptum: *Si quis dixerit,* Tom. 14. *in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi* Conc. p. *characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea* 777. C. *iterari non possunt, anathema sit.*

Nono

Nono sæculo nonnulli ex plebe homines ad Sacramentum Confirmationis accedere sæpius deprehensi sunt, quos repressit Synodus Cabillonensis II. ann. 813.

Arcudius lib. 2. de Confirmatione cap. 18. & seq. narrat quosdam ex Græcis recentioribus existimare Confirmationem iterari posse.

Inter Veteres, qui contendebant nulla & irrita esse Sacramenta ab Hæreticis data, quales erant Cyprianus cum suis Africanis, & Firmilianus cum suis Orientalibus, ii cum redeuntes ab hæresi baptizabant, Baptismum proprie non iterabant, quem nullum judicabant. Quippe, ait S. Gregor. Magnus l. 14. Epist. 27. alias lib. 12. Epist. 32. *non iteratur, quod ostenditur non rite peractum*. Sed primum legitime illos baptizabant. *T. 2. p. 1279. D*

Verum, præcipuum dubium, ac momentum quod proponi solet contra veram & communem inter Orthodoxos doctrinam de charactere per Confirmationem impresso, quo fit ut non possit iterari, petitur ex veteri ritu per quem redeuntes Hæretici in Ecclesiam recipiebantur, per impositionem scilicet manus, & unctionem. De vario illo ritu sic loquitur S. Greg. l. 11. Epist. 67. alias l. 9. Epist. 61. *Ab antiqua*, inquit, *Patrum traditione didicimus, ut quilibet, qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad Sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophysitas vero, & alios ex sola vera confessione recipit.* Græci vero simul cum unctione chrismatis verba hæc adjungunt: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, in quibus positam esse apud ipsos Sacramenti Confirmationis formam, supra ostendimus. Inde gravis inter Theologos controversia, an nempe ritus ille, per quem conversi ab hæresi recipiebantur, fuerit verum Confirmationis Sacramentum. *Ibid. p. 1167. E.*

Sunt qui cum Sirmondo in secundo Antirrhetico c. 5. & Illustrissimo Petro de Marca in notis ad Conc. Claromontanum, affirmare videntur. *Tom. 10. Conc. p. 585.*

Alii vero distinguunt inter Hæreticos, eos nempe, qui fuerant baptizati in hæresi, & eos, qui baptizati in Ecclesia, per apostasiam in hæresim subinde deflexerant: istos, cum ad Ecclesiam redibant, receptos dicunt per impositionem manus in pœnitentiam; illos vero per Confirmationis Sacramentum, quod tamen idcirco proprie iteratum dici debere negant, quia nempe arbitrantur apud Hæreticos vere & valide non conferri Sacramentum Confirmationis, ob defectum scilicet conditionis ab Ecclesia appositæ, qua non observata, nullum habent ab Hæreticis collatum Sacramentum: conditio vero illa hæc est, ut fidelis sit & orthodoxus Sacramenti minister; eo fere modo, quo Ecclesia nullum declaravit & irritum, Matrimonium sine præsentia Parochi & testium contractum. Ita Maldonatus de Confirmatione q. 2. in fine, Morinus l. 9. de pœnitentia c. 11. Goarius in Euchologio pag. 888.

Alii denique volunt, quoslibet Hæreticos (modo antea confirmati fuissent) receptos esse per manus impositionem & unctionem pure cæremonialem, quæ dicebatur in Spiritum sanctum, quia gratiam Spiritus sancti quasi suspensam & sopitam propter hæresim, excitabat per reditum ad Ecclesiam. His præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Sacramentum Confirmationis characterem imprimit, unde iterari non potest.

Probatur 1. ex c. 6. Epist. ad Hebr. 6. v. 1. ubi sic loquitur Apostolus: *Non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Quo loco per manus impositionem designari ab Apostolo Confirmationem, censent Interpretes Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophilactus, quorum verba exscribit Arcudius lib. 2. de Confirmatione cap. 23. unde Estius ad hunc locum addit, *magno consensu interpretes Græcos, & Latinos locum hunc exponere de Sacramento Confirmationis.* Subjungit autem ibid. Apost. v. 4. *impossibile esse eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*; quorum verborum hunc esse sensum iidem referunt Interpretes, nempe: fieri nulla ratione posse, ut homo per Baptismum illuminatus, manuum impositione consignatus, & Spiritus sancti factus particeps, si lapsus fuerit & in peccatorum profundum demersus, iterum Baptismo, & ea, quæ Baptismum antecedit pœnitentia, purgetur ac renovetur, aut denuo manuum impositione accepta, Spiritus sancti fiat particeps. Lege S. Chrysostomum in hunc locum.

Probatur 2. ex SS. Patribus, tum iis qui Christianos Confirmatione signari tamquam milites, dixere, quales sunt Tertullianus lib. de Præscriptionibus, Cornelius S. Pontifex in Epist. ad Fabium Antiochenum, S. Cypr. Epist. 73. Innocentius I. Epist. ad Decentium, S. Leo Serm. 4. de Nativitate: porro signum illud deleri non potest, quod in transfugis etiam, ac desertoribus conservatur. Tum iis qui disertius affirmant, non posse Sacramentum Confirmationis iterari. Ita S. Aug. disputans adversus Donatistas, qui contendebant nullum esse apud Hæreticos Baptismum, quia nullum quoque est Sacramentum Confirmationis, eo quod dixit Scriptura Psalmo 140. *Oleum peccatoris non impinguat caput tuum*, ostendit valere apud Hæreticos & Baptismum & Confirmationem, neque iterari debere, quia nempe Sacramenti virtus & efficacia non ex privata ministri conditione petitur, sed ex meritis Christi. Quod si repeti propterea debent Sacramenta quæ ab Hæreticis dantur, quia non est apud illos gratia Spiritus sancti, pariter repeti debent, quæ a raptoribus, adulteris, homicidis ministris conferuntur, quia nec illi quoque possident Spiritum sanctum; & tamen neque Cyprianus ipse, neque Donatistæ rejecerunt tamquam nulla & irrita Sacramenta per malos ministros administrata. Igitur, concludit S. Doctor, nec Baptismus, nec Confirmatio ab Hæreticis data iteranda est. Verba S. Doctoris alias in Tract. de Sacramentis in genere fusius retulimus.

T. 2. p. 2279. C. S. Gregorius Magnus lib. 14. Epist. 17. sic loquitur: *Hoc vos rite tenere debetis, quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus; idest, ut quoties tam de Baptismo aliquorum vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur . . . utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales, confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicen-*

dicentur, ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat: quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum.

Concilium Toletanum VIII. an. 653. c. 7. *Sanctum*, inquit, *chriſma collatum, & altaris honor avelli nequeunt.* *Tom. 6. Conc. p.* 406. B.

Gregorius II. epiſt. 13. ad Bonifacium an. 726. *De homine*, inquit, *qui a Pontifice confirmatus fuit, denuo illi talis reiteratio prohibenda eſt.* *Ibid. p.* 141. A.

Concilium Cabillon. II. an. 813. can. 27. *Dictum eſt nobis*, inquit, *quod quidam de plebe bis aut ter ab Epiſcopis, ignorantibus iiſdem Epiſcopis, confirmentur. Unde nobis viſum eſt, eamdem Confirmationem, ſicut nec Baptiſmum, iterari minime debere.* *Tom. 7. Conc. p.* 1278. A.

His adde Canonem Concilii Tridentini initio citatum.

Dices: Confirmatio eſt impoſitio manuum in Spiritum ſanctum, Act. 8. Atqui manus impoſitio iterari ſæpius poteſt, judice S. Aug. l. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 16. *Manus impoſitio*, inquit, *non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt. Quid eſt enim aliud, niſi oratio ſuper hominem?* *T. 9. p.* 117. B. Oratio autem iterari ſæpius & poteſt, & debet.

Reſp. diſt. min. Manus impoſitio cæremonialis, ac reconciliatoria, quæ fit extra Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, iterari ſæpius poteſt, concedo: manus impoſitio confirmatoria, nego. Manus igitur impoſitio aliquando ſacramentalis eſt, ſeu pars Sacramenti, quæ orationem tamquam formam ſaltem partialem adjunctam habet; & hæc, ſicut oratio ipſa, iterari non poteſt: aliquando vero eſt cæremonialis. De iſta poſteriori loquitur S. Auguſtinus citato c. 16. & maxime c. 23. lib. 5. ejuſdem Operis, ubi ait: *Manus impoſitio, ſi non adhiberetur ab hæreſi venienti, tamquam extra omnem culpam eſſe judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus ſancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcumque alia ſancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* *Ibid. p.* 157. C. D. Manus autem impoſitio confirmatoria diſtinguitur ab oratione, velut matetia a forma; & reipſa Act. 8. utraque diſtinguitur: *Imponebant manus, orabant, ut acciperent Spiritum ſanctum.* Oratio igitur, ſimpliciter ut oratio, iterari ſæpius poteſt: at oratio quæ forma eſt Sacramenti quod non iteratur, nec iterari quoque poteſt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ritus quo hæretici converſi recipiebantur in Eccleſiam, non erat verum & proprium Sacramentum Confirmationis, ſed mera dumtaxat cæremonia inſtitutionis Eccleſiaſticæ.

Probatur: Quia duplicis Ordinis hæretici generatim diſtingui poſſunt. 1. Ii qui in Eccleſia baptizati ad hæreſim poſtea defecerant. 2. ii qui in hæreſi fuerant baptizati. Atqui nulli ex ipſi cum ad Eccleſiam redierunt, recepti ſunt per Sacramentum Confirmationis.

Non hæretici in Eccleſia baptizati, in qua etiam Confirmationem perceperant.

Patet 1. ex S. Cypriano Ep. 71. ad Quintum, ubi approbat Stephani conſuetudinem, baptizatos in Eccleſia hæreticos, ubi ad eam ſe recipiunt, admittentis per *impoſitionem manuum in pœnitentiam.* *P. 119.* *Quod*

nos

nos quoque, inquit, *hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, & a nobis ad Hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito & errore digesto, ad veritatem & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere, ut quia ovis fuerat, hanc ovem abalienatam & errabundam in ovile suum Pastor recipiat.* Idem repetit in Epist. 74. ad Pompejum in fine.

P. 133. Patet 2. ex Concilio Eliberitano c. 22. ubi sic statuit: *Si quis de catholica Ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusque* (ad Ecclesiam) *re-*
Tom. I. Conc. p. 973. E. *currerit, placuit huic non esse negandam pœnitentiam, eo quod cognoverit peccatum suum. Qui etiam decem annis pœnitentiam agat, cui post decem annos communio præstari debet.* Unius pœnitentiæ mentio fit in isto canone, non iteratæ Confirmationis.

T. 9. p. 113. B. Patet 3. Ex S. Aug. l. 3. de Baptismo c. 11. sic loquitur: *Cyprianus cum ceteris statuit, ut si ab hæresibus redirent ad Ecclesiam, quicumque fuerant in ea baptizati, non jam per Baptismum, sed per pœnitentiam reciperentur.*

Neque etiam Hæretici baptizati extra Ecclesiam recepti sunt per Sacramentum Confirmationis, in Ecclesia Romana, Africana, Orientali, & Gallicana.

Non in Ecclesia Romana, teste S. Stephano S. Pontifice, qui sollemne istud emisit Decretum in famosa de Baptismo Hæreticorum controver-
Apud Cypr. p. 129. sia: *Si quis ergo*, inquit, *a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* De omnibus indiscriminatim loquitur Hæreticis, sive qui in Ecclesia, sive qui extra Ecclesiam fuerant baptizati; atque immerito S. Cyprianus Decretum istud restrinxit ad eos, qui fuerant in Ecclesia baptizati. Stephani Decretum approbarunt subsequentes Pontifices, teste S. Hieronymo Dial. adversus Luciferianos, Julius, Malchius, Sylvester.

Unde idem S. Hieron. eodem Dialogo testatur, & multis probat constantem esse Ecclesiæ usum, Hereticos ad Ecclesiam redeuntes recipere per pœnitentiam; & hoc ipsum ostendere conatur ex Apocalypsi.

T. 4. p. 2. p. 304. *Numquid*, inquit, (Angelus) *dixit: Rebaptizentur, qui in fide Nicolaitarum sunt baptizati? vel imponantur eis manus, qui eo tempore apud Pergamenos crediderunt? Quin potius, Age, inquit, pœnitentiam.*

Tom. 2. Conc. p. 1269. D. Adde Innocentium I. qui in epistola 18. dicit: *Arianos baptizatos in hæresi suscipi in Ecclesia per manus impositionem sub imagine pœnitentiæ*: quibus verbis opponit eorum pœnitentiam, gravi & luctuosæ pœnitentiæ apostatarum.

Non aliter recepti sunt in Ecclesia Africana, teste S. Augustino, qui l. 3. de Baptismo loquens de illa manus impositione, qua recipiebantur Hæretici, quam S. Cyprianus sine Baptismo prodesse negabat, satis significat illam reconciliatoriam dumtaxat fuisse, non confirmatoriam:

T. 9. p. 117. B. *Manus autem impositio, inquit, non sicut Baptismus, repeti non potest. Quid*
Ibid. p. 157. C. D. *enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Et lib. 5. cap. 23. *Manus autem impositio, si non adhiberetur ab hæresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus Hæreticis correctis imponitur.*

Idem S. Doctor disputans contra Donatistas, ostendit a paritate Confirmationis quæ apud Hæreticos valida est, ratum quoque esse apud eos Baptis-

Baptiſmum, atque præcipuum eorum evertit fundamentum, nempe idcirco nullum eſſe apud eos Sacramentum Confirmationis & Baptiſmatis, quia nullus eſſe poteſt eorum Sacramentorum apud Hæreticos effectus: hoc, inquam, palmare fundamentum evertit exemplo malorum, & iniquorum miniſtrorum; qui certe non habent Spiritum ſanctum, quem tamen per Sacramenta, quæ ceteris adminiſtrant, eos tradere fateri coguntur Donatiſtæ, qui non rebaptizant baptizatos ab adulteris, homicidis, & raptoribus miniſtris. Ipſum vero Confirmationis Sacramentum valere apud Hæreticos, multis in locis demonſtrat: duo tantum ſeligo teſtimonia, unum ex l. 2. contra Litteras Petiliani c. 104. ubi Petiliano abutenti his Pſalmi 131. verbis: *Sicut unguentum in capite*, ut oſtenderet nullum eſſe Confirmationis Sacramentum apud Hæreticos, ſic loquitur S. Doctor: *In hoc unguento Sacramentum chriſmatis vultis interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus: ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis, in operibus carnis vitam conſumentibus, & Regnum Cælorum non poſſeſſuris; & ideo nec ad barbam Aaron, nec ad oram veſtimenti ejus, nec ad ullam contextionem veſtis ſacerdotalis pertinentibus.* Et poſtea: *Diſcerne ergo viſibile Sacramentum quod eſſe, & in bonis, & malis poteſt, illis ad præmium, illis ad judicium, ab inviſibili unctione charitatis, quæ propria bonorum eſt.* Alterum teſtimonium petitur ex Sermone 267. alias 5. ubi reſpondens Donatiſtis abutentibus verbis Pſalmi 140. v. 5. *Oleum autem peccatoris non impingat caput tuum*, ſic loquitur: *Ergo oleum tuum eſt? Si tuum eſt, nolo. Si tuum eſt, malum eſt. Si autem Dei eſt, & per te malum, bonum eſt. Cænum non inquinat Solis radium, & tu inquinas Dei oleum?*

Ibid. p. 293. E.

Ibid. F.

T. 5. p. 108. E.

Ejuſdem Eccleſiæ teſtis eſt Optatus Milevitanus in Africa Epiſcopus. Libro enim 7. increpans Parmenianum, quod dixiſſet Catholicos eſſe muſcas morituras, *quæ ſacrum oleum corrumperent. Numquid*, inquit, *nos exterminamus oleum veſtrum, ut merito nos muſcas morituras appelletis? Quod veſtrum eſt, apud vos eſt, & ſi a vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit, ſic a nobis ſervatur, quomodo a vobis dimittitur. Quomodo dicitis, quia nos ſumus muſcæ morituræ ſuavitatem olei corrumpentes, cum poſt vos nihil tale facimus?* Et poſtea: *Si nos exterminaremus a vobis confectum oleum, merito nos muſcas morituras appellare poſſetis: ſed dum quod a vobis unctum eſt, tale ſervamus, quale ſuſcipimus, muſcæ morituræ eſſe non poſſumus.* Quibus certe verbis ſignificat Optatus, in Eccleſia Africana ratum fuiſſe Sacramentum Confirmationis ab hæreticis collatum.

P. 106. n. 4.

P. 107.

Eumdem fuiſſe uſum in Eccleſia Orientali probatur ex Concilio generali I. Nicæno can. 8. quo jubet Novatianos redeuntes ad Eccleſiam recipi per manus impoſitionem, haud dubie confirmatoriam, quia, teſte Theodoreto l. 3. hæreticarum fabularum, *Novatiani iis, qui ab ipſis tinguntur, ſacrum chriſma non præbent. Quocirca*, inquit, *etiam qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, laudatiſſimi Patres inungi præceperunt.* Porro ſi commune iſtud fuiſſet omnibus Hæreticis, ut nullum haberent Confirmationis Sacramentum, quod proinde ipſis ad Eccleſiam redeuntibus neceſſe fuiſſet adminiſtrari; quare de ſolis Novatianis id ſtatuiſſet Conc. Nicæn. Igitur id ſingulare fuit Novatianis, ut reciperentur per Sacramentum Confirmationis, quia illud apud ſuos non perceperant.

Tom. 2. Conc. p. 31. E.

T. 4. p. 230. A.

Deni-

Denique in Ecclesia Gallicana sexto ineunte sæculo, eumdem usum obtinuisse testatur Alcimus Avitus Episcopus Viennensis. A Stephano Lugdunensi interrogatus quo ritu quidam Donatista in Ecclesiam admitti deberet, sic respondet epist. 24. *Manus impositionem personæ, de qua scribitis, adhibete . . . quam constat, si revera in supradicti schismatis professione versata est, cum ministerio Baptismatis etiam chrismate consignatam.*

Bibl. PP. T. 9. p. 574. H.

Ex quo testimonio Aviti tria colliges. Primum, Donatistas suis administrasse cum Baptismo Sacramentum Confirmationis. Secundum, manuum impositionem, quam vult illi Donatistæ concedendam, non esse verum Confirmationis Sacramentum, utpote cui opponit chrismationem jam simul cum Baptismo perceptam: fuit igitur manus impositio in pœnitentiam. Tertium denique, idcirco Sacramentum Confirmationis huic Donatistæ redeunti ad Ecclesiam dandum non esse, quia eo jam donatus fuerat apud suos, quod semel rite concessum, iterari non potest.

Probatur denique Conclusio rationibus Theologicis.

Prima est, quia nulla proferri potest satis firma ratio, cur Ecclesia ratum habuerit Baptismum datum ab hæreticis, & rejecerit Sacramentum Confirmationis: par enim est ex utraque parte ratio, & quibus omnino momentis usus est S. August. adversus S. Cyprianum, & Donatistas, ut evinceret ratum esse ac validum apud hæreticos Baptismum, iisdem probatur valere quoque apud ipsos Sacramentum Confirmationis. Consule illas S. Doctoris rationes, alias a nobis expositas.

Secunda est: Si Ecclesia catholica tempore Stephani aut S. Aug. in ea fuisset sententia Confirmationem datam ab hæreticis nullam esse, adeoque iterandam, invictum habuissent argumentum, tum Cyprianus adversus Stephanum, tum Donatistæ adversus Augustinum, ostendendo nempe eamdem esse rationem Baptismi, & Confirmationis, neque satis intelligitur quid huic argumento reponere potuissent aut Stephanus aut Augustinus. Atqui tamen non legimus eo unquam argumento usos fuisse, aut Cyprianum contra Stephanum, aut Donatistas contra S. Augustinum.

Tertia ratio est, quia manus impositio confirmatoria est in Spiritum sanctum tamquam causa per se; Sacramenta enim novæ Legis ex se, & opere operato, ut dicitur, producunt gratiam; atqui manus impositio reconciliatoria, per quam recipiebantur hæretici conversi, per se non conferebat Spiritum sanctum, quia illa manus impositio eodem modo operatur in his, qui ab hæresi ad Ecclesiam convertuntur, quo depositio fictionis in iis, qui ficto animo ad Baptismum accesserunt, & postmodum per sinceram pœnitentiam convertuntur, atqui in istis fictionis depositio non est causa per se gratiæ baptismalis, quam recipiunt, sed tantum causa per accidens, quæ obicem removet. Ita docet S. Aug. l. 1. de Baptismo c. 12. ubi comparando baptizatum in hæresi cum eo, qui ficto animo Baptismum in Ecclesia recipit, ita loquitur: *Sicut enim in illo qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum*

T. 9. p. 89. C.

cum illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod non amiserunt qui se separaverunt, inimicus charitatis & pacis Christi in aliqua hæresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata ejus non dimittebantur; cum se correxit & ad Ecclesiæ societatem unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa ei reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. Quam sanctus Doctor sententiam sic expressit S. Thom. 2. p. q. 69. art. 10. ad 2. *Fictio*, inquit, *non removetur per Baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem; qua remota Baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum ... Et sic ad Baptismi effectum consequendum concurrit Baptismus, & pœnitentia, sed Baptismus sicut causa per se agens, pœnitentia vero sicut causa per accidens, idest removens prohibens.*

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. sanctus Cyprianus, & Firmilianus cum suis in celebri causa rebaptizationis, tamquam rem certam supponunt, hæreticos recipiendos esse per Baptismum, & Confirmationem, atque Stephanum revera illos recepisse per impositionem manus confirmatoriam, ad accipiendum scilicet Spiritum sanctum: quin ex hac ipsa Stephani praxi, tamquam ex re concessa, validum, & ad hominem, ut dicitur, contorquent adversus illum argumentum, nempe: Si nulla est apud Hæreticos manus impositio confirmatoria, & idcirco Stephanus redeuntes ab hæresi per eam recipit, nullus quoque est apud hæreticos Baptismus; par enim est utriusque Sacramenti ratio. Duo hæc manifesta sunt ex sancto Cypriano.

Primum, debere hæreticos per Baptismum, & Confirmationem recipi cum ad Ecclesiam redeunt, probat in epist. ad Stephanum n. 72. ubi ait, *Hæreticos & Schismaticos profanæ aquæ labe maculatos, quando ad Ecclesiam* P. 121. *venerint, baptizari oportere, eo quod parum sit eis manum imponere ad recipiendum Spiritum sanctum nisi & recipiant Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demum*, inquit, *plane sanctificari, & esse filii Dei possunt; si Sacramento utroque nascantur.* Similia habet in epistola ad Jubajanum; iisdem plane verbis utitur in Synodo Africana Nemesianus a Thubunis. Igitur in mente sancti Cypriani, & illorum, quorum ibi sententiam refert, manus impositio qua hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur, erat confirmatoria in Spiritum sanctum: præter illam autem volebat Cyprianus, necessarium esse Baptismum, *ut utroque Sacramento*, inquit *illi renascerentur.* Per utrumque autem Sacramentum nihil aliud proculdubio intelligere potuit, quam Baptismum, & Confirmationem.

Secundum, nempe Cyprianum & Firmilianum ex illa Stephani praxi recipientis hæreticos per manus impositionem confirmatoriam, tamquam ex re concessa, adversus ipsum disputasse, ut ostenderent, eos quoque recipi debere per Baptismum, patet 1. ex epist. sancti Cypriani ad Pompejum n. 74. ubi sic arguit adversus Stephanum: *Si idcirco apud hæreticos Ecclesia non est,* P. 130. *quia una est, & dividi non potest: si ideo illic Spiritus non est, quia unus est, & esse apud profanos, & extraneos non potest; utique & Baptisma, quod in eadem unitate consistit, esse apud hæreticos non potest, quia separari neque ab Ecclesia, neque*

a Spi-

a Spiritu ſancto poteſt. Aut ſi effectum Baptiſmi majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine J. C. ubicumque, & quandocumque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur, cur non ejuſdem Chriſti nomine illic, & manus baptizati imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum? cur eadem ejuſdem majeſtas nominis non prævalet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendunt in Baptiſmatis ſanctificatione? Nam ſi poteſt quis extra Eccleſiam natus templum Dei fieri, cur non poſſit ſuper templum & Spiritus ſanctus infundi? En argumentum ad hominem quod S. Cyprianus adverſus Stephanum contorquebat, ductum ex ipſius praxi, qua baptizatos in hæreſi recipiebat per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum, hoc eſt, per Confirmationem. Igitur non tantum in ſua, ſed in Stephani etiam ſententia, ex qua argumentatur, ſupponit S. Cyprianus olim Hæreticos receptos fuiſſe per Sacramentum Confirmationis.

Eodem fere modo arguit Firmilianus epiſt. 75. inter Cyprianicas.

Ib. p. 146. *Quoniam*, inquit, *Stephanus, & qui illi conſentiunt, contendunt dimiſſionem peccatorum, & ſecundam nativitatem in Hæreticorum Baptiſma poſſe procedere, apud quos etiam ipſi confiteatur Spiritum ſanctum non eſſe, confiderent, & intelligant, ſpiritualem nativitatem ſine Spiritu eſſe non poſſe.*

Reſp. Concedimus quidem exiſtimaſſe S. Cyprianum Hæreticos redeuntes recipi debere, & per Baptiſmum, & per impoſitionem manus confirmatoriam; in eo quippe verſabatur errore, nullum ac plane irritum eſſe Sacramentum in hæreſi datum, & acceptum: ſed negamus hanc fuiſſe ſententiam, aut Stephani, aut aliorum, contra quos diſputat S. Cyprianus; neque hanc ipſis affingi a S. Martyre colligi poteſt ex verbis ipſius.

In citatis ad Stephanum, & Jubajanum Epiſtolis, nondum Cyprianus impugnat ſententiam Stephani, quam nondum noverat, ſed improbat conſuetudinem quorumdam Africanorum, qui baptizatos ab Hæreticis recipiebant per ſolam manus impoſitionem, ac contendit non ſufficere hanc manus impoſitionem; ſed opus eſſe conferri Baptiſmum ſimul, & manus impoſitionem, quam quidem ipſe confirmatoriam eſſe debere judicabat, licet illi Africani, contra quos agit, nonniſi reconciliatoriam adhiberent.

In epiſtola vero ad Pompejum diſputat contra Stephanum, & quidem argumento ad hominem ducto ex praxi ipſius circa Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes recipiendos. Iſtos Stephanus, non per Baptiſmum, ut contendebat Cyprianus, ſed per *impoſitionem manuum in pœnitentiam* ad accipiendum Spiritum ſanctum, admittebat; quo uno facto fatebatur S. Pontifex, illos Hæreticos Spiritum ſanctum non accepiſſe cum in hæreſi baptizati fuerunt: unde inferebat Cyprianus, nullum fuiſſe hunc eorum Baptiſmum, utpote qui caruit Spiritu ſancto, & conſequenter iterandum eſſe. Iſtud quippe erat erroris Cypriani fundamentum, nullum eſſe quoad ſubſtantiam Sacramentum, quod ſuo privatur effectu; fatebatur autem Stephanus, Baptiſmum in hæreſi datum ſuo effectu privari, hoc eſt non dare Spiritum ſanctum, & eam ob cauſam redeuntes ab hæreſi per manus impoſitionem admittebat, ut eum reciperent; inde directe concludebat in ſua erronea opinione S. Cyprianus, nullum quoque fuiſſe, adeoque de novo conferendum ipſis Baptiſmum:

qua

qua in disputatione, ut clarum est, quæstio non erat, an impositio manuum Stephani verum esset, vel non, Confirmationis Sacramentum; sed unum hoc scopo Cypriani sufficiebat, Stephanum agnoscere Hæreticos illos in hæresi baptizatos Spiritum sanctum non percepisse: ergo inferebat Cyprianus, rebaptizandi sunt. Erat istud totius controversiæ caput præcipuum.

Ad locum igitur ex epistola ad Stephanum ubi ait: *Hæreticos utroque Sacramento debere renasci*,

Resp. S. Doctorem loqui vel in propria sua sententia, quam fatemur talem fuisse, ut voluerit Hæreticis conferri debere Baptismum, & Confirmationem; vel sententia Africanorum, quos impugnat, & per *utrumque Sacramentum* non intelligit Confirmationem, & Baptismum, sed utramque Baptismi partem, nempe & Sacramentum exterius, & gratiam interiorem, sine qua nullum est, in mente sancti Cypriani, Sacramentum: vel nomen Sacramenti in latiori significatione usurpavit, si illud manus impositioni reconciliatoriæ, qua Stephanus recipiebat Hæreticos, adaptavit.

Ad testimonium vero ex epist. ad Pompejum, ubi arguit ex praxi Stephani, & videtur supponere in mente ipsius nullam esse apud Hæreticos Confirmationem. Dico 1. si hoc suppositit S. Doctor, deceptus fuit, & æstu disputationis longius abreptus. Dico 2. si hoc suppositit, id factum esse ex falsa, qua laborabat opinione, nullum esse Sacramentum, ubi nullus est ipsius effectus; ex quo inferebat in mente quoque Stephani nullam esse Confirmationem apud Hæreticos, apud quos Spiritum sanctum non dari ipse fatebatur. Dico 3. & quidem ad mentem S. Cypriani aptius, eum tantum supposuisse, quod verum erat & concedebat Stephanus, nempe Hæreticos Spiritum sanctum non accepisse; unde concludebat Cyprianus, falso nixus principio, eos non tantum per manus impositionem in Spiritum sanctum recipiendos esse, sed etiam per Baptismum. Fundamentum vero erroris sancti Cypriani fuisse, quod non satis distingueret inter Sacramentum & ejus effectum, atque nullum esse Sacramentum contenderet, cum nullus est ipsius effectus, ostendit S. Aug. L. 3. de Baptismo c. 10. & L. 7. c. 1. ubi sic loquitur: *Nec ob aliud illis temporibus visum est quibusdam etiam egregiis viris Antistibus Christi, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud Hæreticos vel Schismaticos Baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque usus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.* T. 9. p. 161. A. B.

Inst. 1. Sacramentum, & effectus illius nec sunt, nec in usu communi ac recepto Ecclesiæ, duo dici possunt Sacramenta, sed unum: atqui tamen S. Cyprianus, citata ad Stephanum epistola, ait necesse esse ut Hæretici redeuntes *utroque Sacramento renascuntur*: ergo per utrumque Sacramentum non intelligit Baptismum & Spiritum sanctum, sed Baptismum & manus impositionem confirmatoriam.

Confirmatur: Quia utrumque intelligit Sacramentum, de quo disputabat cum Stephano: at disputabat de Baptismo, & Confirmatione: ergo per utrumque Sacramentum intelligit Baptismum, & Confirmationem.

Resp.

Resp. reipsa in usu communi & recepto Ecclesiæ, Sacramentum, & effectum ipsius non duo esse, nec dici posse Sacramenta; sed mirum videri non debet S. Cyprianum ab usu communi, & recepto more loquendi Ecclesiæ recessisse, qui ab ejus fide ac doctrina recesserat circa veritatem Baptismi ab Hæreticis dati: Sacramentum, & ejus effectum duo quasi Sacramenta esse voluit, quia nullum esse Sacramentum sine effectu contendebat. Quod autem per utrumque Sacramentum intellexerit aquam Baptismi, & Spiritum sanctum, manifeste patet ex epist. 73. ubi sic loquitur: *Ideo*, inquit, *baptizari eos oportet qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt, ut qui legitimo & vero atque unico S. Ecclesiæ Baptismo ad Regnum Dei regeneratione divina præparantur, Sacramento utroque nascantur, quia scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Cælorum*. Eamdem rationem eidem Scripturæ testimonio subnixam adducit in Synodo Carthaginensi Nemesianus a Thubunis. P. 127.

Quod si contendas, per utrumque Sacramentum intellexisse sanctum Cyprianum Baptismum, & manus impositionem, per quam Stephanus Hæreticos redeuntes ad Ecclesiam recipiebat, dicemus Cyprianum latiori sensu nomen Sacramenti usurpasse, quando manus impositioni reconciliatoriæ illud adaptavit.

Ad confirmationem neg. min. Disputabat enim præsertim sanctus Cyprianus de Baptismo ejusque effectu, & contendebat nullum esse apud Hæreticos Baptismum, quia nullus est ipsius effectus; in quo certe errabat ille. Fatebatur quidem Stephanus, apud Hæreticos non esse Spiritum sanctum, unde redeuntibus ad Ecclesiam manus imponebat, ut illum acperent: sed inde inferre, sicut inferrebat Cyprianus, nullum esse revera quoad substantiam apud Hæreticos Baptismi Sacramentum, error erat. Igitur per utrumque Sacramentum, de quo disputat S. Martyr, intelligit Baptismum, & Spiritum sanctum, qui a Sacramento inseparabilis esse debet, ut illud ratum, ac validum habeatur.

Inst. 2. Manus impositio, per quam Stephanus redeuntes ad Ecclesiam hæreticos recipiebat, ea ipsa erat cujus mentio fit c. 8. Actuum Apostolorum, ubi Petrus & Joannes leguntur manus imposuisse Samaritanis in Philippo baptizatis: sed hæc erat verum Sacramentum Confirmationis ex dictis: ergo &c. Major constat ex epist. 73. sancti Cypriani ubi sic loquitur: *Quod autem dicunt quidam de iis, qui in Samaria baptizati fuerant, advenientibus Apostolis Petro & Joanne, tantum super eos manum impositam esse, ut acciperent Spiritum sanctum, rebaptizatos tamen non esse: locum illum, frater charissime, ad præsentem causam videmus non pertinere &c.* P. 124.

Resp. nego maj. Neque enim Stephanus istud exemplum ex Actibus Apostolorum ductum proferebat; sed alii quidam ignoti, qui sane male omnino arguebant, ut observat sanctus Augustin. lib. 3. contra Donatistas c. 1. exemplum istud proferendo, quod ad rem appositum non erat.

Instabis 3. Manus impositio in Spiritum sanctum est verum Confirmationis Sacramentum: atqui illa manus impositio, qua Stephanus hæreticos recipiebat, erat in Spiritum sanctum: ergo &c.

Resp. dist. maj. Manus impositio quæ per se tamquam vera causa producit Spiritum sanctum, est Sacramentum Confirmationis, concedo: quæ tantum illum producit ratione alterius, nempe pœnitentiæ adjunctæ,

per

per quam scilicet hæreticus charitatem habere incipit, ac remoto obice gratiam Baptismi consequitur, nego. Porro talis est manus illa impositio reconciliatoria. Solutio patet ex tertia ratione Theologica inter probationes Conclusionis adducta.

Objic. 2. Ecclesia Occidentalis hæreticos recepit per eam manus impositionem, quæ fit ab Episcopo, & per quam datur septiformis Spiritus: sed illa est verum Confirmationis Sacramentum.

Major probatur nonnullis testimoniis.

I. Siricii S. Pontificis in epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum c. 2. ubi vetat Arianos baptizari, *quos*, inquit, *nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum*, (nempe Arelatensi I. can. 8.) *per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus; quod etiam totus Oriens Occidensque custodit*. Porro Novatiani qui verum non conferebant apud se Confirmationis Sacramentum, per illud cum ad Ecclesiam redibant, recipiebantur. Ergo, cum, teste Siricio, ceteri hæretici eodem modo, quo Novatiani, reciperentur, dicendum est, eos per Sacramentum Confirmationis receptos fuisse. *Tom. 2. Conc. p. 1018. A. B.*

II. S. Leonis ep. 135. alias 37. c. 2. ubi sic loquitur: *Quod ibi defuit, conferatur, ut per Episcopalem manus impositionem virtutem Spiritus sancti consequantur*. Et epist. ad Nicætam, quæ numero est 129. alias 79. c. 7. *Qui baptismum*, inquit, *ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum Baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt*. *T. 1. p. 717.* *Ibid. p. 688.*

III. Idem videtur posse colligi ex Synodo Arausicana I. can. 1. ubi potestatem facit Presbyteris, *Hæreticos in periculo mortis, si desint Episcopi, sacro chrismate consignandi*. Quem canonem supra nos de Sacramento Confirmationis interpretati sumus, agendo de ministro Confirmationis extraordinario, sicut & canonem Concilii Epaonensis. Concilium quoque II. Arelatense c. 17. jubet *Bonosiacos cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi*. *Tom. 3. Conc. p. 1447. B.* *Tom. 4. Conc. p. 1013. E.*

Resp. nego min. Sacramentum enim Confirmationis est caussa per se gratiæ, eamque ex opere operato producit: illa autem manus impositio reconciliatoria, caussa est dumtaxat removens obicem, aut potius est signum, quod supponit jam per pœnitentiam, & sinceram conversionem cordis obicem remotum esse. Inde est, quod S. Greg. l. 11. ep. 67. alias l. 9. ep. 61. inhærens doctrinæ S. Aug. tribuit gratiam, quam in hæresi baptizati, & ab ea conversi recipiunt dum redeunt ad Ecclesiam, ipsi Baptismo, *qui tunc*, inquit, *in illis vires emundationis accipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti per professionem veræ fidei sanctæ, & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti*. *T. 2. p. 1167. B. C.*

Ad primam probationem ex Siricio, manus illa impositio, qua hæreticos recipiendos esse jubet, est tantum cæremonialis, & reconciliatoria, non vero Sacramentum Confirmationis. 1. quia agit de Arianis, apud quos data Confirmatio nusquam irrita, & invalida judicata fuit. 2. quia non distinguit inter hæreticos in Ecclesia, vel extra Ecclesiam baptizatos: ac certum est ex dictis, hæreticos baptizatos in Ecclesia, receptos dumtaxat fuisse per impositionem manus in pœnitentiam. 3. quia loquitur de illo ritu,

quem totus Oriens, & Occidens custodiebat: atqui ritus ille communis non erat ratione impositionis manus, siquidem in Oriente, alii per unctionem, alii per solam fidei professionem admittebantur; in eo igitur consentit Occidens cum Oriente, quod baptizati in hæresi rursus non baptizentur, si in legitima forma tincti antea fuissent: atque in eo dumtaxat capite ceteros hæreticos Novatianis comparat, quod non sint rebaptizandi. Alia porro ratio est de Confirmatione, quam apud se Novatianos non habuisse vulgo circumfertur, quamquam res non sit satis exploratata, & certa.

Ad secundam ex S. Leone, eadem est responsio. Nec obstat quod S. Pontifex utatur verbo *confirmandi*; per illud quippe noluit designare hujus nominis verum Sacramentum, sed ritum dumtaxat, quo hæretici Ecclesiæ reconciliantur, & in fide Catholica confirmantur. Et certe dicuntur Fideles ab Ordine Romano, Alcuino, Rabano, & aliis confirmari per Eucharistiam, neque tamen inde confundi debet Eucharistia cum Sacram. Confirmationis.

Ad tertiam ex Conciliis Arausicano, & Epaonensi, dico vel canones illos interpretandos esse cum multis, de mera cæremonia seu manus impositione & unctione reconciliatoria; vel si de Sacramento Confirmationis, ut antea insinuavimus, dicendum est hæreticos illos, de quibus agit, antea confirmatos non fuisse, quos idcirco citati canones jubent in mortis periculo, & absentia Episcopi, a simplici Sacerdote confirmari. Concilium Arelatense agit de manus impositione, & unctione reconciliatoria.

Objic. 3. Ecclesia Orientalis hæreticos redeuntes ad Ecclesiam admittit per unctionem chrismatis, & ista verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, in quibus materia, & forma Sacramenti Confirmationis consistit: ergo admittit eos per verum Confirmationis Sacramentum.

Antecedens probatur ex can. 7. I. Concilii generalis Constantinopolitani, in quo sic legimus: *Eos, qui recte fidei adjiciuntur ... recipimus secundum subjectam hic consequentiam, & consuetudinem. Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos... & Thesseradecatitas & Appollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes ... signatos, sive unctos primum sancto chrismate, & frontem, & oculos & nares, & os, & aures; & eos signantes dicimus; Signaculum doni Spiritus sancti.* Tom. 2. Conc. p. 952. A.

Eumdem ritum in recipiendis hæreticis præscribit Synodus Trullana can. 95. & Methodius in Euchologio circa an. Christi 841. in quo etiam multæ referuntur Orationes, quibus invitatur Spiritus sanctus, ut velit gratiam suam illis ab hæresi conversis infundere; ex quibus sic arguitur: Ubi est eadem materia, eadem forma & idem effectus Sacramenti Confirmationis, haud dubie est idem Sacramentum: atqui in ritu quo Græca Ecclesia redeuntes hæreticos recipit est eadem materia, eadem forma, & idem effectus Sacramenti Confirmationis: ergo ritus ille continet verum Sacramentum Confirmationis.

Arcudius l. 2. de Confirmatione c. 18. respondet canonem Constantinopolitanum agere dumtaxat de illis Hæreticis, qui apud suos Sacramentum Confirmationis non perceperant, quales erant Novatiani, Theodoreto teste: quos proinde redeuntes per illud Sacramentum recipi jubet; Canonem autem Methodii nullius esse auctoritatis pronunciat, utpote qui editus sit versus an. 1240. a Methodio quodam schismatico. Vide Goarium in Euchol. p. 876. ubi integrum refert Methodii Decretum.

Ve-

Verum probabilis quidem esse posset Arcudii responsio, si in laudato Canone mentio dumtaxat fieret Novatianorum; sed cum alii multi nominentur hæretici, quos nullus veterum Scriptorum dicit rejecisse Sacramentum Confirmationis, certe ad aliam responsionem confugiendum est.

Resp. itaque, ritum hunc apud Græcos sollemnem verum non esse Sacramentum Confirmationis, sed cæremoniam dumtaxat; quamquam enim eadem materia & forma videatur esse, quæ in Sacramento Confirmationis, non tamen est idem effectus, nec idem modus, quo datur Spiritus sanctus in Confirmatione & in illa reconciliatoria cæremonia. 1. non est idem effectus: namque in Confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur, ut intrepide fides Christiana adversus omnes ejus impugnatores defendatur; in illo vero ritu datur Spiritus sanctus ad remissionem peccati hæreseos, ad pacem cum Ecclesia conciliandam, ad fidem firmius conservandam: in hunc finem minister unctionem adhibet, & verba citata pronunciat. 2. non est idem modus operandi in illo ritu, qui in Confirmatione: namque Confirmatio per se & ex opere operato gratiam confert; ritus autem ille, seu cæremonia, ex opere operantis, ratione scilicet pœnitentiæ & sinceræ cordis conversionis.

Ex sola autem vel materia, vel forma Sacramenti, quam Græci nonnunquam adhibent variis in casibus, colligi non debet eos verum usurpare, ac celebrare Sacramentum. V. g. materiam & formam Unctionis extremæ usurpant in ungendis sanis; nec tamen pro vero Sacramento, sed pro mera cæremonia hunc ritum habent. Ita testatur Goarius contra Arcudium, qui severa nimis, ac præcipiti censura ritus illos quasi totidem sacrilegia proscribit: quamquam negandum non sit, his ritibus abusos aliquando fuisse nonnullos Græcos; quin & inter Latinos nonnulli oleo extremæ Unctionis sanos etiam unxisse leguntur. Ita colligitur ex Sacramentario S. Gregorii juxta Codicem Remensem, quem laudat Menardus notatum p. 67. in quo hæc verba legimus: *Benedicit oleum pro infirmis, & pro populo.*

Hinc facile solvitur argumentum sic. Distinguenda major propositio: Ibi est idem Sacramentum, ubi est idem effectus, eodem modo productus, concedo: si non sit nec idem effectus, nec idem operandi modus, nego. Porro in ritu, quo hæretici recipiebantur, erat quidem eadem materia & forma, sed non erat nec idem effectus, nec idem operandi modus.

Objic. 4. SS. Patres & SS. Pontifices discrimen hoc statuunt inter hæreticos in Ecclesia, & extra Ecclesiam baptizatos: quod priores recipiunt per manus impositionem in pœnitentiam; alios vero simpliciter per manus impositionem in Spiritum sanctum: sed ista manus impositio in Spiritum sanctum, quatenus opponitur impositioni manuum in pœnitentiam, aliam esse non potest quam confirmatoria.

Major certa est ex S. Cypriano ep. 71. ex S. Aug. l. 2. contra Cresconium c. 16. ex Innoc. I. epist. 22. c. 4. & 5. ubi sic loquitur: *Nostræ vero lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare. At vero hi qui a Catholica fide ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per pœnitentiam suscipi, apud vos non solum pœnitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur.* Et postea: *Si quis*, inquit, *de Catholica ad hæresim transiens, aut fidelis ab apostasia revertens & resipiscens redire voluerit, numquid eadem ratione poterit ad Cle-* Tom. 2. Conc. p. 1274. B. Ibid. p. 1275. B. C.

rum admitti, cujus commissum nonnisi longa pœnitentia potest aboleri?

Denique idem patet ex Vigilio epist. 2. ad Eutherium. De his qui semel in Ecclesia baptizati ad Arianos confugientes denuo baptizati erant,

Tom. 5. Conc. p. 312. E. sic decernit: *Quorum tamen reconciliatio non per illam manus impositionem, quæ per invocationem sancti Spiritus fit, operatur, sed per illam qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & sanctæ Communionis restitutio perficitur.*

Resp. nego min. manus enim illa impositio in Spiritum sanctum, per quam recipiebantur hæretici extra Ecclesiam baptizati, & quæ opponitur manuum impositioni in pœnitentiam, per quam admittebantur alii Hæretici in Ecclesia baptizati, non erat vere confirmatoria, sed erat manus impositio in pœnitentiam leviorem, & mitiorem, seu potius in imagine & umbra pœnitentiæ; altera vero manus impositio erat in pœnitentiam graviorem. Ratio est, quia longe majori & graviori peccato se implicant, qui ab Ecclesia, in qua baptizati sunt, ad hæresim deficiunt, quam qui in hæresi nati & educati, in ea baptizantur: unde gravior illis, quam istis inungi debet Pœnitentia, quia, ut loquitur sanctus August. lib. 2. contra

T. 9. p. 419. A. B. Cresconium c. 16. *faciliore venia quod nondum habuerunt, accipiunt, quam si habuissent, & tamen deseruissent. Et hoc discernitur apud nos, ut aliter recipiantur qui Catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitus veniunt. Illos enim amplius gravat desertionis crimen.* Porro facilior illa venia qua baptizati extra Ecclesiam recipiebantur, non posita erat in eo quod per Confirmationem reciperentur, sed quod longe mitior foret eorum pœnitentia, atque illius imago melius diceretur. Ut enim ratiocinatur

Ibid. p. 157. C. D. idem S. Aug. l. 5. de Baptismo c. 23. *Manus impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti ... manus hæreticis correctis imponitur.*

Eadem est responsio ad Innocentium I. Opponit enim ibi manus impositionem in Spiritum sanctum, tamquam leviorem pœnitentiam, alteri longe graviori, per quam scilicet apostatæ recipiebantur. Sic enim seipsum exponit S. Pontifex in epist. 18. c. 3. *Arianos præterea, ceteraque ejusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac*

Tom. 2. Conc. p. 1269. D. *sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur, Clericos eorum cum Sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate.* Porro illa manus impositio sub imagine pœnitentiæ non est confirmatoria.

Neque est, quod dicas, apostatas sæpius in Ecclesia receptos summa facilitate, & nulla ferre imposita pœnitentia: ita de Cerdone testatur S. Irenæus l. 3. c. 4. de Marcione, Tertull. L. de Præscriptionibus; de quibusdam Novatianis, S. Cornelius apud S. Cyprianum epist. 46. de Natali, quem discipuli Theodoti Coriarii seduxerunt, Eusebius lib. 5. c. ult. &c. Non est, inquam, quod istud opponas: namque ob certas prudentiæ & œconomiæ causas mitius aliquando egit Ecclesia cum aliquibus apostatis, qui vel seducti fuerant metu & violentia, vel maximi doloris signa demonstrabant, vel denique poterant multos exemplo suo ad gremium Ecclesiæ adducere: sed casus illi singulares generalem regulam confirmant, nedum infringunt.

Objicies denique S. Augustinum l. 3. de Baptismo c. 16. ubi ait: *Ma-*

T. 9. p. 117. B. *nus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim*

aliud,

aliud, quam oratio super hominem? At illa manus impositio de qua loquitur, est *confirmatoria*: ea ipsa scilicet in mente sancti Doctoris, per quam Apostoli Act. 8. visibiliter Spiritum sanctum conferebant.

Resp. neg. min. Ibi quippe sanctus Doctor agit generatim de manus impositione, tum confirmatoria, tum reconciliatoria. Primam negat posse repeti, ut constat ex testimoniis S. hujus Doctoris antea relatis: alteram vero repeti posse contendit. Institutum quippe ac scopus sancti Doctoris eo loci postulabat, ut de utraque illa manus impositione loqueretur: vult enim probare Spiritum sanctum inhabitantem, seu charitatem, quæ justificat, in una sola Catholica Ecclesia haberi posse. Hoc ut assequatur, solvit 1. Objectionem ductam ex eo quod Spiritus sanctus visibiliter nunc, sicut olim, Fidelibus per impositionem manus non concedatur; docetque id tantum necessarium fuisse ad *commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda*. *Ibid. p. 116. F.* 2. aliud solvit argumentum, nempe impositionem manus reconciliatoriam, per quam peccatum hæresis dimittitur, repeti non posse, perinde ac Baptismum: ac proinde impossibilem esse reconciliationem cum Ecclesia: respondet, illam manus impositionem alterius conditionis esse Baptismo, hunc repeti quidem non posse, illam vero posse, quia manus impositio est oratio supra hominem, oratio autem repeti sæpius potest.

Ex quibus facile intelligitur, in mente S. Doctoris, secundam illam manus impositionem, reconciliatoriam dumtaxat esse, seu meram cæremoniam, per quam redeuntes ab hæresi aliquibus in locis recipiebantur.

ADDITIO.

(*)

APPENDIX.

De aliis Confirmationis effectis Cl. P. D. Chardonii historia Sacramentorum cum notis Latini interpretis.

§. I.

De miraculis, & supernis visionibus effectus ordinarii Confirmationis primis duobus sæculis. Quanto tempore gratiæ ejusmodi fuerint in Ecclesia communes.

„ QUicumque Religionis historiam minime ignorant, quid Hierosolymis Pentecostis die factum sit, norunt, quum in primos Ser-
„ vatoris nostri discipulos ignearum linguarum specie illapsus est Spi-
„ ritus sanctus, norunt hunc cum illis non solum sanctificantem gra-
„ tiam, vimque, atque animum plane divinum, quo opus erat Impe-
„ rium dæmonis everturis, communicasse, sed etiam donum miraculo-
„ rum ac supernarum visionum, linguarum, (1) & sanitatum. Actorum *Act. 8.*

(1) Quemadmodum intelligendum sit, quod S. Lucas de variis linguis scribit, non una est auctorum sententia. Sunt qui existimant, in eo situm fuisse hoc donum, quod sua loquentes lingua Apostoli perinde intelligerentur ab auditoribus suis, ac si horum idiomate

„ liber docet, Apostolos manuum impositione, cum ceteris deinde
„ communicasse, quod ipsimet acceperant, hancque gratiam ad ipsos
„ etiam Gentiles, qui Christianam fidem amplectebantur, transiisse. Ita
Joel. II. 28. „ nempe Joelis vaticinium impletum est: *Et erit in novissimis diebus, di-*
„ *cit Dominus effundam de spiritu meo super omnem carnem, & pro-*
„ *phetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones vide-*
„ *bunt, & seniores vestri somnia somniabunt . . . . Et dabo prodigia in*
„ *cælo sursum, & signa in terra deorsum*. Hinc videmus illis Ecclesiæ
„ initiis multos fuisse Prophetas, multos, qui prodigia, miraculaque
Act. 8. 1. & 2. „ omnifaria patrarent. *Erant autem in Ecclesia*, inquit S. Lucas, *quæ*
„ *erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon,*
„ *qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Hero-*
„ *dis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino,*
„ *& jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, & Bar-*
„ *nabam in opus, ad quod assumpsi eos*. In una urbe quinque heic vides
„ Prophetas; neque hi soli erant, de illis enim ita loquitur Scriptu-
„ ra ut eos ex illorum numero fuisse significet, qui plures Antiochiæ
„ tunc erant: *In quibus Barnabas*, ait Vulgata, inter quos scilicet
„ Barnabas erat.

„ Neque solummodo Antiochiæ videre erat Prophetas; in singulis fe-
„ re Ecclesiis inveniebantur. Satis id testificatur sanctus Paulus, dum
„ Presbyteros alloquens Ephesinæ Ecclesiæ, deque itinere, quod Jeru-
Act. 20. 23. „ salem versus cogitabat. *Et nunc*, inquit, *ecce alligatus ego Spiritu,*
„ *vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sint mihi, ignorans; nisi quod*
„ *Spiritus sanctus* (fratrum scilicet ore, quos adflabat) *per omnes civi-*
„ *tates mihi protestatur dicens, quoniam vincula, & tribulationes Jerosoly-*
„ *mis me manent*: idque illi Tyri contigisse animadvertimus, ubi *inventis*
Act. 21. 4. „ *Discipulis*, inquit sacer historicus, *mansimus ibi septem diebus; qui Paulo*
„ *dicebant per spiritum, ne ascenderet Jerosolymam*. Apostolus cum sociis
„ suis Tyro-Cæsaream quum se contulisset, mansit apud Philippum
„ Diaconum, cui erant quatuor filiæ virgines prophetantes. Illuc
„ alius Propheta, cui nomen Agabus, accessit eum invisurus, Pau-
„ loque vaticinatus est, quæ Jerosolymis iniqua, & permolesta esset
„ passurus.

„ Hæc pauca, quæ ex Apostolicis, actibus duximus, palam osten-
„ dunt superna Spiritus sancti dona felicibus illis temporibus commu-
„ nia fuisse, ac pene dixerim, popularia, quum illa non fidelibus tan-
„ tum viris, sed & feminis Deus uberrime largiretur. Quare san-
„ ctus Paulus in suis epistolis miraculosa dona commemorat, veluti

„ rem

---

mate loquerentur. Ex his fuit Gaspar Sanctius doctus sane Scripturarum interpres, hancque sententiam multis confirmare studuit Hetruscus ille scriptor, qui Apostolis paucos ante annos bellum indixit, eorumque ignorantiam palam facere præpostere, ne quid gravius dicam, studio adgressus est. Sed altera illorum opinio, qui variis reapse linguis loquutos fuisse Apostolos contendunt, mihi longe probabilior est. Vide personati Atromi, Trasæomachi epistolas Venetiis editas an. 1741. (p. 50. & seq.) Protestantes vero illos, qui Apostolos Spiritus sancti beneficio consequutos fuisse linguæ Græce cognitionem dubitant, refellit eruditus Mamachius (T. I, Origin. Eccles. p. 293.)

„ rem longe pervulgatiſſimam, inquit D. Abbadie. Dona ea vocat Spi- 2 3
„ ritus ſancti, aliquando etiam ſimpliciter Spiritum ſanctum. Qui ex de Religion Chretienne
„ ejus epiſtolis locos omnes, in quibus de illis loquitur, auferre vellet, T. 2. c.
„ præcipuam illarum partem deleret. In prima, quam circa an. Chri- 12.
„ ſti 57. ac poſt Paſſionem Domini 24. ad Corinthios dedit epiſtola, 1. Cor.
„ *Unicuique autem*, inquit, *datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii qui-* 17.7. &
„ *dem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum*
„ *eumdem ſpiritum; alteri fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in uno*
„ *ſpiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii*
„ *genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.*

„ Vides heic S. Paulum hæc recenſere prodigia veluti experientia
„ confirmata, quæque omnibus nota eſſent. Apoſtolus de iiſdem ipſo
„ hoc capite loquitur, animorum conjunctionem, & mutuam charitatem
„ Chriſtianis commendans hortanſque illos, ne quemquam ipſorum con-
„ temnerent, ne illos quidem, qui minimi viderentur, quum omnes
„ Corporis myſtici Jeſu Chriſti membra eſſent, atque hoc titulo ama-
„ ri, & honorari mererentur. Ait enim Deum in Eccleſia ſua plures con-
„ ſtituiſſe donorum, & gratiarum ordines ob communem corporis to-
„ tius utilitatem, non autem ut quiſpiam ſupra alios inde ſe ſe extol-
„ lendi occaſionem ſumeret. *Numquid*, addit ille, *omne Apoſtoli? num-* ſeq.
„ *quid omnes Prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes?* 1. Cor.
„ *numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquun-*
„ *tur? numquid omnes interpretantur?* Ita de variis hiſce donis nonniſi in-
„ directe, atque obiter loquitur S. Paulus; quod oſtendit factum id
„ fuiſſe publicum, atque apud omnes indubiæ fidei.

„ Quod ſi majus vis hujuſce veritatis argumentum, neque ullis ſub-
„ tilitatibus, ut mihi videtur, enervandum, illud animadverte, hæc in-
„ ter dona linguarum donum fuiſſe adeo commune, ut in Corinthiaca
„ Eccleſia turbatio magna, magna ſurrexerit confuſio, quod qui hoc
„ donum acceperant, vellent omnes extraneis linguis, qua ex re Eccle-
„ ſia Dei haud ædificabatur. Id S. Paulum impulit, ut fideles illos gra viter
„ moneret; quod præſtitit primæ ad Corinthios epiſtolæ capite 14. *Vo-* 12. 29.
„ *lo*, inquit, *omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nunc autem,* v. 3.
„ *fratres, ſi venero ad vos linguis loquens quid vobis prodero? . . . . Et* v. 6.
„ *ideo qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur . . . . Gratias ago Deo meo* v. 13.
„ *quod omnium veſtrum lingua loquor. Sed in Eccleſia volo quinque verba* v. 18, 19.
„ *ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quam decem millia verborum in lin-*
„ *gua* (ignota ſcilicet) . . . *Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum,* v. 23. &
„ *& omnes, linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infides: nonne di-* ſeq.
„ *cent, quod inſanitis? ſi autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis,*
„ *vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis*
„ *ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians,*
„ *quod vere Deus in vobis ſit.*

„ Poſtquam S. Apoſtolus Corinthios docuit injuria tanta eos ſtudio
„ linguarum donum proſequi, aliiſque, quæ, etſi minus ſplendida,
„ utiliora erant, illud perperam præferre, rationem deinde præſcri-
„ bit, qua cum illo tum Prophetiæ dono utendum ipſis erat, ut in

„ eorum Ecclesia omnia decore gererentur, nihilque fieret, quod „ ædificationi adversaretur. Loquitur autem de hoc tamquam de or-
v. 26. „ dinariis rebus, quarum exercitium ipsius esset moderari. *Quid ergo*
„ *est, fratres? quum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet,*
„ *doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem*
„ *habet: omnia ad ædificationem fiant. Sive lingua quis loquitur secun-*
„ *dum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur.*
v. 27. „ *Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia; sibi autem loqua-*
v. 28. „ *tur, & Deo. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri diju-*
v. 29. & „ *dicent. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis*
seq. „ *enim omnes per singulos prophetare, at omnes discant, & omnes exhor-*
„ *tentur: & spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt. Non enim est*
„ *dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo.*
„ Enim vero ineptissimus prorsus esse debuit sanctus Paulus, sic
„ ad Corinthios scribens, si miraculosa ejusmodi dona apud eos non
„ fuissent; nec minus stolidus, si istis carere illos pro certo habens,
„ credidisset posse se illis ita scribentem persuadere Prophetas magno
„ numero, aliosque illis quarum meminit gratiis præditos apud eos
„ esse: dictum hoc obiter sit adversus incredulos. Sed cum primis ea
„ verba animadvertimus: *Sicut & in omnibus Ecclesiis Sanctorum do-*
„ *ceo*, ostendunt eas manifeste gratias, quas recensuerunt, in singu-
„ las Ecclesias fuisse diffusas, easdemque, quas Corinthiis, illis san-
„ xisse leges, seu ad præcavenda quæ enasci hac de causa potuis-
„ sent incommoda, seu ad ea avertenda, ubi fuissent exorta. Quod
„ Galatis a falsis Apostolis, qui Mosaicæ legis observationem ad
„ Evangelii gratiam adjungere conabantur, seductis scribit Apostolus, demonstrat, hoc miraculorum donum non fuisse Corinthiacæ Ecclesiæ singulare, quum illud veluti rem adeo inter ipsos notam sumat, ut ineluctabile inde argumentum trahat ad ostendendum quantum a ratione desciscerent. *O insensati Galatæ*, inquit,
Gal. 3. 1. v. 5. „ *qui vos fascinavit non obedire veritati? . . . . Qui ergo tribuit vobis*
„ *spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex audi-*
„ *tu fidei?* (1)
„ Post Apostolorum obitum supernæ gratiæ in Ecclesiæ perseverarunt,
„ S. Ignatius, qui octo a morte S. Joannis, ab Apostolorum autem Petri, & Pauli Martyrio quadraginta annis, Christi an. 107. (2) martyrium subiit, S. Ignatius, inquam, vir ille adeo dignus, cujus dictis
„ fides habeatur, testificatur nobis, se Divino numine adflatum fuisse.
„ Ecce

(1) Sed omittenda non fuit Apocalipsis illa, quam a Domitiano in Patmos Insulam relegatus Joannes Apostolos conscripsit (vide Irenæum l. 5. c. 39. Eusebium l. 3. c. 18. & Fabricium in Cod. Apocr. N. T. Tom. 2. p. 535.) ex Prophetiis enim, & visionibus tota quanta est, constat.

(2) Ita Ruinartius in actis sinceris Martyrum p. 7. Veron. edit. quem consule. Nam quod in Chronico Eusebii Ignatii martyrium ad annum Trajani XI. referatur, parum id adcurate scriptum, neque ullus ejus Chronici auctoritate duci hac in re potest, quum eo ipso loco Symeonis Cleopæ filii, & Ignatii martyria simul narrat, quæ diversis annis contigisse nemo negaverit.

„ Ecce ejus verba in epistola ad Philadelphienses. *Nam etsi sino, qui me* „ *secundum carnem seducere voluerunt, spiritum tamen, qui ex Deo est, non* „ *seduxerunt; scit enim ille unde venit, & quo vadit. Clamavi in me-* „ *dio eorum; elata voce loquutus sum: audite Episcopos, Presbyteros, &* „ *Diaconos. Quidam autem suspicati sunt, me, ut præscientem divisio-* „ *nem quorumdam, dicere hæc. Testis autem mihi, in quo vinctus sum,* „ *quia a carne humana non cognovi.* Spiritus autem prædicavit dicens „ hæc: *sine Episcopo nihil faciatis &c.* Idem sanctus Martyr clarius de „ supernis, quas a Deo acceperat cognitionibus loquitur in epist. ad „ Trallianos, quibus ait: *Numquid vobis non possum cælestia scribere? sed* „ *vereor, ne, quum adhuc infantes sitis (in iis quæ ad religionem spe-* „ *ctant) vobis noceam.* Quæ ad Romanos scribit, evidens argumentum „ sunt miraculorum, quæ primis illis sæculis patrata fuisse adfirmamus. „ Tam erant communia, ut angeretur animo sanctus Martyr, timeret- „ que, ne feroces bestiæ, ad quas fuerat damnatus, ipsi quoque parce- „ rent, quemadmodum aliis compluribus. Hinc ait: *Oro promptas mihi* *Ep. ad* „ *inveniri, quibus & blandiar cito me devorare, non quemadmodum quosdam* *Rom.* „ *timentes non tetigerunt.*

„ Post sanctum Ignatium proxime commemorandus Quadratus primus „ Christianæ Religionis Apologista, qui ausus est etiam suam pro Chri- „ stianis Apologiam Hadriano Imperatori offerre. Eusebius eum æque „ atque Diaconi Philippi filias dono prophetiæ inclaruisse testificatur. *L. 3. hist. c. 37.* „ Asterius quoque Urbanus antiquus Christianus auctor Philippi filiabus *& l. 5.* „ prophetiæ gloriam adscribit. Verosimile certe est, hasce virgines ad *c. 17.* „ hoc tempus vixisse, quum eas in Asia consenuisse ad Victorem Pon- „ tificem Polycrates scripserit. A Quadrato ad Montani tempora Pro- *Euseb. l.* „ phetissam alteram habemus, eamque percelebrem Ammiam. Discimus *5. c. 24.* „ id ex Apollinari Hierapolitano, cujus in historia Ecclesiastica memi- *L. 5. c. 17.* „ nit Eusebius. Nam siquidem, inquit ille, ut prædicant post Quadra- „ tum, & Ammiam Philadelphensem mulieres illæ Montani in prophe- „ tiæ gratiam successerunt, ostendant nobis, quinam inter ipsos Mon- „ tano, ac mulierculis successerint. Etenim prophetiæ donum in om- „ ni Ecclesia ad ultimum usque Domini adventum permanere debere „ auctor est Apostolus. Hæc Apollinaris verba, aut alterius antiqui „ auctoris, quem citat, quique suis etiam scriptis Montanistarum hæ- „ resim oppugnaverat, perspicue docent, prophetiæ gratiam non so- „ lum in Ecclesia usque ad Montanum perstitisse non intermissam, sed „ ita confirmatam, ut ea esset fidelium persuasio, numquam sine „ Prophetis futuram esse Ecclesiam (1); ut quum post Maximillæ „ obitum non essent apud Montanistas, qui Prophetæ nomen sibi

(1) Videant ergo Calviniani, num prudens quispiam fidem hisce antiquissimis scriptoribus, atque adeo veteribus Christianis omnibus denegare possit, ut Mosi Amyraldo ex ipsorum secta homini audaci consentiat, qui (in Præfat. ad Psalmos) visionibus Ecclesiæ opus non esse contendit ejus argumenta, quum præsertim nullius sint ponderis. Vide ea breviter refutata a Mamachio Binghamiani operis de Antiquitatibus Ecclesiasticis reformatore non indiligente (T. 1. p. 407.)

„ vindicarent, hinc Catholici adversus eos colligerent non esse illos Ec-
„ clesiam Dei.
„ Non tamen quis credat Prophetiæ spiritum in his tantum constitisse,
„ quos ex veterum scriptorum fide recensuimus. Plures apud Christia-
„ nos erant temporis intervallo, quod inter sanctum Ignatium inter-
„ cessit, ac Montanum, qui suas dissipare blasphemias cœpit anno jux-
T. 2. p. „ ta Eusebium 171. aut circiter, neque enim, ut Tillemontius ostendit,
457. „ citius potuit, nec multo serius. Propheta quoque fuit sanctus Poly-
Euseb. l. „ carpus, qui an. 147. martyr occubuit. Hoc eum titulo exornant, (1)
4. c. 15. „ qui historiam martyrii sui conscripsere; addunt præterea: *omne si-*
„ *quidem verbum, quod ore suo emisit, aut impletum est, aut implebitur.* (2)
„ Sed quid singularibus insistimus hominibus? quum sanctus Justi-
„ nus disertis verbis adseveret miraculorum, gratiarumque superna-
„ rum gratiam in Ecclesia suo tempore fuisse communem, nempe ul-
„ tra medium secundum sæculum, quum ille juxta Tillemontium an-
„ no 133. fidem Christianam amplexus sit, martyrio autem coronatus
„ an. 167. aut in sequente. En quid hanc in rem habeat sanctus Mar-
P. 308. „ tyr in Dialogo cum Tryphone: *Apud nos enim huc usque etiam prophe-*
„ *tica extant dona, unde ut vos intelligere debetis, quæ olim in genere ve-*
„ *stro fuere, ea esse in nos translata.* Paullo post Judæos ipsos rei hujusce
„ testes appellat; ait enim: *Ita ut in genere vestro non amplius more*
„ *veteri Prophetæ futuri essent: quod & oculis vestris ipsi cernere potestis.*
„ *Post illum namque nullus omnino apud vos natus est propheta . . . . Est*
„ *apud nos videre, & feminas* (3), *& masculos dona a spiritu Dei*
„ *habentes.*
„ Necesse igitur erat ut spatio illo temporis, quod sermone com-
„ plexi sumus, miraculosa dona, quæ in Ecclesia erant, explorata es-
„ sent, ac pervulgata, ut Judæos ipsos, adversus quos disputabat,
„ potuerit sanctus Martyr testes appellare, indeque in eos adeo effi-
„ cax pro Christiana Religione sumeret argumentum. Hinc Euse-
Euseb. l. „ bius de Justino: ait *Prophetiæ dona adhuc sua ætate in Ecclesia viguis-*
4. c. 18. „ *se scribit.*
„ Ipsa hæc frequentia Spiritus sanctus dona fuere, quæ Montani, fal-
„ sarumque ejus prophetidum veros prophetas imitari conantium sectæ
„ existimationem initio conciliarunt: *Multa quippe divinæ gratiæ mi-*
„ *racula in pluribus Ecclesiis etiam tum fieri solita fidem plurimis facie-*
„ *bant, eos quoque prophetare*; quare hæreticorum fraus detecta statim
„ non fuit, & antequam eorum artes ac fallaciæ dignoscerentur, otium
„ ha-

---

(1) Ab illis enim dicitur διδάσκαλος Απoστόλικος καὶ Προφητικὸς *doctor Apostolicus & Propheticus.*

(2) Visiones quoque plures Polycarpo tribuunt Smirnenses in actis quæ de ejus martyrio edidere.

(3) Basnagius ad ann. D. 203. ait, in novo Testamento de solis Philippi Diaconi filiabus referri, quod divino numine adflatæ oracula funderent. Sed ille hoc Justini testimonio jugulatur, nam Justinum eas spectasse nemo credet; eas enim etsi ad senectutem pervenerint, ut ex Polycratis litteris noster auctor supra animadvertit, Justini tempora adtigisse parum est verosimile.

„ habuere ad plures fideles seducendos, inque suam sectam pertrahendos.
„ Ex Eusebio hanc animadversionem mutuati sumus.

„ Quin de quibusdam singulatim hominibus loquar, quibus cum Deus „ supernæ prophetiæ dona communicarat, ut Melitone Sardensi (1) at- „ que Attallo Lugdunensi Martyre, quem commemorat Epistola ab „ Ecclesiis Galliarum ad Ecclesias Asiæ, & Phrygiæ perscripta, testem „ maximæ auctoritatis habemus doni miraculorum, & supernarum vi- „ sionum, quo de agimus, S. Irenæum, qui sub tertii Ecclesiæ sæculi „ initia, anno scilicet 202. aut paucis post annis decessit. Sic enim de „ his loquitur adversus hæreticos scribens: *Alii* (Catholicorum) *pra-* „ *scientiam futurorum, & visiones sortiti sunt, & propheticas prædictiones.* „ Hinc hæreticos oppugnat. *Ubi est Ecclesia, ibi est spiritus, & ubi est* L.8.c.40 „ *spiritus, ibi est Ecclesia, & omnis gratia.* Dixerat antea: *non potest nu-* L.2.c.78 „ *merus iniri donorum, quæ per universum orbem Ecclesia a Deo accipiens, in* „ *nomine ejus, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, Jesu Christi quotidie ad* „ *opitulationem gentium operatur.* Neque hæc ex aliorum dictis ajebat S. „ Martyr; quæ ipse spectavit, quæ intellexit ipse, ea testificatur. *Sicuti* „ *multos ex fratribus audimus in Ecclesia, qui prophetiæ dona consecuti sunt,* Euseb. „ *& omni linguarum genere per spiritum loquuntur, & ad hominum utilitatem* l.5.c.7. „ *occulta in lucem proferunt, atque arcana Dei mysteria exponunt.* Quam „ quidem sententiam lectu dignissimam nobis servavit Eusebius.

§. II.

Ostenditur, tertio sæculo donum miraculorum, & visionum fuisse adhuc satis in Ecclesia commune.

„ QUæ in superiore articulo dicta sunt, luculenter ostendunt exte- „ riores, atque supernas gratias, quæ, vel ipsis fatentibus Prote- „ stantibus, effecta sunt Confirmationis, communes fuisse primis duobus „ sæculis, ac fere dixerim populares. Rariores tertio sæculo factæ sunt, „ non ita tamen, ut ordinariæ esse desierint. (2) Si in multitudinem „ diffusæ minus fuere, in singularibus non ita paucis personis majore „ quadam claritate enituerunt, quibuscum eas Deus liberaliter commu- „ nicavit, quæque (si ita loqui licet) vitæ sanctitate, morumque suo- „ rum gravitate honori illis fuerunt.

„ Primum quod proferemus exemplum sit S. Perpetuæ Africanæ Mar- „ tyris, quæ haberi potest vera veluti Prophetissa. Acta ejus Martyrii, „ quæ tanta olim Ecclesia veneratione prosequebatur, ut in publicis „ conventibus legerentur fidelibus, quod ab Augustino (3) sæpe testa-

„ tum

(1) De quo Polycrates apud Eusebium (lib. V. hist. Eccles. cap. 24.) & ex Tertulliano Hieronymus in Catalogo.

(2) Confer Toutceum in notis ad S. Cyrillum Hieros. p. 343.

(3) Sermonibus in novissima Maurinorum editione 280. 281. 282. quorum primum ratiunculis quibusdam ductum Basnagium perperam S. Doctori abjudicare ostendit Ursius in differt. Apologet. pro SS. Perpetua & Felicitate (p. 25. & seq.) atque enarratione in Psalmum XLVII.

„ tum reperimus, acta, inquam, illa ferunt, ejus fratrem Sanctæ di-
„ xisse: *Domina Soror jam in magna dignitate es, & tanta, ut postules vi-*
„ *sionem & ostendatur tibi, an passio sit, an commeatus?* Perpetua autem,
„ quæ magna ex parte hæc acta composuit (1) addit: *Et ego quæ me*
„ *sciebam fabulari cum Domino, cujus beneficia tanta experta eram, fidenter*
„ *repromisi ei dicens: Crastina die tibi renunciabo.* Hæc Sancta (2) marty-
„ rium reapse passa fuit paullo post ann. Christi 203. aut serius 205.
„ (3) S. Dionysius Alexandrinus quid sibi faciendum esset in quibusdam
„ circumstantiis ex visis divinitus accipiebat. Quum Alexandriæ Phi-
„ lippo (4) imperante persecutio esset indicta, ejusque Urbis populus
„ in Christianos furore quodam percitus desæviret, monitus a Deo est,
„ ut inde secederet, ipsamque, quam ingredi deberet, ne in hostium
„ manus incideret, viam ostendit. Ipsemet id narrat, Deum testatus
Apud Euseb. l. 5. hist. Eccl. c. 40 „ his verbis: *Ego vero coram Deo loquor, & ipse scit, me nequaquam men-*
„ *tiri &c.* Idem S. Dionysius in Epistola ad Philemonem in librorum
„ hæreticorum legendorum consilio visione cælitus missa confirmatum
apud eumdem l. 7. c. 7. „ se esse ait, quod idoneus esset, qui singula disquireret, & examina-
„ ret. (5) Quicumque S. Cypriani opera legit, scit, quam frequentibus
„ fue-

---

(1) Ursius in dissertatione Apologetica pro SS. Perpetua, & Felicitate c. 11. horum Actorum Compilatorem fuisse Montanistarum hæresi infectum asserit; qua in re ducem habuit celeberrimum Valesium. Sed e nostris Ruinartius, ex Acatholicis Dodvvellus (diss. IV. Cypr. de vision.) orthodoxo auctori ea omnino tribuunt. Neque aliter ego sentio, persuadere enim mihi non possum, acta a Montanista homine profecta in Ecclesiis Catholicorum lecta fuisse, quemadmodum acta S. Perpetuæ lecta fuisse testificatur B. Augustinus. Nam licet demus Ursio, Catholicos a Montanistis non fuisse hæreticos habitos (quod ille unius Tertulliani auctoritate confirmat,) Montanistas tamen Catholicis odio fuisse veluti hæreticos negari non potest. (Vide Eusebium lib. V. c. 16.)

(2) Samuel Basnagius (in annal. ad ann. 203. num. 5. & seqq.) Sanctas Perpetuam & Felicitatem in Montanistis numerat. Fregit autem Calviniani hominis audaciam Ursius in laudata dissertatione, quæ Florentiæ prodiit an. 1728.

(3) Eodem fere tempore Potamiæna Alexandrina, ut apud Eusebium videre est Lib. hist. Eccles. cap. 5. Martyrio functa est. Hæc autem tertio post Martyrium die Basilidi Ethnico homini, qui misericors erga eam fuerat, noctu adstitit, coronam capiti imposuit, dixitque se ipsius causa Dominum orasse, atque id, quod petierat, impetrasse, nec diu postea ipsum ad superos migraturum. Quibus auditis Basilides nostris connumerari, etiam, atque etiam efflagitavit, de quibus truncato sibi paullo post religionis nostræ causa capite optime meritus est. Medio præterea sæculo tertio nunciata divinitus fuere Pionio sub Decio, ut Ruinartius gravissimis rationibus probat, Martyri glorioſissimo, quæ ipsi Asclepiadi, atque Sabinæ mala ob Christianam, quam profitebantur, Religionem impenderent.

(4) Imo Decio imperante.

(5) Ad hæc tempora referri possunt visiones aliæ, quas historiæ suæ Eusebius inseruit, cujusmodi fuerunt illæ, quibus Alexander Hierosolymorum antistes electus est (vide Euseb. lib. VI. c. 11.) & qua Fabianus Ecclesiæ Romanæ Pontifex renunciatus fuit (confer eumdem Eusebium lib. VI. c. 29.) Addamus etiam paullo antiquius, etsi ejusdem sæculi exemplum, quod Inscriptioni debemus a Clariss. Massejo sæpius editæ, ac præsertim in Museo Veronensi (pag. 179.)

☩ Daciana. Diaconissa

Quę. V. An. XXXXV. M. III.
Et. fuit. F. Palmati. Cos.

Et. soror. Victorini. Presbri
Et. multa prophetavit

Cum

„ fuerit ille ceteroqui non imbecilli animi vir visionibus recreatus, at-
„ que institutus. Adeo ipsi familiares hæ fuerunt, ut in iis, quæ ad
„ Ecclesiæ suæ administrationem pertinerent, atque ad commune ipsum
„ disciplinæ exercitium, quid sibi hac ratione Deus dignaretur facien-
„ dum ostendere, præstolaretur. Exemplo sit quod Florentia Pupiano
„ rescripsit petenti ad Ecclesiasticam communionem admitti. *Prius*, in-
„ quit, *Dominum meum consulam, an tibi pacem dari, & te ad communica-* Ep. 69.
„ *tionem Ecclesiæ sui admitti sua ostensione, & admonitione permittat.* Pergit : Baluz. edit.
„ *memini enim quid jam mihi sit ostensum, imo quid servo obsequenti, & ti-*
„ *menti de Dominica, & Divina auctoritate præceptum, qui inter cetera,*
„ *quæ ostendere, & revelare dignatus est, & hoc addidit* (verba utique hæc
„ sunt J. C., qui in visione ita illi respondebat :) *Itaque qui Christo*
„ *non credit Sacerdotem facienti, postea credere incipiet Sacerdotem vindi-*
„ *canti*. Frequentes sane solitus esse debuit Sanctus hic Episcopus re-
„ velationes habere Divinæ voluntatis, quum respicienti homini pol-
„ liceri non audeat, illum ad communionem a se receptum iri, ve-
„ ritus, ne Deus deinceps ostenderet, sibi id displicere. Eadem se ra-
„ tione gessit, cum Presbyteris, qui ipso inconsulto cum lapsis commu-
„ nicaverant. *Utar*, inquit, *ea admonitione, qua me Dominus jubet, ut in-* Ep. 16.
„ *terim prohibeantur offerre*.

„ De prima, quæ ipso Episcopo grassata est Deciana persecutione
„ monitus fuit cælitus noster S. Martyr ; ejus quoque finem prædixit
„ quo tempore nihil minus sperabatur, deque eventu securus adeo erat,
„ ut fratribus legi jusserit epistolam, in qua eum prænunciabat. Perse- Ep. 16.
„ cutione exorta secessit Dei jussu, & *audietis*, inquit, *omnia quando ad*
„ *vos reducem me Dominus fecerit, qui, ut secederem jussit*. Tanta autem
„ erat persuasio adflari illum a Deo, ac superna ratione edoceri quid
„ sibi agendum esset hoc tempore, quo adesse illum in Ecclesia sua
„ maxime necessarium videbatur, ut neminem inveniamus de ejus ab-
„ sentia fuisse conquestum.

„ Sanctus Episcopus aliam quoque visionem habuit, quam eventus
„ comprobavit spectasse quinque Presbyteros Ecclesiæ suæ Schismaticos, Ep. 40.
„ qui ei adparuerant veluti Accessores Magistratuum edictum persecu- Baluz.
„ tionis publicantium. (1) Tandem constat prophetico somnio monitum edit.
„ esse illustrem hunc Martyrem de tempore, deque genere glorioſæ suæ
„ mortis anno uno, antequam eam oppeteret, eaque erat persuasio,

„ Deum

Cum Flacca Alumna

V. A. XV. dep. in . Pace. III. Id. Aug.

Doctus Pat. Pinius in eruditissimo de Ecclesiæ Diaconissis ad primum Septembris tomum tractatu prælimiari ex Ferrariensibus, nescio quibus monumentis ad se missis eamdem Inscriptionem refert, sed vitiatam ; legit enim E. MVLTA PPETRAVIT. Sed *prophetavit* habet marmor a me quoque diligenter inspectum ; quid autem hoc significat ? nisi Diaconissam nostram prophetiæ dono inclaruisse. Ea autem filia fuit Palmatii Consulis suffecti, atque anno CCXXII. sub Alexandro Imperatore passi, de quo vide acta Bollandiana Tom. X. Maji pag. 498. Nam quæ ibidem Pinius urget, ut alium ab eo Palmatio esse Inscriptionis Palmatium evincat, leviora sunt, ut in Thesauro Inscriptionum Christianarum aliquando demonstrabo.

(1) Felicissimi schisma intellige. Vide Pamelium, & Rigaltium ad eam epistolam.

„ Deum illi arcana revelare, ut medio anno, sub cujus exitum coro-
„ natus est, mors illius habita fuerit longe certissima. Medio nihilo-
In vita Cypriani. „ minus tempore, ait ejus Diaconus Pontius, imminens passio pro certo
„ ab omnibus sciebatur.

„ Potest igitur merito jure S. Cyprianus veluti tertii sæculi prophetæ
„ haberi (1). Ei S. Gregorium *Thaumaturgum* adjungo, etsi doctus
Diss. Cyprian. 4. ad calcem edit. Oxon. operum S. Cypriani. „ Dodvvellus, ex quo multa hoc capite mutuati sumus, difficilem se
„ præbeat in hoc illi nomine concedendo, eo prætextu, quod ejus vita,
„ ut quæ diu post Sancti mortem a S. Gregorio Nysseno perscripta fue-
„ rit, dubiæ esse fidei videatur. Sed liceat mihi Auctori huic respon-
„ dere, S. Gregorium Nyssenum, præterquam quod ejus Sancti histo-
„ riam, seu potius Panegyrim, potuit ad antiquiora monumenta exe-
„ gisse, præterquamquod divini illius hominis memoria recens erat
„ hujus tempore, quo innumera ejus miraculorum, illustriumque faci-
„ norum exstabant monumenta; Sanctum, inquam, Gregorium habuisse
„ inter domesticos suos, unde quæ ad egregium illum virum spectabant
„ ediscceret, Macrinam nempe aviam suam paternam, quæ in fide insti-
„ tuerat ipsius fratrem Basilium, sororemque Macrinam; instituta autem
„ fuerat a discipulis S. Gregorii Thaumaturgi, illisque, qui cum eo vi-
„ xerant; quare ab his edoceri omnia potuerat, quæ de rebus ab illo
„ gestis noverant. (2)

„ Præter egregios hosce viros, quos Spiritus Sanctus adflabat, quibus-
„ que Deus secreta sua somniis, atque cælestibus visis aperiebat, intel-
„ ligimus ex S. Cypriano, extraordinarias ejusmodi gratias fuisse suo
„ tempore aliquando pluribus simul, ac multitudini communicatas.
„ Quum quidem Presbyteri, ut antea diximus, lapsos contra leges Ec-
„ clesiasticas, atque ejus mandata in communionem recepissent, Deus
„ quid agere deberet, monuit Sanctum. *Castigare*, inquit, *nos itaque di-*
Epist. 9. Baluz. edit. „ *vina censura nec noctibus desinit, nec diebus. Præter nocturnas enim visio-*
„ *nes, per dies quoque impletur apud nos puerorum innocens actus, & loqui-*
„ *tur, ex quibus nos Dominus monere, & instruere dignatur.* Verosimile ad-
„ modum est, ex Divino Spiritu, qui multis similiter ex plebe visa
„ offerret, Africanos Episcopos intellexisse crudelem illam persecutio-
„ nem, quæ Gallo, ac Volusiano imperantibus Ecclesiam erat misere
„ vastatura. Videntur id indicare in Epistola, quam ad Cornelium Pa-
Ep. 54. Baluz. edit. „ pam scripsere. In hæc verba loquuntur, eorum occasione, qui lapsi
„ fuerant in superiore (Deciana) persecutione, suumque errorem plo-
„ raverant, non tamen tamdiu pœnitentiam egerant, quamdiu ex Ec-
„ cle-

(1) Aliæ præterea recenseri poterant S. Cypriani visiones, quas omnes late persequitur P. Ursius in citata dissertatione Apologetica (p. 103. & seqq.)

(2) Basilius Magnus (epist. *ad Neocæs.* 64.) eum mirabilem vocat, Thaumaturgum nunquam; hoc tamen illum nomine compellarunt sæculo VI. atque in sequentibus Facundus, Evagrius, Theodorus Lector, Leontius Bizantinus, aliique pene innumeri. Sed ne de nomine quæstio fiat, satis in rem nostram est, quod idem Basilius de S. Gregorio Neocæsarienssi scribit (lib. de Spir. S. c. 29.) *Prædictiones autem futurorum tales, ut nihil sit inferior ceteris prophetiis.*

„ cleſiæ inſtitutis debuiſſent. *Sed enim quum videamus diem rurſus alterius*
„ *infeſtationis appropinquare cœpiſſe, & crebris, atque aſſiduis oſtenſionibus ad-*
„ *moneamur, ut ad certamen, quod nobis hoſtis indicit, armati, & parati ſi-*
„ *mus, plebem etiam nobis de Divina dignatione commiſſam exhortationibus no-*
„ *ſtris paremus, & omnes omnino milites Chriſti, qui arma deſiderant & præ-*
„ *lium flagitant, intra caſtra Dominica colligamus, neceſſitate cogente cenſuimus*
„ *eis, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, & la-*
„ *mentari, ad Dominum deprecari a primo lapſus ſui die non deſiterunt, pa-*
„ *cem dandam eſſe, & eos ad prælium, quod immineat armari, & inſtrui*
„ *oportere.*

„ Perſecutio reapſe, quemadmodum Sancti hi Epiſcopi prædixerant,
„ ingruit, & crudelior fuit illis, quas antea fuerant experti: eventus
„ confirmavit *crebras, atque continuas oſtenſiones*, quæ eam prænunciarant.
„ Quid efficacius, & certius excogitari poſſit, ut oſtendatur, tertio quo- *Tillem.*
„ que ſæculo non ſolum inventas in Eccleſia fuiſſe perſonas prophetiæ *p. 466.*
„ dono illuſtres, ſed etiam ſupernas haſce gratias interdum in magnum *Tom. 2.*
„ ſimul fidelium numerum diffuſas. Circa medium hoc ſæculum id ac-
„ cidit, quum Gallus an. 252. Eccleſiam cœperit perſequi.

„ Origenes, qui circa idem hoc tempus adverſus Celſum calamum *An. 249.*
„ diſtringebat, teſtis hujuſce rei etiam accedat. Hæc ille, poſteaquam *juxta*
„ obſervarat nihil eorum, quæ Prophetæ egerant ſimile ab illis patra- *Tillem.*
„ tum, qui fidem non habent, neque apud Judæos ullum amplius ex- *not. 39.*
„ titiſſe Prophetam, ex quo eum morti tradiderant, quem Prophetæ *p. 775.*
„ prædixerant. *Signa autem Spiritus Sancti initio quidem doctrinæ Jeſu, &* *Tom. 2.*
„ *poſt ejus adſumptionem plurima oſtenſa ſunt, deinde vero pauciora. Sed &*
„ *nunc ipſius adhuc apud paucos extant veſtigia, qui animas & verbo, & con-*
„ *gruentibus actionibus expurgarunt.*

„ Ita loquebatur Origenes VII. Libro ſui operis contra Celſum, quo
„ nullum edidit præſtantius. Perſpicimus heic, quomodo miraculorum
„ donum minueretur, quo magis Eccleſia amplificabatur, atque confir-
„ mabatur, quum ſingularia hæc Chariſmata in id unum largiretur
„ Deus, ut Eccleſia facilius propagaretur. Quare eas ſub tertii ſæculi
„ finem, quo demum tempore Eccleſia dæmonem, qui omnem furoris
„ ſui impetum in extrema (Diocletianæa) perſecutione, in eam exe-
„ ruerat, plane proſtravit, non amplius communes fuiſſe univerſo Chri-
„ ſtianorum cœtui poſſumus affirmare. Oſtendunt etiam Origenis verba
„ minus frequentes tertio ſæculo fuiſſe illas, quam ſuperioribus, neque
„ ex confidentia auſus eſt Origenes, qua Tertullianus in apologetico
„ juxta Tillemontium ab ipſo ante ſecundi ſæculi finem edito jactabat
„ in Paganos: *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi* *Apolog.*
„ *conſtet: juſſus a quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille tam ſe dæmonem confi-* *c. 23.*
„ *tebitur de vero, quam alibi Deum de falſo. Ne cenſeo quidem ſatis eo tempore*
„ *prudenter facturum fuiſſe Origenem, ſi pro Religione frequentia illa, ac fere*
„ *continua miracula protuliſſet in medium, quæ patrabantur in Eccleſia, quem-*
„ *admodum antea adverſus Hæreticos fecerat S. Irenæus.*

„ Quum porro pauca ex hujus Sancti ſcriptis in ſuperiore paragra-
„ pho deſcripſerim, equidem arbitror, non futurum lectori moleſtum,
„ quod ejus oculis heic ſubjiciam quidquid hac de re habet Sanctus hic

„ Mar-

cap. 32. „ Martyr in secundo libro de hæresibus. *Initio*, ait, *Hæreticorum asserta*
„ *miracula nihil aliud esse, quam vanas dæmonis præstigias. Præterea*, inquit,
„ *Simonis, & Carpocratis sectatores, ceterique, qui virtutes operari dicuntur,*
„ *nec eas faciunt Divina virtute, neque in veritate. Ea ne agunt quidem ad*
„ *hominum utilitatem, sed in illorum perniciem, & ut eos in amorem trahant:*
„ *magicis ea illusionibus agunt, & fallaciis nocentes magis, quam utilitatem ad-*
„ *ferentes illis, qui isthæc credunt, quum eos seducant. Neque enim cæcis visum,*
„ *surdis auditum reddere possunt, nec omnes expellere dæmones, iis exceptis,*
„ *quos ipsimet mittunt, si tamen hoc faciunt. Nequeunt hi curare ægrotos, neque*
„ *claudos, nec paralyticos, nec ullos qui in aliqua corporis parte vexantur dolori-*
„ *bus, uti sæpe accidit, ut qui corporis ægritudinibus laborant, convalescant.*
„ *Tantum abest, ut mortuum excitent per orationem, quemadmodum Dominus,*
„ *& Apostoli fecerunt. Sed & sæpe numero inter fratres tota simul unius loci*
„ *Ecclesia ob aliquam necessitatem id flagitante cum jejuniis multis, & oratioui-*
„ *bus reversa est in corpus anima defuncti, & Sanctorum precibus hominis vita*
„ *donata est. Adeo abest, ut Hæretici patrare hæc possint, ut ii, ne illi quidem*
„ *fieri posse arbitrentur.*

„ Capite insequente suadere volens Hæreticis, vere; non in solam
„ speciem ea a Servatore facta, quæ de illo perhibent Evangelistæ, in
„ hunc modum loquitur. *In ejus nomine quotquot veri sunt ejus discipuli,*
„ *accepta ab eo gratia ad salutem, atque utilitatem reliquorum omnium ea fa-*
„ *ciunt, prout unusquisque ipsorum ab eo munus acceperit. Alii enim dæmones*
„ *expellunt certissime, ac verissime; adeo ut, qui ejusmodi malis spiritibus libe-*
„ *rati sunt, sæpe fidem amplectantur, & in Ecclesia permaneant.* Addit ea,
„ quæ in superiore capite citavimus; tum pergit: *Alii infirmos per impositionem*
„ *manuum curant, ac pristinæ sanitati restituunt. Sed & mortui aliquo-*
„ *ties, ut supra diximus, excitati sunt, & pluribus deinceps annis nobiscum re-*
„ *manserunt. Hasce omnes virtutes operatur Ecclesia, quin quemquam seducat,*
„ *quin pecuniam exigat. Sicuti enim illa gratis accepit, ita gratis dat. Nihil*
„ *horum & facit invocatione Angelorum, veneficiis, neque impia adhibens se-*
„ *creta; sed ad Deum preces dirigens pure, & palam &c.* (1)

„ Etsi vero miraculosa dona tertio sæculo ad finem vergente com-
„ munia esse desierint in Ecclesia, non tamen abolita sunt (2). Super-
„ na hæc gratia urbes, atque ordinarios fidelium conventus relinquens,
„ in

(1) Mirarer Joannem Clericum in historia Ecclesiastica (*pag.* 681. *aliisque in locis*) Irenæo vitio vertere, quod quæ a Christianis suo tempore agebantur, amplificarit. Nam ut quantæ apud Tertullianum, Eusebium, aliosque veteres, eosque celeberrimos, auctoritatis fuerit Irenæus, prætermittam, cui in mentem veniat exaggeratius aliquid ab eo potuisse scribi, qui Valentinianos contemneret propterea quod miraculorum non esset apud illos facultas? An non intelligebat Irenæus, illorum se declamationibus, contumeliisque expositum iri, si minora, quam ipse diceret in Ecclesia nostra patrata fuissent prodigia? Atque hujusce modi amplificationibus non firmari veritatem, sed prodi? At mirabitur nemo, hęc de Irenęo sensisse Clericum, ubi sciat, Hermannum Vvitsium de Protestantium numero Scriptorem Patribus omnibus tam injurium fuisse, ut quę narrata ab illis sunt inani opinione nixa defenderet. Confer Mamachium (T. 1. Orig. & ant. Christ. p. 405.)

(2) Non tamen desunt visionum exempla alia tertio, & quarto sęculo, neque in desertis solum, sed etiam in urbibus. Consule citatum Mamachium (Tom. 1. pag. 399. & seqq.)

„ in deserta, ut ita dicam, seceſſit, in quibus ſolitarii ita ea repleti „ erant, ut naturam viderentur illudere, ut ex S. Athanaſio intelligi- „ mus, ex Caſſiano, ex Palladio, ex S. Hieronymo, ex Ruffino, aliiſ- „ que multis gravibus, fideque dignis Scriptoribus. Aliquando etiam „ prodibat iterum in publicum, ubi id expoſceret Eccleſiæ neceſſitas, „ ſeu ob infidelium converſionem, ſeu ad confundendos hæreticos, qui „ illius doctrinam corrumpere conabantur. Innumera poſſem miraculo- „ rum in hiſce occaſionibus in populorum medio patratorum exempla „ recitare (1); verum id non eſt hujuſce loci. Sufficiat nobis ſcire „ prodigiorum, omniſque generis miraculorum virtutem, quam Pente- „ coſtis die acceperunt Apoſtoli, aliiſque deinceps Confirmationis Sa- „ cramento communicarunt, non deſeruiſſe Eccleſiam, nec porro de- „ ſerturam uſque ad conſummationem ſæculi. (2) Etſi Deus rarius mi- „ racula operetur, poſtquam univerſus orbis Chriſtianis ſacris eſt ini- „ tiatus. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos; Act.* 1. 8.

(*)

QUÆSTIO V. ET ULTIMA.

De cæremoniis Sacramenti Confirmationis.

NOſtri non eſt inſtituti ſingularum illarum cæremoniarum antiquitatem, ſignificationem, vim ac efficaciam hic expendere, de quibus Libri Rituales: nobis ſatis erit ſummatim eas delibaſſe quæ vel antecedunt, vel comitantur, vel ſequuntur Confirmationem.

De

---

(1) Sed quę B. Franciſcus Xaverius Indiarum Apoſtolus patravit, indicari ſaltem a me debere intelligo, eorum enim ſimillima ſunt, quę primi Eccleſię Apoſtoli egerunt. Miror autem doctum Mamachium (T. 2. Orig. & Antiquit. Chriſtian. p. 344.) quod in Romano Breviario ad die 3. Decembris legitur: *Eo* (Xaverius nempe in Indiam) *adpulſus illico variarum gentium difficillimis, & variis linguis divinitus inſtructus adparuit*, ſic intelligendum pronunciatſe, *adjumento illi Deum fuiſſe, ut citius, quam alii poſſint linguas addiſceret*. Quid enim quæſo a Breviarii ſententia alienius? quid preterea iis, quę ipſa hac de re in Bulla Canonizationis leguntur, magis adverſatur? Atque hęc ab eo viro, qui contra Binghamum, alioſque heterodoxos certare ſepius debeat, profecta fuiſſe magis mirandum, quod vetus hęc ſit renia ab Hęreticis excogitata, quorum maxime erat Xaverii miracula aut in dubium vocare, aut minuere. Neque hęc eo dico, quod Mamachio Religioſo, & erudito viro invidiam conflare velim; ſed, ut eum amice moneam, ne præceps adeo ſit in ſententiis ferendis, ubi de Jeſuitis, rebuſque ab illis geſtis agitur. Conſulat ille etiam Scriptores noſtros, nec iis contentus ſit, quæ a noſtris æmulis jactantur in vulgus. Utinam id ille feciſſet in ea re, qua de agimus? Si enim vitam S. Xaverii a Daniele Bartholo ſcriptam legiſſet, intellexiſſet profecto abſurdam eſſe interpretationem ſuam, rationeſque, quibus ea nititur, infirmas adeo eſſe, ut ne probabiles quidem ſint. Sed hęc ſatis, preſertim quum S. Xaverii cauſsam nuper egerit paucis quidem, ſed ſtrenue contra Mamachium eruditus Monachus Vallumbroſanus D. Fidelis Soldanius. Vide etiam auctores hiſtorię litterarię Italiæ (T. 3.)

(2) Lege Mamachii egregiam adnotationem (T. 1. Orig. & Antiq. Chriſtian. p. 393.) De miraculis preclaram edidit Gallice ann. 1741. diſsertationem noſter P. Merlinius a Trevoltianis laudatus in Ephemeridibus an. 1742. art. XII.

De cæremoniis quæ præcedunt Confirmationem.

Præter eas quæ pertinent ad consecrationem chrismatis, de quibus antea diximus,

Quæres 1. an sint adhibendi patrini in Confirmatione.

Resp. affirmative: antiqua enim est praxis illa, de qua mentio fit in Libro Sacramentorum S. Gregorii, & in Ordine Romano. Hujus consuetudinis rationem affert S. Thom. 3. part. quæst. 72. art. 10. in corpore: quia scilicet debent recens baptizati habere, a quibus erudiantur in pugna spirituali.

Quæres 2. quinam in patrinos eligi possint, & debeant.

Resp. eos tantum 1. qui sunt baptizati, & confirmati: quia qui nondum est Christianus per Baptismum, & perfectus Christianus per Confirmationem, idoneus non est, qui alios in fide Christiana instruere, & ad pugnam informare possit. 2. S. Carolus exigit in patrinis ut ad minus annum decimum quartum attigerint, cum non censeantur ante istud tempus satis apti ad alios instruendos. 3. Excluduntur parentes illius qui confirmandus est, propter cognationem spiritualem quam cum ipso essent alioqui contracturi. Ut enim ait Concilium Trid. Sess. 24. c. 2. de reformatione Matrimonii, *ea cognatio quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis omnino sublatis.* 4. Id vult observari S. Carolus in V. Concilio Mediolanensi, *ut ne feminis mares, nec contra, maribus feminæ, neque senioribus adolescentes, cum minime hoc per ætatem conveniat, compatres in Confirmationis Sacramento adhibeantur, nisi id aliter necessitas postulet.* Ritus quoque est antiquus, ut compater dextera suscipiat & teneat eum quem offert Episcopo confirmandum: si vero qui offertur, adultæ est ætatis, *pedem suum super dexterum pedem compatris*, qui ipsum offert, ponit; id quod non sine mysterii significatione fit. Lege ritum hunc veterem in Libro Sacramentorum S. Gregorii, & in Ordine Romano.

Tom. 14. Conc. p. 878. A.

T. 15. Conc. p. 586. E.

Quæres 3. Quid præscribant Canones circa mutationem vel additionem nominis in Confirmatione.

Resp. si nomen turpe sit, vel ridiculum, vel indignum homine Christiano, mutari debere. Ita expresse Concilium V. Mediolanense, Aquense, an. 1585. Tolosanum an. 1590. quamquam nulla etiam exigente necessitate mutari nomen possit, vel aliud addi. Ita ferunt Constitutiones Odonis Parisiensis, & Decreta Synodalia Ecclesiæ Remensis.

Quæres 4. quid præscribant Canones circa ablutionem frontis.

Resp. Confirmandos teneri frontem mundare seu abluere, atque aperire, antequam se sistant coram Episcopo. Ita Synodus Rothomagensis an. 1581. Aquensis an. 1585. & Mediolanensis V.

Quæres 5. quid statuatur circa vestes confirmandi.

Resp. quando Confirmatio immediate post Baptismum conferebatur, confirmandos vestibus albis indui solitos fuisse, antequam offerrentur Episcopo. Ita Liber Sacramentorum S. Gregorii, Ordo Romanus, & antea S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 4. S. Ambrosius l. de Initiandis c. 7. S. Chry-

S. Chryſoſtomus Hom. 118. Ex quo vero perceptio Confirmationis dilata fuit in aliud tempus, non alia habita eſt ratio veſtium, niſi ut mundæ eſſent ac modeſtæ.

De Cæremoniis, quæ comitantur Confirmationem.

Quinque præſertim obſervari poſſunt, ſcilicet tempus quo adminiſtrari ſolet Confirmatio, locus, ordo, & ſitus, alapa, quæ ab Epiſcopo datur, pax & oratio ſupra confirmatos.

Tempus conferendi Confirmationem olim idem fuit ac Baptiſmi: unde cum Baptiſmus ſollemniter ſoleret certis quibuſdam diebus adminiſtrari, pariter & Confirmatio; de quibus diebus antea, uti de Baptiſmo, diximus. Poſtquam autem Confirmatio ſeparatim a Baptiſmo fuit adminiſtrata; pro opportunitate Epiſcopi, frequentius tamen feriis Pentecoſtes & Quatuor temporum, fuit adminiſtrata. Qua autem hora conferri debeat ſi quæras, ſane quantum commode fieri poteſt, hora tertia; quia hac ipſa hora Spiritus ſanctus in Apoſtolos lapſus eſt. Ita decernunt Conc. Mediolanenſe V. & Aquenſe an. 1585.

Locus adminiſtrationis hujus Sacramenti, idem olim fuit, qui & Baptiſmi: primo, quolibet in loco; poſtea vero in Templis, tum Eccleſiæ Cathedralis, tum etiam aliarum per quas Epiſcopus diſcurrere debet, ut ſibi commiſſis Fidelibus hoc Sacramentum diſpenſet.

Ordinem & ſitum hunc eſſe debere refert Ordo Romanus. Primo, mares, & poſtea feminas baptizandas & confirmandas; deinde Concilium Mediolanenſe V. ſtatuit, *ut mares in Eccleſia primo a parte ſua, feminæ ab altera ſint; ſicque ſeparatim diſtincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque ordine, pie & religioſe orent: in primiſque ab omni ſtrepitu, vociferatione, & inani confabulatione caveant, ſed ſilentio ſancto utantur.* *T. 15. Conc. p. 586. A.*

Alapam in maxilla confirmati leviter infligit Epiſcopus. Quando vero introductus ſit ritus ille, plane incertum videtur; neque enim illius apud Veteres mentio occurrit. Quem vero ob finem ritus ille ſit inſtitutus, varii varia referunt. Synodus Senonenſis an. 1542. iſtam reddit, *ut ea percuſſione infantes memoriam habeant ſe fuiſſe confirmatos; ne iterum confirmentur.* Catechiſmus Romanus addit, *ut meminerint confirmatus ſe tamquam athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine ferenda.*

Pax vero, quæ datur confirmatis ab Epiſcopo, & oratio quam fundit ſuper illos, antiquæ ſunt, quarum mentio fit in Ordine Romano & Auctore Libri de divinis Officiis c. de Sabbato ſancto, & ab Amalario lib. 1. c. 27. Ratio hujus ritus eſt, ut intelligat confirmatus, inquit Catechiſmus Romanus, *ſe gratiæ cæleſtis plenitudinem, & pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum conſecutum eſſe.*

De Cæremoniis, quæ ſequuntur Confirmationem.

Duæ ſunt præcipuæ. Prima, frons confirmati vitta linea ſeu faſciola debet circumligari, tum ne chriſma facile defluat, tum ut ſignificetur acceptam gratiam diligenter eſſe conſervandam. Ita mandant Ordo Ro-

Romanus, Synodus Trecensis an. 1400. Lingonensis an. 1404. Senonensis ann. 1524. *Confirmandis*, inquit, *vittas seu bandellos mundos, latos & longos secum habeant, quos post Confirmationem per triduum die ac nocte deferant, ne chrisma possit ab eis tangi.*

Secunda est depositio vittæ lineæ, & chrismatis absterſio. Deponebatur vitta illa linea olim post septimum diem, quo frons chrismate sacro illita abstergebatur. Ita Ordo Romanus, Auctor de divinis Officiis, Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 8. c. 7. Deinde deposita fuit post triduum; aliquando etiam post biduum, vel etiam post horas 24. Usus tamen ejusmodi vittarum talis erat, ut in arbitrio Episcopi esset dispensare. Unde Conventus Melodunensis ann. 1579. ait: *Vitta linea ligentur confirmatorum frontes, quam triduo, quo majori honore tractetur hoc Sacramentum, portare tenebuntur, nisi frontes, præsente Episcopo, eodem panno vel bombyce abstergendæ curentur.* De absterſione ita Synodus Trecensis lau-
Conc. noviss. Galliæ p. 93. col. 1. data: *Bandellos post triduum ad Ecclesiam deferant, & confirmatus in fronte ubi chrismate fuerit linitus, sale & aqua lavetur; & aqua in loco mundo fundenda est, ubi nequeat conculcari pedibus.*

Atque hæc dicta sint de Sacramento Confirmationis, in quibus, si quid minus rectum & sanum nobis incautis excidisse deprehendatur, pro non dicto, ac revocato habemus.

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA